ANTIDOTUM SALUTARE CONTRA PESTIFEROS MORBOS MALAE...

Jean : de Assignies, Giovanni Battista Coccini, ...

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
18 H
217

Digitized by Google

QVAESTIONES,

TVM PHILOSOPHICAE, tum Theologicæ. Georgij Busti Vercellensis, sacræ Theologiæ Doctoris celeberrimi, ordinis prædicatorum, in quibus resoluuntur subtiliores vtiliores(que) difficultates, & controuersiæ inter doctores, quæ in philosophia ac sacra Theologia tractantur.

INSVPER, EIVSDEM, TRACTATus compendiosi duo, quorum alter Astronomicus est, alter vero Theologicus, & moralis.

CVM DVOBVS INDICIBVS, QVORVM *secundus, fertilissimus extat.*

Cum Priuilegio.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VENETIIS,
APVD HÆREDES MELCHIORIS SESSAE.

M. D. LXXIIII.

Digitized by Google



REVERENDISSIMO
Amplisſimoq; Domino. D. Ioanni Mariæ
Taparello, à Lignaſco, ſacri Prædi
catorum ordinis, Epiſcopo
Salutienſi, patrono
ſuo colendiſſ.
Frater Georgius Buſtus Vercellenſis, eiuſ-
dem ordinis, ac ſacræ Theologiæ pro-
feſſor, ſalutem plurimam ac
fœlicitatem. D.

ANTA mortalibus connata eſt diſcendi cupiditas, vt nonnulli ob varia ſcientiarum genera capeſcenda, quibus ſanè exornatur animus, ſoleq́ue ſplendidior redditur, dimidium ferè peragrauerint orbē, Nam Appollonius Tyaneus (vt Democritū, Socratem, Platonem, cæterosq́ue prætermittam) vt Brachmanum ſcientiam haurire poſſet, Perſas intrauit, Caucaſum, Albanos, Scythas,

thas, ac Massagetas prætergressus, opulentissima Indiæ regna penetrauit, quibus auditis, per Elamitas, Babilonios, Caldęos, Medos, Parthos, Assyrios, Phenicas, Arabes, & Palæstinos, in Aegyptum redijt, vt quaqua transiret, ibidem à doctis (si qui essent) nonnihil perdisceret atque decerperet, Tandem in Aethiopiam transiuit ad Gymnosophistas; Cumque & mihi hæc ipsa sciendi propensio, à natura insita fuerit, & si Appollonij itinera minime susceperim, ab ineunte tamen ætate ad vltimam vsque senectutem, Dialecticæ artis, naturalis philosophiæ, sacræque Theologiæ studijs, operam nauaui. Agnoscebam etenim tantum differre virum, scientia præditum, à viro, inscitia laborantem, quantum à picto, viuus homo discriminatur. Euenit autem vt in tot tantisque studiorum meorum vigilijs atque laboribus, complures ediderim quæstiones, tum naturales, tum diuinas, & compendiosos pariter tractatus duos, alterum quidem, de ortu occasuque signorum inrecta obliquaque sphęra, de dierum cum naturalium, tum artificialium, diuersitate, deque temporum varietate respectu habitatorum, alterum vero de libero hominis arbitrio, eiusque viribus in vtroque statu, nempe naturæ integræ atque corruptæ. De

super

ſupernaturali gratiæ dono, De formata fide atque operibus, mortalium iuſtificationem optime peragentibus, De legibus & de Euangelicæ legis, à veteri, multiplici diſcrimine, deque humanæ legis vtilitate pariter & neceſsitate, Demum de Eccleſiaſticis dignitatibus ac poteſtatibus, earundemque ordinibus, diſſerentes. Quas quidem quæſtiones vna cum præfatis tractatibus, cenſui, impreſsioni eſſe tradendas, non quidem vt ex hac inanem mihi gloriam comparem, humanamque laudem, atqui ſolum vt ſtudioſos, literarumque dilectores, ad veritatis indagationem, ardentius excitem, Dum enim noua produntur in lucem, ab ingenioſisque lectitantur, eorum ſuccenditur animus, vt vel ea vti vera ſectentur, vel certe vt ſubtiliora, ipſi, melioraue reperiant, His itaque impreſsis à ſuperioribus facultate prius obtenta, cogitantique mihi cui potiſsimum opus hoc conſecrare deberem, tu mihi quem ob maximam generis tui nobilitatem, morum elegantiam, ſcientiarum præſtantiam, Epiſcopalemque qua nunc merito fulges, dignitatem, obque tuam erga me ſingularem beneuolētiam, veneratus ſum ſemper, ac veneror, omnium digniſsimus occurriſti, Quare amplisſime præſul hilari fronte, ouantique animo, opu-

ſculum hoc ſuſcipe, non vt munus quidem, at vt euidens ſummæ meæ, in te obſeruantiæ ſignum; Sub tuo enim id exiſtens patrocinio, maledicorum morſus, neutiquam formidabit, emiſſa inuidorum tela, in ipſos retorquebit, ignorantium nugas, aſpernabitur, cunctorum denique calumnias, propulſabit, Quod ſi forte à præclaris viris præſtantiſque ingenio pollentibus, in hoc quippiam repertum fuerit, quod eis minime placeat, vt ipſi ſubtiliora veritatiſque proximiora inueniant, ſummopere exopto, Eatenus enim vniuſcuiuſque dictis cohærendum eſt, quatenus firmiori ſunt fulcita ratione, Noui tamen cunctos (natura ſic ſuggerente) ſuis magis inhærere opinionibus, quam alienis, ſuaq; magis collaudare facinora, quam extera, Noui quoque & neminem inter ſuam aliorumq; oppoſitam opinionē, æquum, iuſtumque iudicem eſſe poſſe, quandoquidem proprius amor, mentem offundat, iudicium peruertat, ac cecutientem efficiat, ne verum dignoſcere quæat, Quam obrem cum & ipſe à viris alioquin doctiſſimis (quos ſanè veneror) quandoque diſſentiam eisque repugnem, his tamen in controuerſijs, non me ipſum, at te iudicem conſtituo, cui & ſi amicus ſit Socrates, amicusque Plato, eſt tamen veritas magis amica,

ca, qua certe nil potentius extat. Si qui vero huiusce opusculi mei, iudices sese constituant, omnes rogatos velim, vt semota proprie affectionis caligine, isthæc à me conscripta, sereno, limpidoque conspiciant oculo, & lance æquissima librent, Velim autem supremum omnium iudicem esse sacrosanctam Romanam Catholicamque Ecclesiam, cuius determinationi, vniuersa à me conscripta ac conscribenda, penitus humiliterque submitto.

Vale perpe
tuo
felix, almi ordinis Prædicatorum splendor,
ac æui gloria
nostri.

*

INDEX PRINCIPALIVM quæstionum, & principalium diuisionum, in prædictis tractatibus contentarum.

QVAESTIONES PHILOSOPHICAE.

E subiecto naturalis philosophiæ. An sicuti asseritur Ens mobile adæquatum totius philosophę naturalis esse subiectum, ita poni possit, ipsum corpus mobile, seu corpus naturale. Quæstio. j. fol. 1.

De motu grauium & leuium. Quæst. ij. fol. 13.

De necessitate specierum intelligibilium ad intellectionem. Quæst. iij. fol. 19.

De animatione Cęli. Quæst. iiij. fol. 31.

De possibilitate habitationis, sub circulo Æquinoctiali. Quæst. v. fol. 37.

De subiecto Metaphysicæ. Quæst. vj. fol. 44.

De individuationis principio rerum materialiū, & immaterialium, ac accidentium. Quæst. vij. f. 57.

De distinctione suppositi à natura, in omnibus rebus creatis, ac etiam in deo. Quæst. viij. f. 71.

De distinctione, & idemptitate quodquid est ab eo, cuius est. Quæst. ix. fol. 82.

De

De Creatis relationibus.

AN dentur in rerum natura, nonnullę relationes reales. Quæst. x. f.85.
DE distinctione relationis à suo fundamento. Quæst. xj. f.91.
DE impossibilitate plurium causarum perfectarū & totalium, eiusdem generis, ac eiusdem ordinis, concurrentium ad vnum eundemque numero effectum producendum. Quæst. xij. f.99.

De Creatione.

AN detur secundum philosophos. Quæst. xiij. fol. 105.

Tractatus in tertium sphæræ caput, qui hæc continet.

DE ortu & occasu signorum secundum Poëtas, & Astronomos, in sphæra recta & obliqua. fol. 119.
DE diuersitate dierum naturalium & artificialium. fol. 126.
DE temporum varietate, respectu habitatorum. fol. 128.

Quæstiones Theologicæ, De hominis fine.

AN scilicet, Deus vt obiectum supernaturalis beatitudinis, dicendus sit eiusdem hominis finis naturalis, vel supernaturalis, anque ab ipso naturaliter appetatur, vel appeti possit. Quæst. j. f.131.

De

De diuina prouidentia, Articuli quinque.

1 AN antiqui philosophi, Aristoteles pariter & Commentator, prouidentiam concesserint, ipsaque admissa, quid illaipsa sit. f.139.
2 An cunctarum rerum, cum vniuersalium, tum singularium diuina sit prouidentia. f.142.
3 An cunctorum mortalium actus, cum bonos, tum malos, optime complectatur. f.145.
4 An rebus ipsis prouisis eam necessitatem imponat, vt nullus euenire possit effectus contingens, vel liber. f.147.
5 An prouidentia, rationem ordinis rerum in finem, simul & euentum infallibilem dicat, an rationem ordinis duntaxat in finem absque euentu. f.155.

De diuina prædestinatione, Articuli quattuor.

1 AN diuina prædestinatio, electionem dilectionemque supponat, & quid eaipsa sit. f.159.
2 An prædestinatio ipsa, rebus prædestinatis, absolutam necessitatem imponat, anque cum ipsius certitudine ac infallibilitate, liberum hominis subsistat arbitrium. f.164.
3 Num meritorum præscientia, ipsius prædestinationis, causa existat. f.168.
4 Num hæc ipsa prædestinatio, sanctorum precibus, valeat adiuuari. f.175.

De

De diuina reprobatione, Articuli quattuor.

1 QVID reprobationis nomen ſoner, quidque ipſa ſit, in quoque ab ipſa prædeſtinatione differat. f.177.
2 An quoſdam Deus optimus, reprobet, excęcet, & indurer, hocque admiſſo, horum effectuum cauſa, perueſtigatur. f.180.
3 Num ex multorum reprobatione, aliorumque prædeſtinatione, iniquitatis nota, poſſit deus, inuri. f.185.
4 Cur Deus homines condiderit, vel eoſdem gigni permittat, quos ab æterno præſciuit eſſe damnandas. f.187.

De diuinis relationibus.

AN ſcilicet, in Diuinis nonnullæ ſint admittendæ relationes reales. Quæſt. v. f.191.
De conſtitutiuis diuinarum perſonarum earundemque diſtinctiuis. Quæſt. vj. f.196.

De locali Angelorum motu.

AN in inſtanti fiat, vel in tpe. Quæſt. vij. f.206.

De merito Angelorum.

AN ſcilicet, in primo ſuæ creationis inſtanti beatitudinem mereri potuerint, de factoque ipſam promeruerint. Quæſt. viij. f.214.
An Angeli in ſecundo inſtanti à ſua creatione, mereri potuerint, ſuppoſito quòd etiam in primo meruerint. Quæſt. ix. f.220.

De

De Angelorum peccato.

NVM in Angelis peccatum esse valeat, admissoque quòd sic, an illud superbia fuerit. Quæstio.x. f.226.

De potentia creandi.

AN sit alicui creaturæ communicabilis instrumentaliter & effectiue. Quæst.xj. f.233.

De necessitate sacramenti baptismatis.

AN scilicet, sine ipso quispiam saluari possit. Quæst.xij. f.238.
An pueri, maternis in vteris existentes, baptizari ac saluari possint. Quæst.xiij. f.243.
An baptizati intentio, requiratur ad baptismi susceptionem. Quæst.xiiij. f.246.
DE reali verissimaque existẽtia Corporis Christi, in sacratissimo Eucharistiæ sacramento. Quæstio.xv. f.257.
DE contritione. Quæst.xvj. f.265.
DE confessionis necessitate, ante Eucharistiæ sumptionem, habita confessoris copia. Quæst. xvij. fol. 270.

De sacramentali confessione.

AN scilicet, sit à Christo nedum instituta, verum & præcepta. Quæst. xviij. f.279.
An liceat viro simpliciter totaliterque vxorem suam adulteram dimittere, & aliam ducere, & econtra.

econtra. Quæst. xix. f. 290.
An libellus repudij quem vxoribus dabant Iudæi, licitus fuerit. Quæst. xx. f. 294.

De vxorum pluralitate.

AN scilicet, plures habere vxores presertim duas sorores viuas, sit contra ius naturæ. Quæstio. xxj. f. 298.
DE connubio inter fratrem & sororem, siue vterinam, siue non, an vnquam licitum fuerit, diuina absque dispensatione. Quæst. xxij. f. 300.

Tractatus compendiosus, infrascripta, continens.

DE libero arbitrio, & eius viribus. f. 306.
De discrimine gratiæ à virtutibus Theologicis, & de eius subiecto. f. 322.
De fide & eius causa ac eiusdem effectibus, deque discrimine, inter fidem viuam, ac mortuam. f. 324.
De fide, & operibus, & quomodo, tum fides, tum opera, ad hominis iustificationem concurrant. f. 327.
De legibus, deque discrimine inter veterem ac nouam legem. f. 333.
De vtilitate ac necessitate legis humanæ. f. 339.
De ecclesiasticis dignitatibus, & potestatibus, ac earundem ordinibus. f. 342.

FINIS.

INDEX COPIOSISSIMVS ac locupletissimus dictorum omnium, in hoc opere notabilium.

BSTRACTIO entis duplex, & quæ. fol.1.

Accidentia existentia in pane ac vino, ante consecrationem, post consecrationē omnino re manent. fol.263.

Accidentia, indiuiduantur, & multiplicantur penes subiecta, in quo sunt. fol. 70.

Actiuum principium motus grauium & leuium, duplex, alterum actiuum & quod, alterum passiuum & quo. fol.14.

Actiuum principium motus, alterum est, in fieri solum, alterum, in fieri simul & facto esse. fol. 14. & 15.

Actum intellectus, esse actu voluntatis liberiorem & intellectum, ipsa voluntate, sustinent nonnulli, quorum rationi perpulchre respondetur. fol. 309.

Actus cuiusque rei, non ordinatur diuinitus ad aliquid excedens proportionem virtutis, quæ est eiusdem actus principium. fol.137

Actus vnius peccati, est causa alterius, in quadruplici genere causæ. fol.321.

Actus humani, etsi quandoque, à proprio deficiant fine, non propterea ab illis diuina est subtrahenda prouidentia. fol.140.

Actus fidei triplex, & qui sint secundum Augustinum. fol.eod.

Ad

Ad statum merendi, vt in termino viæ, non requiritur vt sibi desit quod quis meretur. f. 222.
Adæquatum subiectum scientiæ, quid sit, quidque subiectum principale. f. 45.
Agens physicum, sine motu & materia agere nequit, metaphysicum vero, sine his agere valet. f. 112.
Agens secundarium, in sua operatione, non agens ex motu & influentia principalis agentis & primi, at vt ab ipsa recedit, operatio sua, recta nunquam euadit. f. 229.
Agens physicum, solum compositi partem, Metaphysicum vero omnes compositi partes, producere valet. f. 112.
Aliqua duo, abinuicem realiter distingui, bifariam contingit. f. 72.
Aliud est quærere, Num relatio realis, à suo realiter distinguatur subiecto, & aliud, an à suo realiter distinguatur fundamento. f. 91.
Aliud est esse naturale hominibus, & aliud, esse naturæ hominum, quia primum, obiectum, secundum vero, subiectum respicit. f. 137.
Aliud est, in vno instanti esse gratiam perfectam, & terminum gratiæ imperfectæ, & aliud est, in ipsomet instanti, esse simul gratiam perfectam & imperfectam. f. 221.
Analogum, per prius, ac præstantiori modo, dicitur de primo analogatorum, quàm de cæteris. fol. 31.
Animatum, cum analogum nomen sit, simpliciter prolatum, stat supponitque pro nobiliori præstantiorique analogato, & de eo, per prius prædicatur. f. 31.
Animatio, duplex est, quædam propria, & quædam impropria, & quæ vtraque sit explanatur. f. 31.
Angelus, non est proprie in loco, nec proprie locali motu mouetur. f. 206.
Angeli motus, diuersarum operationum numerum dicit.

dicit. f.209.
Angelus, dum motu locali discreto mouetur, nequaquam necesse est, vt transeat omnia media. fol. 208.
Angelos plures in eodem loco esse formali, est impossibile. f.104.
Angeli boni, in primo & secundo instanti meruerunt, mali vero solum in primo, in secundo vero demeruerunt, & simul damnati sunt. f.225.
Angeli, determinatam habent sphæram actiuitatis & operationis suæ, vltra quam operari nequeunt. fol. 208.
Angelus est in loco complete & perfecte non solum per operationem immanentem, at etiam transeuntem. f.207.
Angeli in primo instanti, secundum Diuum Thomam, & mereri potuerunt, & de facto meruerunt. f.215.
Angeli omnes, secundum Augustinum in gratia conditi sunt. f.215.
Angelorum motus in primo instanti habitus, naturalis est quo ad actus specificationem, quia solum ad bonum, non autem ad malum ferri potuit. fol. 217.
Angelorum via duobus integratur instantibus, altero, vt pura via, altero vt via & viæ termino. fol. 220.
Angeli in secundo instanti mereri potuerunt & de facto meruerunt. f.220.
Angelus, inhærendo proprio bono vt vltimo fini, in superbiæ peccatum incurrit. f.230.
Angeli, possunt per lumen naturale ac supernaturale, simul in vnum, vel diuersa ferri obiecta. fol. 217.
Angeli per vnum actum vt in pura via, beatitudinem meruerunt, & per secundum vt existentes in termino viæ. f.223.

Angelum mereri, vel meruisse beatitudinem, est eumipsum posse elicere actionem voluntariam, cui iure ipso beatitudo debetur. f.214.

Angelorum intellectus & appetitus, in naturale bonum ac supernaturale, vt naturali conforme, simul ferri potuerunt. f.217.

Angelus, quomodo superbiæ peccatum incurrerit. fol. 230.

Angeli in primo suæ creationis instanti, nequiuerunt malum aliquod vt obiectum expetitum eligere. f.227.

Angelus in primo suæ creationis instanti peccare nequiuit, ommissionis peccato. f.218.

Angeli, in primo instanti, habuerunt actuum electiuum, seu liberum, quo ad exercitium, non autem quo ad specificationem actus. fol. 218. 219.

Anima pœnitus immortalis extat ex Aristotelis clara sententia, plerisque in locis. f.116.

Anima est actus substantialis, vt probat Aristoteles. ij. de Anima duobus, in locis. f.116.

Appetitus bifariam sumitur, pro inclinatione scilicet cuiuscunque rei, & pro actu elicito immediate ab ipsa potentia. f.131. & 132.

Arcus succedentes arieti vsque in finem virginis in sphæra obliqua, minuunt ascensiones suas; supra ascensiones eorundem arcuum in sphæra recta, & quare. f.125.

Aristoteles ac eius commentator Auerroës, prouidentiam diuinam pulcherrime concesserunt. fol. 139.

Argumenta Ægydij, quibus probare contendit quòd Ens mobile, nequeat esse adæquatum scientiæ naturalis, subiectum, soluuntur. fol. 12. & 13.

Argumentis Scoti, quibus probare contendit, per-

ſonam non addere aliquam entitatem poſitiuam ſupra naturam ſingularem, reſpondetur. fol. 79.

Aſcenſio quindecim graduum æquinoctialis, & aliorum circulorum, ſupra orizontem, ſpacium eſt vnius horę. f.121.

Aſtra, quæ ſimul cum ſignis zodiaci oriuntur, & occidunt, aperte declaratur. f.123.

Attritio, & contritio, vnde nomen ſumant, & quid vtraque ſit, declaratur. f.265.266.

Attritio, nequit contritio fieri. f.266.

Auerroys rationes, quibus probare cõtendit, ſub circulo æquinoctiali, non poſſe eſſe habitationem, quæ ponuntur. fol.38. & 39 diſſoluuntur. f.41. & 42.

Auerroës, quinque rationibus conatur deſtruere circulos eccentricos in cœlo, ab aſtronomis poſitos, quibus optime reſpondetur. f.42. & 43.

Auerroës, ſolum creationem inficiatus eſt, cum eſſendi nouitate. f.118.

Auerroës, xij. Metaphyſicæ, commento xliij. admittit intelligentias perfici, ac cauſari à prima. fol. 112.

Aureoli argumentis, & inconuenientibus, quibus deſtruere conatur, perſonam dicere entitatem poſitiuam realem, ſupra naturam ſingularem, ſatisfit. f.80.&.81.

Aureoli argumentis, probare conantis, relationes omnes ſolum per appræhenſionem intellectus eſſe, reſpondetur. fol.88.89. &.90.

Auctoritatibus Origenis, &. D. Ambroſij. Præſcientiam meritorum, cauſam eſſe diuinæ prædeſtinationis, affirmantibus, reſpondet. D. Thomas. fol. 174.

B

BAPTISMVS triplex, aquæ, videlicet sanguinis, & flaminis, & quid vnusquisque istorum sit, declaratur. f.238.
Baptizandi, in duplici sunt differentia. f.246.
Bona quæ homo peccando amittit, triplicia sunt, & quæ sint declaratur. f.315.

C

CAIETANVS, expresse super Matthæum, cap. 19. docet, & tenet licere viro totaliter vxorem adulteram dimittere, & aliam ducere, & male. f.297.
Caietani rationibus respondetur, quibus probare conatur, corpus mobile, non posse esse adæquatum scientiæ naturalis, subiectum. fol.8. & .9.
Caietanus, male se retractat prima parte quo ad non nulla dicta. De ente & essentia, de principio individuationis. fol.63. & .64.
Caietanus, dum asserit prima parte. quæstio. quadragesima. artic. ij. quantitatem non debere poni intrinsecum distinctiuum sortis à Platone errat. f.66.
Caietani opinio, vti erronea reprobatur, suisque rationibus respondetur. f.241.
Caietanus, asserens connubium inter fratres, & sorores, non esse contra ius naturæ, admodum errat, & suis respondetur rationibus. f.303. & .304.
Caietanus tenet, in casu necessitatis ad salutem paruulorum, sufficere baptisma in voto parentum, cum aliquo exteriori signo, &

adducitur duplex eius ratio, ad huius probationē. fol. 240.
Caietani rationibus, quibus tenet virum posse tota liter vxorem adulteram dimittere, at non econtra, respondetur. fol. 297.
Caietani opinio, qua asserit ex euangelio non haberi aliquod coactiuum ad intelligendum hæc verba proprie, videlicet, hoc est corpus meum, reprobatur, etiam ex eiusdemmet sententia. f. 260. & 261.
Caietanus, dum astruit virum vnum, plures habere posse vxores, etiam duas sorores viuas, errat. fol. 299.
Caracter vt est aliquorum sacramentorum effectus, quamobrem ponatur. 269.
Caracter, non potest educi de potentia materiæ, & ideo si secundum nonnullos doctores, potest à sacramentis instrumentaliter produci, & etiam ipsa gratia. fol. 235.
Causa necessaria posita, non de necessitate naturæ at libere agente, nequaquam de necessitate absoluta sequitur effectus. f. 166.
Causa secunda, etsi necessario moueatur à prima, nō tamen ipsa necessario mouet. f. 151.
Causa, duplex, altera, effectum producens, in ipsumq. influens, altera, nec effectum producens, nec in ipsum influens, at solum causa sine qua non, vocitatur. f. 168.
Causas efficientes, & totales eiusdem ordinis, vnius eiusdemque numero effectus, plures esse non posse declaratur. f. 100.
Causarum efficientium, quædam eiusdem sunt ordinis, & quædam diuersi, & quæ vtreque sint, declaratur. f. 99.
Causarum efficientium quædam immediatæ immediatione suppositi, respectu sui effectus sunt, quædam

quædam vero mediatæ. f.100.
Causæ efficientes, ac partiales vnius numero effectus, plures esse possunt. f.100.
Causa quæ mouet inquantum mota, non si necessario mouetur, necessario mouet. f.151.
Causarum efficientium eiusdem ordinis, quædam totales, ac perfectæ, quædam vero partiales, & imperfectæ sunt. f.60.
Cœlum, esse vere propriéque animatum, docet. D. Thom. ij. Cœli, plerisque in locis. f. xxxij. & ij. Contr. Gen. cap. lxx. f.33.
Cœlum, est vere, propriéque animatum, anima, scilicet, non solum motum, at esse & vitam intellectualem dilargiente. f.31.
Ceremoniarum differentiæ quot & quæ sint. f.337.
Christus, Apostolus suis, duplicem tradidit clauem, alteram scientiæ, alteram potentiæ, & quid vtraq; sit, declaratur. f.282.
Christus, ex potestate quam habuit excellentiæ, potuit absque sacramentali confessione, peccata remittere. f.289.
Christi humanitas singularis, per verbi diuini personam, terminata est. f.77.
Claues spirituales, in solo deo per essentiam, & auctoritatem sunt, in Christo, per excellentiam, in sacerdotibus vero ministerialiter. f.282.
Coacte, non absoluta coactione, sed condionata, recipiens baptismatis sacramentum, est vere baptizatus, tametsi gratiam non recipiat. f.249.
Coacta voluntas, voluntas est, & quę ex metu fiunt, inuoluntaria secundum quid, voluntaria vero simpliciter dicuntur. f.250
Confessionem sacramentalem negantes, hæretici sunt. f.288.
Confessionem, esse præceptam, probatur auctoritate Reuerendissimi Caietani, suis in opusculis, siue quol. To. ij. quæsito primo. fol.287.

Confessionem sacramentalem, & auricularem, à Christo fuisse institutam pariter & præceptam, quamoptime ostenditur. fol.283.284. & .286.

Confessionem sacramentalem, ante sumptionem Eucharistię esse faciendam, habita confessoris copia, diuino, positiuoque iure, præcipitur. f.275. & .276.

Confessionis sacramentalis, multiplex definitio datur. f.279.

Confessio, est pars materialis sacramenti pœnitentiæ. f.28.

Confessionem necessariâ fore, etiam secundum sententiam Caietani, optime ostenditur. fol.272. & .273.

Connubium, inter fratres, & sorores, siue veterinas, siue non, est contra ius naturæ, iusque diuinum. fol.300. 301. & .302.

Concilium Tridentinum, declarat eos omnes excommunicatos esse, qui quoquo modo tenuerint, confessionem sacramentalem non esse præmittendam ante Eucharistiæ sumptionem. fol. 274.

Concilium Tridentinum, decernit, omnes sacram Eucharistiam sumpturos, habita confessoris copia, ad confessionem teneri. fol. 274.

Corpus Christi, vere realiterque existere in sacratissimo Eucharistiæ sacramento, tum ipsius Christi, tum doctorum probatur auctoritate. f.257. & .258.

Corpus mobile, ita est adæquatum primarum passionum subiectum, & ita habet materiam, formam, & priuationem, pro adæquatis principijs transmutabilitatis, sicut ens mobile. fol.

fol. 7.
Corpus mobile esse subiectum philosophiæ naturalis adæquatum, ratione duplici probatur, & etiam ex sententia ipsius Caietani. fol. 4. & 5.
Corpus mobile, siue naturale, ita subiectum adæquatum in scientia naturali poni potest, sicut & ens mobile. f. 2.
Conseruatio rerum, est manutenentia, esse præhabiti ipsarum, vlla absque interruptione. fol. 116.
Contritio, sine gratia & caritate esse nequit, & Caietanus oppositum docens, errat. fol. 265. & 266.
Contritio vera, necessario exposcit & includit votum, siue propositum confitendi, ac satisfaciendi. fol. 266
Contritio, quomodo confessionis effectus esse possit. f. 267.
Contritio, peccatorum nequaquam est remissiua, nisi ex proposito confitendi, quia sine tali proposito, non est vera contritio. fol. 289.
Contritio, quæ interior pœnitentia vocatur, est res simul & sacramentum. f. 267.
Contritio, prima pars sacramenti pœnitentiæ est. fol. 265.
Credere in voluntaria consistit actione, & baptizari, in voluntaria passione. fol. 251.
Creare, & creari, quandoque proprie, quandoque communiter accipiuntur, & proprie solum subsistentibus, improprie vero non subsistentibus conuenit. f. 233.
Creatio, & conseruatio, in æternis, non re, at ratione dumtaxat discriminantur. f. 115.

Creare, est ex nihilo, aliquid facere, & creatio est progressio à non esse simpliciter, ad esse simpliciter. f.233.

Creaturæ intellectuales, secundum D. Thomam nó sunt de consideratione Theologi, nisi vt regantur, gubernantur, & prædestinantur à Deo, in ipsumque diriguntur, vt beatitudinis supernaturalis obiectum. f.135.

Creatio duplex, altera sine essendi nouitate, altera cum eiusdem essendi nouitate. f.106.

Creatio secundum propriam nominis significantiã, importat actionem, siue productionem per quam ex nihilo aliquid fit. f.105.

Creatio est alicuius rei ex nihilo, id est nullo sui prę supposito productio. f.106.

Cur corpus mobile, & quiescibile non statuatur philosophiæ naturalis subiectum. f.3.

D

DE subiectis humanæ legi atque eius obligatione. fol. 339.340.

De ratione quietis est vniformitas, & de ratione motus, difformitas. f.211.

Declaratio Capreoli, male à Caietano impugnatur. f.211.

Defectus, actum consequens, non potest agenti imputari, nisi ipsum agens, talem teneatur euitare defectum, & eius oppositum causare. f.180.

Definitionis fidei, vera declaratio. f.325.

Definitio & definitum, ex parte intellectus ratiocinantis, ratione distinguuntur. f.84.

Deformitas peccati, non consequitur speciẽ actus, prout est in genere naturæ, at eundem prout est in genere moris. f.179.

Delectatio, est quies in bono conuenienti, potentiæ coniuncto. f.232

Dæmones,

Dæmones, si in secundo instanti, impedimentum, peccando, non præstitissent, beatitudinem accepisſent. f.223.
Diuus Thomas, Scotus, Durandus, & Panor. tenent, confessionem, necessariam fore, ante Eucharistiæ sumptionem. f.274.
Deus siue prima causa, secundum commentatorem est causa omnium effectiua. f.107.& 108.
Deus primum omnium principium, non æqualiter omnibus rebus creatis prouidet, etiam secundum Aristotelis placitum. f.139.
Deus Optimus, Maximus, neminem gratia priuat, nisi præeunte eius demerito, nempe peccato. f.185.
Deus damnandos gigni permittit, ne bonitate substantialis esse priuentur. f.188.& 189.
Deus est omnium rerum intellectualium finis, naturalis, & supernaturalis. f.131.
Deus est principium, & finis, omnium rerum naturalium, & supernaturalium. f.313.
Deum, esse summę iustum, pluribus sacræ scripturæ probatur auctoritatibus. f.186.
Deus etsi vno actu, rerum multitudinem, & suam essentiam, bonitatem, & perfectionem velit, & amet, non tamen eodem modo, eademque necessitate. f.155.
Deus, absolute potest vnumquemque prędestinare, & non prædestinare. f.165.
Deus, vt supernaturalis beatitudinis finis, naturaliter ab homine appeti nequit. f.133.
Deum ab æterno, odisse Esau, quid sit. f.182.
Deus est obiectum naturalis, atque supernaturalis beatitudinis. fol.134.
Deus, cur quandoque bonis, mala, & prauis bona, euenire sinat. f.146.
Deus, Angelorum casum permisit, tantasque hominum culpas euenire, permittit, vt vniuersi perfectio maxime ostendatur. fol.145.

Deus de neceſſitate naturæ minime agit, quia voluntatis actio perfectior eſt, actione naturæ, reſpectu termini ad extra. f. 153.

Deus, cur damnandos, generari permittat pulchra adducitur ſimilitudo. f. 189.

Deus, condidit quos ab æterno præſciuit eſſe damnandos, vt humana retundatur arrogantia. fol. 190.

Deus optimus maximus, ſicut duplicem habet rationem ſummi boni, naturalis videlicet, & ſupernaturalis, ita duplicem habet rationem finis. fol. 131.

Deus, eſt omnium cauſa efficiens, nedum finalis, fol. 106.

Deus, cauſa eſt excæcationis & obdurationis, nempe ſubtractionis gratiæ, ob hominum demerita. fol. 183.

Deus, etſi aliquos prædeſtinet, & nonnullos reprobet, ob id, non eſt dicendus perſonarum acceptor. f. 187.

Dies naturalis, ſecundum aſtronomos, à puncto, meridiei inchoatur, ſecundum vero nonnullos, ab ortu ſolis, ſecundum alios autem ab occaſu, id eſt à prima noctis hora, & hoc vltimo modo inchoatur in Italia. f. 127.

Dierum ac noctium longitudo, ac breuitas, pulcherrime declaratur, & cauſa redditur. f. 125.

Dies artificialis, ſiue longiſſima ſit, vt in æſtate, ſiue breuiſſima, vt in hyeme, duodecim ſemper eſt horarum. f. 127.

Dierum, ac noctium, æqualitas, & inæqualitas pulcherrime declaratur. f. 126.

Dierum, ſecundum aſtronomos, quidam naturalis eſt, & quidam artificialis, & quid vterque ſit declaratur. f. 126.

Differentia motus continui, à diſcreto, in angelo quæ ſit. f. 207.

Dimen-

Dimensiones, in sacramento Eucharistiæ existentes, per se subsistunt, & in corpore, & sanguine Christi, non sunt sicut in subiecto. fol. 264.
Dispositio quid sit, declaratur. f. 160.
Diuinarum personarum, secundum se & absolute consideratarum, nullum quærendum est constitutiuum, vel distinctiuum, sed earundem solum, vt cadunt sub conceptibus nostris. fol. 196.
Diuinæ personæ, considerari possunt, secundum se & absolute, & vt sub nostra cognitione cadunt. fol. 196.
Diuinum mutari decretum, æternumque consilium impossibile est, diuinam vero mutari sententiam, possibile. f. 177.
Diuinarum personarum, secluſa reali distinctione, nulla alia in deo, reperitur realis distinctio. fol. 159.
Dogmatizantes, omnia, absoluta necessitate euenire vt astruunt Ioannes Vuiteleff, & Martinus Lutherus, liberum adimunt arbitrium, consilia & orationes. f. 164.
Durandi argumento respondetur, quo probare contendit, hominem in statu naturæ integræ, non potuisse vitare peccata ommissionis præceptorum gratiæ, seu caritatis. f. 317.
Duplex est quantitatis effectus, & quis. f. 264.

E

EA, quæ casu, vel fortuitu, euenium in rebus hisce mortalibus, suis causis particularibus comparata, à deo prouisa sunt, pariter, & intenta. fol. 143.

Ecclesia, dum contraxit nomen Episcopi, & presbiteri ad propria significata, gradus sacerdotij, à deo institutos, censuit, proprijs nominibus, ipsos appellitandos. f.345.

Effectus vnus numero, ab vna causa totali eiusdem generis atque eiusdem ordinis, non est idem cum effectu, à pluribus causis totalibus ac eiusdem ordinis producto. f.102

Effectus, contingentiam, libertatem, & necessitatem, à causa secunda, & proxima trahit. f.151.

Effectus diuinæ prædestinationis, partialis, potest esse causa alterius effectus. f.172.

Effectus totius diuinæ prædestinationis, causa, est sola diuina bonitas, diuinaque voluntas. f.172.

Effectus casuales, vel fortuiti & si à primario fine, ab agente particulari intento deficiant, non tamen à fine vniuersalissimi agentis, cuncta in aliquem finem ordinantis. f.140.

Effectus contingentes, ac liberi, respectu diuinæ prouidentiæ, rectè dici possunt necessario euenire, necessitate immutabilitatis. f.149.

Efficiens Physicum, etsi agere nequeat, absque potentia passiua, & subiectiua, agens tamen Metaphysicum absque hac, agere potest. f.111.

Entium sempiternorum, vti sunt intelligentiæ, ac corpora cœlestia, causa efficiens esse potest. fol. 106.

Ens substantiale, per corporeum, & incorporeum, immobile, & mobile diuiditur. f.1. &2.

Ens etsi ab esse, & actu existendi, nomen trahat, nihilominus nominaliter sumptum significat rem, cui competit, seu debetur esse. f.1.

Ens, Deo, creaturisque commune, adæquatum est Metaphysicæ subiectum. f.45.

Ens, in decem prædicamenta diuisum, est ens creatũ. fol. 48.

Æqualitas, non relatio realis est in deo, vt tenet Scotus,

tus, at rationis duntaxat vt sustinet. D. Thom: fol. 195.
Æqualitas, in diuinis duo dicit, vnitatem, scilicet essentiæ, & relationem super vnitate fundatam. fol. 195.
Æquinoctialis pars orta, si xv. erit graduum, signum cum hac parte ortum, in vna hora exortũ erit. f. 121.
Æquinoctialis circulus, quid sit, pulcherrime declaratur, & à quo causetur. & cur æquinoctialis appellitetur. f. 37.
Errauit Panormita, asserens, magis esse standum doctoris, quàm Papæ, sententiæ. f. 347.
Errauit Pellagius in hoc quod dixit, initium fidei ex nobis esse. f. 326.
Erasmi falsa interpretatio, quam dat, exponendo fidei definitionem ab Apostolo datam. f. 324.
Esse simul viatorem, & comprehensorem, proprium est ipsi Christo, & quomodo. f. 221.
Esse causatum, & si non sit de ratione entis simpliciter, nec ipsum necessario sequatur, est tamen de ratione entis participati. & illud omnino sequitur. fol. 113.
Ethiopia secundum sphæræ authorem est sub circulo æquinoctiali, secundum Albertum sub tropico cancri, secundum Ptolomæum sub vtroque. fol. 129.
Euangelij nominis interpretatio ac definitio, eiusdemque à veteri lege, discrimen. f. 337. & 338.
Excæcatio & obduratio, à deo facta, solum gratiæ subtractionem dicit, quæ pœna quædam est, iustę homini propter peccatum inflicta. f. 185.
Excęcationis & obdurationis, quonam modo, Deus causa sit. f. 183.
Excæcatio, & obduratio quid sint, quidque sonent. fol. 183.
Ex nihilo aliquid fieri quomodo intelligatur, pulcherrime

cherrime exprimitur. f.105.
Ex punitione malorum, resplendet diuinę iustitię punitiuæ bonum. f.145.
Ex sacro Euangelio apparet, omnino coactiuum aliquod ad intelligendum hæc verba propriæ, videlicet, hoc est corpus meum, tametsi Caietanus oppositum sentiat. f.259.& 260.
Extrema, per accidens idemptificata medio syllogistico, minorem idemptitatem habent inter se, quã in medio. f.192.

F

FALLACIA hominum iudicia, quandoque bonos, prauos existimant, & prauos, bonos, & propterea, bonis mala, & prauis, bona, euenire dijudicant. f.146.
Falsa est Scoti opinio, asserentis, Angelos in primo instanti, non potuisse mereri. f.217.
Falsa, est Capreoli opinio asserentis Angelos malos, nunquam meruisse. f.216.
Fatum plerique negauere, & qui. f.147.
Fatum, quid sit, à Boëtio optime diffinitur. f.147.
Fatum, solum in rebus mobilibus, reperiri potest. fol. 147.
Fatum, immobile, ac mobile, vnum, ac plura, respectu diuersorum, dici potest. f.148.
Fatum, ex diuina oritur prouidentia, sicuti effectus, à causa. f.148.
Fatum, in quo, à diuina discriminetur prouidentia. fol. 148.
Fides viua, & fides mortua, quæ sint, & quomodo ab inuicem discriminentur. f.327.
Fides, sine caritate, esse potest, & id, scripturæ auctoritatibus probatur. f.328.
Fides, sine caritate, homini iustificationem, minime affert. f.328.

Fides, spes, caritas, quomodo ad gratiam comparentur. f.eod.
Fides, & opera, quomodo ad hominis iustificationem concurrant. f.327.
Finis hominis naturalis, sibique proportionatus, ille est, in quem proprijs naturæ viribus, peruenire, ipsum assequi, ipsoque frui potest. f.133.
Finis rei creatæ duplex est, alter quidem ipsius rei proportionem non excedens, alter vero eiusdem rei creatæ facultatem exuperans. f.132.
Flandrensis opinio, tenentis ens in decem prædicamenta diuisum, esse adæquatum subiectum metaphysicę, reprobatur, suisque rationibus respondetur. f.51.52.53.
Forma motus grauium, & leuium, non est principium, quod, ipsius motus, sed quo. f.15.
Fundamento, cui potissimum innituntur tenentes in distinctionem realem relationis, à suo fundamento, respondetur. f.92.93.94.95.& 96.
Furiosi, amentes & dormientes, si ante furiam, amentiam, & dormitionem, habuerunt intentionem suscipiendi baptismа, possunt baptizari, & vere baptizati sunt. f.250.

G

Glossa reprobatur, quæ tenet, quòd baptizans si incendit baptizare, qualemcunque intentionem habeat baptizatus, recipit sacramentum. f.249.
Glossa falsum asserit, dum docet, quòd si quis baptizatur, tametsi corde dissentiat, ore tamen consentire se dicat, sacramentum recipit. fol. 249.
Gratia, non habet rationem speciei, nisi sub qua. fol. 217.
Gratia, est causa formalis virtutum, & non effectiua & quomodo. f.332.

Gratia sacramentalis, nequit esse dispositio ad gratię gratum facientis susceptionem, & causa redditur. fol. 270.
Gratia gratum faciens, distinguitur à virtutibus Theologicis, & est subiectiue in essentia animæ, & non in potentia. f. 322.
Gratia, in sacramentis est secundum esse fluens & imperfectum, quia non inconuenit in corpore esse virtutem spiritualem instrumentaliter. &c. fol. 236.
Gratia sicuti è nihilo producitur, ita cum esse desinit, in nihilum redijt, & in hoc reprobatur Caietani opinio. f. 237.
Gregorius Arriminensis, negat secundum Aristotelem, Deum esse causam omnium rerum efficientem. f. 106
Gloriæ consecutio, siue adeptio, non gloria ipsa, sub prædestinationis effectu cadit. f. 172. & 173.
Grauia & leuia per se à generante mouentur, & corrupto generante particulari, à quo moueantur pulcherrime declaratur. f. 13. & 14.
Grauia & leuia, secundum Petrum de Aluernia, per se, mouent se, per accidens autem mouentur, & opinio hæc vti falsa reprobatur. f. 17.
Grauia, & leuia, secundum Burlæum, de potentia accidentali, ad actum accidentalem, non à generante, sed à seipsis mouentur, & reprobatur hæc opinio. fol. 17.
Gubernatio quid sit ostenditur. f. 141.

H

Habitantes sub circulo æquinoctiali, duas habent æstates, & duas hyemes. f. 128.
Habitantibus terram, quorum zenith, est inter tropicum cancri, & circulum arcticum, nunquam vmbra est perpendicularis, & illis solum vna est æstas, &

& vna hyems,& hic est situs noster. f.eo.
Habitatoribus terræ,quorum zenith, est inter circulum arcticum,& polum mundi arcticum, illis posset esse vna dies vnius mensis,vel plus, & nox similiter. f.eo.
Habitatoribus sub eodem circulo æquinoctiali,qnque causantur vmbrę. f.128.
Habitantibus prædictis, solum in vnica vnius diei hora,vmbra est perpendicularis,siue sub pedibus. fol. eo.
Habitatoribus, quorum zenith est inter circulum æquinoctialem,& tropicum cancri, semper apparet polus arcticus, & hi duas habent æstates, & duas hyemes. f.128.
Habitantibus terram,quorum zenith, est in tropico cancri,solum vna est æstas,& vna hyems. f.129.
Habitus est relatiuum secundum dici, non autem secundum esse, & quatenus relationem connotat, ad ipsum non est alteratio, nec motus. f.96.
Hæc propositio. Numeralis distinctio, primo quãtitati conuenit,& per ipsam omnibus alijs, iuxta regulam Posterioristicam, male à Caietano interpretatur,& propterea reprobatur. f.66. & .67.
Herueus tenet, materiam, & formam,esse intrinsecum indiuiduationis principium,& quantitatem, esse causam dispositiuam pluralitatis substantiæ. fol. 60.
Heruei positio,de indiuiduationis principio,reprobatur. f.60. & 61.
Hæreticum est, astruere, omnia absoluta necessitate euenire,vt asseruit Ioannes Vuitcleff.& Martinus Lutherus. f.150.
Homo bifariam considerari potest, altero quidem modo absolute vt in puris naturalibus,extat,altero vero modo,vt ex diuina prouidentia,ad fœlicitatem ordinatur æternam. f.133.
Homo naturali appetitu, siue inclinatione solum in

ipsum Deum, vt naturalem omnium finem ferri potest. f.134.
Homo beatitudinem secundum communem rationem, at non sub particulari ratione, appetere potest. f.134.
Homo, agnito supernaturali aliquo effectu, vt sunt gratia & gloria, naturaliter appetere potest deum ipsum, vt supernaturalis beatitudinis finem. fol. 135.
Hominem liberi esse arbitrij, & rationibus, & sacrarum scripturarum auctoritatibus, probatur. fol. 312.
Homo, in statu naturæ integræ, poterat omnia, & singula peccata vitare absque habituali gratia, & declaratur. f.316.
Homo, in statu naturæ corruptæ auxilio gratiæ, potest quidem omnia peccata mortalia vitare, sed non omnia venialia. f.318.
Hominem à peccato resurgere, nil aliud est quàm ipsum iustificari, deoque gratificari. f.314.
Homo, ex solo libero arbitrio, absque diuina speciali motione, nequit se ad gratiam suscipiendam præparare. f.313.
Homo, in mortali peccato existens, absque diuinæ gratiæ auxilio, ab eodem resurgere nequit. fol. 314.
Hominis ad deum, duplex subiectio, & quæ. fol. 315.
Homo, seipsum probare debet, non solum contritione, at etiam confessione, si digne Eucharistiam sumere debet, quod & astruit Caietanus. fol. 273.
Homo, per fidem in deum ducitur sicuti in vltimum finem. f.135.
Homo, in instanti mortis, mereri & demereri potest, vtpote in termino viæ existens. f.226
Homo, in peccato mortali existens, ante gratiæ susceptio

ſceptionem, poteſt ſingula quidem mortalia peccata vitare, non tamen omnia. f. 318.
Hora, diem artificialem conſtituens, duplex eſt, artificialis, ſcilicet, & naturalis, & quæ vtraque ſit pulcherrime demonſtratur. f. 127.
Humanitas, à Chriſto aſſumpta, caruit entitate poſitiua perſonalitatis creatæ. f. 79.

I

Indiuiduationis principiũ, non eſt hecceitas, vt tenet Scotus, & eius rationes, vna cum confirmatione Antonij Trombetæ deſtruuntur. f. 57. 58. & 59.
Indiuiduum quodlibet, duo dicit, indiſtinctionem videlicet à ſe, & in ſe, & diſtinctionem ab alijs. fol. 57.
Indiuiduum materiale, à materia, incommunicabilitatem habet, & à quantitate, diſtinctionem ab alio indiuiduo, vt eſt determinatum ad hic, & nunc. f. 68.
Impoſſibile eſt Angeli motum, in inſtanti fieri. fol. 209.
Impotentiam vitandi omne peccatum, quæ conſtituant. f. 319.
Impotentia, ſiue impoſſibilitas duplex, naturalis, videlicet, & logica. f. 100.
Impuritas, quid ſit. f. eod.
Iniquitatem, in Deo, eſſe non poſſe, & ſacræ ſcripturæ auctoritate, & ratione, probatur. f. 186.
Inconſideratio, non fuit, nec eſſe potuit primum Angeli peccatum, ſed eiuſdem cauſa extitit. f. 228.
Inſtans, menſurans operationem Angeli, non ſolum correſpondet vni inſtanti, at etiam vni parti, temporis noſtri. f. 213.
Inſtantijs, & argumentis, tum Scoti, tum Gregorij Arriminenſis, veritatem impugnantibus, reſpondetur. f. 212. & 213.

Instantia duo, operationem angeli mensurantia, im mediata esse possunt. f.213.
In sphæra recta, & obliqua partes æquinoctialis, æquales habent ascensiones quolibet tempore, nõ tamen partes zodiaci dum super polis mundi mo uentur. f.120.
In genere entium separatorum, non repugnat aliquod vnum dari, quod sit omnium entium causa. fol. 113.
Inæqualitatis, ac diuersitatis dierum, ac noctium, in sphæra obliqua, est etiam, maioritas arcuum à solo descriptorum, & ab orizonte obliquo inæqualiter intersectorum. f.127.
In vno temporis instanti, sunt plura instantia naturæ. f.331.
In omnibus rebus à materia separatis, illud, quod est principium finale, est etiam principium efficiens. fol. 111.
In quibus, homo, deo simpliciter subijcitur. f.316.
In actu intelligendi, resplendere obiecta in actu cognito, sub modo eorum existentiæ extra, falsum est. f.25.
In secundo Angelorum instanti, simul fuit fieri, & factum esse, meritum & præmium. f.220.
In libero arbitrio duo implicantur, iudicium, videlicet, & iudicij libertas. f.130.
In sacramento pœnitentiæ tria reperiuntur, & quæ. fol. 266.
In actu liberi arbitrij, peccatum dupliciter esse potest. f.227.
In appetentia proprij boni, non seruari superioris regulam, bifariam contingit. f.230.
In quo conueniant, in quoque discriminentur Capreolus, & Caietanus, in eo quod addit suppositum, hipostasis & persona, super naturam singularem. f.75. & 76.
In iustificatione hominis, quattuor necessario concurrunt,

currunt,& quæ . f.332.
In deo,ea solum realiter distinguuntur, quæ oppositionem habent relatiuam . f.193.
In grauibus & leuibus reperitur quidem principiũ formale quo , at non quod sui motus . f.16.
Intentio quid sit , & cuius potentiæ animæ actus . fol. 246.
Intentio,per se requiritur ad hoc,vt adultus, verum suscipiat baptisma , & reprobatur Caietani opinio tenentis,intentionem solum per accidens cõcurrere . f.246.&.247.
Inter creaturam , & creatorem , ius simpliciter reperiri nequit,sed solum ex suppositione. f.215.
Inseparabilitas matrimonij est de iure naturæ,de iure diuino , & de iure humano . f.292.
Intellectus , quomodo dicatur liber radicaliter , & originaliter . f.308.
Intellectum, non esse liberum radicaliter , probare conatur.Ant.Andr.de mente Scoti, atqui nil probat , & eius soluitur ratio . f.308.
Intellectum , ita liberum esse, sicuti voluntas libera est,nonnulli astruunt, & male, & suæ respondetur rationi . f.309.&.310.
Intellectus existens in potentia essentiali , non primo recipit actionem qua transitur ad formam , sed formam ipsam actionis principium , nempè speciem intelligibilem . f.26.
Intellectus duplex,agens,scilicet & possibilis, & qd vterque sit,quodque vtriusq; munus, declaratur . fol. 19.&.20.
Intelligentias , per seipsas indiuiduari pluribus in locis,docet . D.Th. f.68. &.69.
Intentio,respectu baptizandi adulti, ad talem baptismi susceptionem , requiritur per se vt causa sine qua non . f.248.
Intelligentiæ,quæ immateriales penitus sunt,à quo indiuiduationem trahant , optime declaratur .

fol. 68.
Interpretatio vera omnium auctoritatum, quibus nonnulli arbitrati, sunt prouidentiam Dei ad corruptibilia non se extendi. f.142.&143.
Interpretatio Capreoli, verbis Diui Thomæ reddita, nullatenus est acceptanda, quoniam Diuo Thomæ repugnat. f.216.
Inter gratiam & virtutes, quod, & quale discrimen sit. f.323.
Interior pœnitentia, quæ contritio est, dupliciter considerari potest. f.267.
Ioannes Bacon, male interpretatur hanc propositionem, omne quod sibi derelictum, est nō ens, habet sui causam efficientem. f.110.
Ioannis Bachonis, soluuntur rationes, aduersus necessitatem specierum intelligibilium. f.24.25.26.&27.
Ioannes à Gandauo, maxime errat, dum asserit Deum non esse omnipotentem, nisi ex potentia actiua, quæ sine passiua esse non potest. f.118.
Iustitia duplex, altera operis, altera dei. f.330.
Iustitia distributiua, respectu eorum, quæ ex debito dantur, æqualibus, semper æqualia bona reddit, vel mala. f.186.
Iustitia distributiua, respectu eorum, quæ sponte, liberaliter, & misericorditer elargiuntur, non necessario æqualibus meritis, vel demeritis, æqualia reddit præmia, vel pœnas. f.186.

L

Legis definitio triplex. f.333.&334.
Lex, in æternam, naturalem, & scriptam, & quæ vna quæque earum sit. f.334.
Lex naturalis, quomodo immutabilis, & indelebilis sit. f.334.&335.
Lex scripta, duplex est, scilicet diuina & humana diuinaque

uinaque in Mosaycam & Euangelicam, diffecatur. fol. 335.
Legis humanæ, definitio, neceſſitas, vtilitas, & effectus. f. 339.
Legis humanæ, quattuor ſunt actus, & qui. f. 339.
Legis veteris, quis auctor, quibus data, quæ præcepta, & eius impotentia. fol. 335. & 336.
Libellus repudij quid ſit, qui etſi permiſſus fuerit ob minus malum, nunquam tamen licitus fuit. fol. 294. & 295.
Liberum arbitrium, homini ineſſe, ex ſacris probatur litteris. f. 164.
Liberum arbitrium, & voluntas, non ſunt duæ potentiæ realiter diſtinctæ, & declaratur. f. 331.
Liberum hominis arbitrium, ſecundum Auguſtinū, cauſa media & proxima eſſe videtur, noſtræ ſalutis, noſtræque perditionis. f. 187.
Luxuria, in Angelo primum peccatum eſſe nequiuit, & quare. f. 231.

M

Magistri Chryſoſtomi impugnatur reſponſio, vti Ariſtoteli &. D. Thomæ aduerſa fol. 11.
Materia ſignata, eſt intrinſecū indiuiduationis principium, in rebus materialibus. f. 60.
Matutina cognitio, in quo differat à veſpertina, declaratur. f. 219.
Mentitur, Ioannes Vſſ. dum aſtruit Paulum, nunquā fuiſſe diaboli membrum. f. 166.
Mentitur Lutherus, tranſubſtantiationem panis in verum Chriſti corpus ante trecentos annos, eccleſiæ fuiſſe ignotam. f. 262.
Meritum, neceſſario debitum includit, innititurque non largitati, at iuſtitiæ. f. 214.

Meritum angeli, vt in pura via existens, duratione, præmium præcedit, vt in viæ termino, est simul cum præmio. f.225.
Meritum in angelis, non præcessit præmium tempore, sed natura. f.223.
Mouens seipsum, diuiditur semper in partem mouẽtem, & partem motam. f.17.
Motus grauium, & leuium, secundum commentatorem primo, & per se, & essentialiter à generante non est, sed ab ipsorum formis. f.16.
Motus localis angeli, est transitus ipsius ab vno loco in quo prius operabatur, ad alium in quo posterius operatur. f.207.
Motus angeli potest esse continuus, & discretus, & quonam modo, declaratur. f.207.
Motus angeli discretus, potest ex indiuisibilibus cõponi. f.eod.
Motum mundum, esse æternum, generationemque esse perpetuam, nullatenus demonstrauit Aristoteles. f.154.

N

NATVRA, & suppositum quid sint. f.71.
Natura singularis angelica, à dei verbo assumptibilis erat, non autem persona, quæ supra præfatam naturam, perfectionem quandam intrinsecam addit. f.78.
Natura singularis, tunc personatur, quando terminatur, & personare naturam, est ipsam terminare. f.77.
Natura quælibet communis, indiuisionem ac indistinctionem quandam habet, & quam. f.88.
Naturæ diuinæ repugnat per alium actum, quam intellectus, & voluntatis communicari. f.153.
Natura, secundum se, nudeque accepta, vt omni est explicata diuino munere, non inclinat, nisi ad id, quod

quod infra eiusdem naturæ limites est. f.133.
Nemo gratia diuina priuatur, nisi qui gratiæ impedimentum præstat. f.184.
Nihil, ab vniuersali prouidentiæ fine deficere valet, tametsi à particulari quandoque deficiat. f.157.
Non potest vere dici, hic panis est corpus Christi, vt inquit Martinus Lutherus. f.162.
Nulla creatura potest principaliter, vel instrumentaliter, concurrere ad creationem subsistentium. fol. 233.
Nullus, sine sacramento baptismatis in re, vel in voto, saluari valet, & probatur tum ecclesiæ definitione, tum doctorum auctoritate. f.239.

O

OBIECTVM vniuersale, esse prius specie intelligibili, duabus rationibus probare contendit, Ioannes Bachon, quibus respondetur. f.28.
Omnia ad finem aliquem sunt ordinata, tametsi nõ nulla ab ipso fine deficiant. f.140.
Opera hominis in triplici sunt differentia. f.60.
Opinio Reuerendissimi Caietani, de confessione nõ præmittenda, etiam habita confessoris copia, ante Eucharistiæ sumptionem, ponitur suis cum fundamentis. f.171.
Opera moraliter bona, non sufficiunt ad gratiæ diuinæ præparationem. f.313.
Opinio Capreoli, de ornatu, & de gratia sacramentali, quòd dispositio sit ad gratiam gratum facientem, reprobatur. f.268.&.269.
Opinio Dominici Soto, de causalitate gratiæ respectu humanitatis Christi, reprobatur. f.237.
Opinio Caietani, de prouidentia diuina, an dicat, rationem ordinis in finem & simul euentum, non approbatur. f.156.
Opinio Caietani, de concordantia diuinæ prædestinationis,

nationis, certe & infallibilis, cum libero arbitrio. fol. 166. & 167.
Opinio Caietani, de diuina prędestinatione, in quo reprobetur. f. 162.
Opinio, Henrici à Gandauo, tenentis aliquid ex parte nostri, esse causam diuinæ prædestinationis, reprobatur. f. 171. & 172.
Opinio Caietani tenentis, (sub correctione tamen,) paruulos, in maternis vteris periclitantes, posse saluari, in voto parentum cum aliqua benedictione prolis, & inuocatione Trinitatis, reprobatur, suisque rationibus fit satis. f. 244. & 245.
Opinio Scoti, de constitutiuis diuinarum personarum, reprobatur. f. 198.
Opinio Capreoli, de constitutiuis diuinarum personarum. D. Thomæ conformis est, non autem Caietani opinio. f. 204.
Opinio Scoti, tenentis deum, vt supernaturalis beatitudinis finem, naturaliter appeti posse, reprobatur, sueque rationes soluuntur. fol. 136.
Opinio Magistri Francisci Ferrarienſis, tenentis visionem diuinæ essentiæ, finem esse supernaturalem, non quia nullo modo naturaliter desideretur &c. impugnatur. f. 134.
Opinio sacrorum doctorum, Caietani opinioni opposita, ponitur. f. 272.
Opinio Dominici Soto, tenentis deum, vt supernaturalis beatitudinis finem, ab homine naturaliter appeti posse, reprobatur. f. 135.
Opinio illorum reprobatur, qui tenent Angeli motum, in instanti fieri posse. f. 210.
Opiniones, de institutione confessionis deque eiusdem præcepto, recitantur. fol. 281. & 282.

Opinio

Opinio Magistri Fracisci, tenētis Angelos bonos, in secūdo instāti nō promeruisse, reprobatur. f.222.
Opinio Magistri Francisci Ferrarien sis, tenentis duo corpora luminosa eiusdem virtutis & æque eidem passo approximata non agere, eliditur. fol. 102. & .103.
Opinio Reuerendissimi Caietani, tenentis plures sacerdotes nouiter ordinatos ab episcopo, non consecrare eandem hostiam, quam consecrat episcopus, reprobatur. f.104.
Opinio Magistri Chrysostomi, tenētis plures ignes totales eiusdem generis, ac eiusdem ordinis, non posse eandem numero materiam dispositam comburere, reprobatur. f.102.
Opiniones variæ de adæquato Metaphysice subiecto. f.48.
Ordo quidam rationis est, inter actum intellectus diuini & voluntatis eiusdem. f.161.
Orizon obliquus, solum in sphæra obliqua, diuidit circulum æquinoctialem in duas partes æquales, in principio videlicet, arietis, & in principio libre. f.128.
Ornatum, non esse ponendum, veluti tertiam sacramenti partem, vt compluribus placet doctoribus. fol. 268.

P

Panis, non remanet post cōsecrationem, in sacramento Eucharistiæ, vt nonnulli asserunt. f.262.
Phantasmatis illustratio, à quo, & quomodo fiat, clarissime ostenditur. f.20.
Papa solus, toti præest ecclesiæ, & non econtra, quoniam à Christo, caput ipsius est institutum. f.346.
Papa, habet plenitudinem potestatis, & in determinatione eorum, quæ ad fidem spectant, errare non test. f.346.

Paruulis, non est necessaria intentio interpretatiua ad hoc vt baptismatis sacramentum suscipiant, vt inquit Durandus. f.255. & .256.
Paternitas, secundum Caietanum, sub expressa ratione paternitatis, vt concepta, constituit hipostasim. f.204.
Peccatum mortale, est æternæ damnationis, demeritoria causa. f.178.
Peccatum mortale, non aufert principibus, & dominis, potestatem præcipiendi, & obligandi subditos per legem ab ipsis conditam. f.341.
Peccatum Angeli, fuit ex electione irregulata, siue ad deum non ordinata. f.227.
Peccati actio, à deo quidem est, at non eiusdem peccati deformitas, & irrectitudo, quoniam à solo hominis libero arbitrio est. f.179.
Pœnitentiæ sacramentum, à Christo fuisse institutum, ex verbis Ioan. xx. cap. pulcherrime declaratur. fol.283.
Pœnitentiæ sacramentum, & confessionem sacramentalem eius partem, à Christo fuisse institutam, & præceptam. f.eo.
Pœnitentia interior, est ipsa vera contritio. f.267.
Personæ diuinæ, essentiæ realiter idemptificantur, at ratione distinguuntur. f.197.
Personalitas, est realitas quædam in genere substantiæ reductiue locata, estque naturæ substantialis, & singularis, terminus vltimus. f.77.
Personæ diuinæ, non constituuntur in esse hypostatico, seu personali, per aliquod absolutum. fol. 197.
Personæ diuinæ, in esse hypostatico, siue personali, non constituuntur originibus, & cur. fol. 199. & .200.
Personas diuinas, constitui in esse hypostatico, seu personali, per relationes, pulcherrime probatur. fol. 201.

Poli mundi quid sint,& cur vnus,arcticus, alter vero antarcticus, nuncupetur. f.37.
Poli mundi, non sunt idem cum polis zodiaci,quia distant ab eisdem, per. xxiij. gradus, & .lj. minuta. f.37.
Poli zodiaci,duos describunt circulos, scilicet arcticum, & antarcticum. f.37.
Potentia animæ ad gratiam,modo quodam naturalis est, & modo quodam supernaturalis. f.137
Potentia quælibet secundum.D.Thomam, vel naturalis est,vel violenta, aut obedientialis, nec vlla datur potentia neutra. f.136.
Possibilitas, siue potentia duplex, naturalis videlicet, & logica, & quæ vtraque sit ostenditur. fol. 100.
Possunt plures sacerdotes, simul vnum eundemque paruulum baptizare, & vnam eandemque hostiã consecrare, etsi sint causæ totales eiusdem generis eiusdemque ordinis, quia agunt virtute Christi. qui vnus est. f.103.&.104.
Potentiam creandi, esse creaturæ communicabilem de possibili, & de facto, respectu gratiæ, ex. D. Thoma probatur. f.235.&.236.
Potentia obedientialis quid sit, declaratur. f.136.
Potentia naturalis,actum dumtaxat naturalem respicit, quem ipsa potest elicere. f.137.
Potentia creandi, respectu non subsistentium, est creaturæ cõmunicabilis instrumentaliter, quamquam plures doctores oppositum sentiant. fol. 234.
Ponere hecceitatem, esse indiuiduationis principiũ, est pluribus Aristotelis auctoritatibus contradicere. fol.59.&.60.
Potestas ecclesiastica duplex,altera iurisdictionis,altera consecrationis; & quæ vtraque sit. f.342.
Potestates,plurimæ sunt,potestate simplicis sacerdotis præstantiores. f.342.

Potestas pontificia, est omnium suprema. f. 342.
Prædestinatio diuina, quid sit, & an electionem supponat, & dilectionem. f. 159.
Prædestinatio, principalius intellectui, quàm voluntati attribuitur. f. 163.
Prædestinatio diuina, electionem, & electio, dilectionē supponit, & id pulcherrime declaratur. f. 161.
Prædestinatio, iuxta Caietani placitum, præscientiam futurorum non prædestinatorum, supponit. f. 162.
Prædestinatio Petri, secundum Caietanum, non præsupponit præscientiam futuræ gloriæ ipsius. f. 162.
Prædestinatio, ex eundemmet Caietanū, non supponit omnium futurorum præscientiam. f. 162.
Prædestinationis ordo respectu tum vniuersalis, tum particularis, ac determinati finis, certitudine gaudet. f. 157.
Prædestinatis, etsi velit deus æternam gloriam imparturi, adultis tamen operari valentibus, hanciam, non nisi ex meritis reddit. f. 188.
Prædestinati, non necessitate absoluta, at suppositionis, & immutabilitatis dumtaxat, saluātur. f. 165.
Prædestinatio diuina, precibus sanctorum adiuuari potest, tametsi nonnulli oppositū senserint. f. 176.
Prædestinatis, in mortali mori peccato, prorsus repugnat. f. 166.
Præscientia, prouidentia prædestinatio, ac reprobatio, ex parte rei minime distinguuntur, at solum ex parte nostri. f. 160.
Præscientia, prouidentia, prædestinatio atque reprobatio, prioritatem & posterioritatem solum habent ex parte intellectus nostri. f. 160.
Præscientiam meritorum, secundum D. Augustinū ac. D. Thom. ac plerosque alios doctores, non esse vere causam diuinæ prædestinationis, seu totalis eius effectus. f. 171.
Præscientia demeritorum, causa est reprobationis, quo

quo ad vltimum effectum. f.188.
Præscientiam meritorum, esse causam sine qua non, diuinæ prædestinationis, tenuerunt Origenes, D. Ambrosius, D. Chrisostomus &. B. Prosper. f.169.
Præscientia meritorum Christi, est causa sine qua non, prædestinationis paruulorum. f.175.
Presbiter, & episcopus, in sua prima institutione, latiorem habuerunt significationem. f.345.
Prima angelorum operatio, & ipsorum fuit & dei. fol. 218.
Primum peccatum in Angelo, nequiuit esse peccatum ommissionis, vel inconsiderationis. f.232.
Principium indiuiduationis completũ, & perfectum nec materia sine quantitate, nec quantitas, sine materia, esse valet. f.62.
Processio amoris in diuinis, etsi non opponatur paternitati & filiationi ratione relationis, eisdem tamen opponitur ratione originis. f.194.
Prouidentiam diuinam negarunt, omnes antiqui philosophi, qui solum materialem causam, non item finalem posuere. f.139.
Prouidentia secũdum philosophos quid sit perpulchre ostenditur. f.141.
Prouidentia quid sit secundum Boetium. lib. iiij. de consolatione, prosa. vj. optime declaratur. f.141.
Prouidentia, ex quibus maxime claresçat, exemplo declaratur. f.141.
Prouidentia diuina, etsi à Commentatore Auerroë concedatur, eam tamen esse omnium singularũ, quo ad omnes earum operationes proprias, inficiatur. f.140.
Prouidentia diuina, respectu principalis prouisi nempe vniuersi, omnia tribuit ad finem conferentia, & cuncta remouet impedimenta, affectioni finis obsistentia. f.142.
Prouidentiam diuinam, omnium esse duplici ostẽditur ratione. f.143.

Prouidentia diuina essentialiter ad intellectum pertinet, licet voluntatis finem supponat. f.141.
Prouidentia, nequit esse ordo ipse in rebus repertus. fol. 142.
Prouidentia, respectu prouisi non principalis, remouet quidem à natura, intrinseca impedimenta, at non omnia extrinseca. f.142.
Prouidentia diuina, si causarum contingentium, & libertate gaudentium, effectuum deficientiam nõ admitteret, non suauiter cuncta disponeret. fol. 140.
Prouidentia, in quo à gubernatione discriminetur. fol. 142.
Prouidentia diuina, sine fato exerceri, non valet. fol. 147.
Prouidentiæ ordo, bifariam certus dici potest, in particulari, scilicet, & in vniuersali. f.157.
Prouidẽtia diuina, ideo malos ac improbos sustinet, ac ipsos sinit exuberare diuitijs, quia inde plurima bona proueniunt. f.145.
Prouidentia diuina, essentialiter est excogitatio intellectus diuini, seu ratio ordinis rerum in finem. fol. f.141.
Prouidentiam, deus, habet excellẽtiorem hominum iustorum, quam impiorum. f.145.
Prouidentia, quomodo certa dici possit non solum in vniuersali, verum & in particulari respectu ordinis, simul & euentus ipsius finis. f.158.
Prouidentia extante certa, & infallibili, cur impossibile videtur, vt effectus contingentes eueniant & liberi. f.148.&.149.
Prouidentia diuina, etsi certa sit & infallibilis, non tamen consilia, orationes, & cætera id genus, excludit. f.150.
Pueri, in maternis vteris existentes, nec baptizari, nec saluari possunt, & id, optime probatur. fol. 243. &. 244.

Quadru-

Q

QVADRVPLEX affertur responsio ad dictum. D. Thomæ. prohemio Physic. vbi videtur negare corpus mobile esse scientiæ naturalis adæquatum subiectum. f. 10.

Quando, ista dictio, Inquantum, quandoque reduplicatiue, quandoque specificatiue teneatur. fol. 44. & 45.

Quattuor Patriarcharum, tria sunt priuilegia, & quæ. f. 346.

Quæ astra simul oriantur cum signis zodiaci. fol. 123.

Quæ, ad fidem necessario requirantur. f. eod.

Quæ & quot requirantur ad hoc, vt relatio, realis esse dicatur. fol. 195.

Quæ sit causa fidei, quique sint eiusdem effectus. fol. 324.

Quæcunque vni & eidem, sunt eadem, sunt etiam eadem inter se, quomodo hæc propositio intelligenda sit. f. 192.

Quicquid vult Deus, voluntate non antecedente, at consequente, omnino eueniet. f. 19.

Quid argumenti nomine, in definitione fidei, positi, intelligatur. f. eod.

Quid graue simpliciter sit atque leue. f. 13.

Quid significetur nomine quodquidest, & cuius est, & quòd solius speciei, est quodquidest. fol. 82.

Quid in his Christi verbis, Hoc est corpus meum, significet, pronomen, hoc, & verbum, est. fol. 259.

Qui doctores, teneant relationem prædicamẽtalem omnem, realiter à suo fundamento distingui, quique indistinctionem sustineant. fol. 91.

Qui hæretici, negarint veram realemque existentiam corporis Christi, in sacratissimo Eucharistiæ sacramento. f.257.
Quibus habitatoribus terræ, est vnus continuus dies per sex menses sine nocte, quibusque nox est per totidem menses sine die. f.130.
Quibus habitatoribus, dies est viginti quatuor horarum, & nox vnius instantis, & nox est horarum totidem, & dies vnius instantis. f.129.
Quinque in cœlo zonæ, & quinque in terra, his suppositæ, tum secundum Poëtas, tum secundum astronomos, dantur. f.38.
Quodquidest, & id cuius est logice loquendo, idem sunt realiter. f.83.
Quo, natura, & suppositum, in rebus materialibus, extrinsece, & realiter distinguantur. f.74.
Quomodo intelligenda sit hæc propositio, Omne quiescens in aliquo toto tempore, in quolibet illius instanti, eodem modo se habet. f.211.
Quomodo in intelligentijs reperitur abstractum, & concretum, vniuersale & particulare. f.69.
Quomodo intelligenda sint Apostoli Pauli, & Iacobi verba, quæ adinuicem pugnare videntur, dum loquuntur, de operum iustificatione. fol. 329.
Quomodo intentio, & fides, concurrant ad baptismatis susceptionem. f.251.
Quomodo corpus, & sanguis Christi, in sacramento altaris, sint sub dimensionibus panis, diuisibiliter, & indiuisibiliter. f.264.
Quomodo totus Christus, sit sub vtraque specie sacramenti Eucharistiæ. f.263.
Quot, & qui circuli, à sole describantur. fol.37. &.38.

Ratio

R

RATIO diuina, in definitione prouidentiæ posita, est essentia ipsa diuina intellecta, siue idea, siue conceptio practica, in mente diuina existens, ordinis rerum in finem regulatiuam. f. 141.
Ratio formalis subiecti scientiæ, duplex est, altera ipsius, vt res est, altera ipsius, vt scibile est. fol. 45.
Rationes, quibus probatur, prædestinatos omnes, de necessitate saluari. f. 165.
Rationi Caietani, aduersus Capreolum, facte, respondetur. f. 68.
Rationibus Pauli Soncinatis, negantis corpora cœlestia esse animata, perpulchre respondetur. fol. 35. & 36.
Relucentia diuinæ bonitatis, per modum misericordiæ, & per modum iustitiæ punitiue, est causa prædestinationis, & reprobationis. f. 173.
Rerum diuersitas, maximam constituit pulchritudinem, qua sublata illico turpitudo consurgit. fol. 144.
Res omnes in suos proprios fines tendunt, at nonnullæ indefectibiliter, nonnullæ vero defectibiliter. f. 140.
Resurgere hominem à peccato, non solum est ab actu peccandi cessare, sed recuperare ea bona, quæ peccando amisit. & profligare detrimenta, quæ incurrit. f. 315.
Relationes reales dari, ac existere in rerum natura, absque omni intellectus apprehensione aduersus Aureolum, Arist. Comment. ac Auic. expressis probatur auctoritatibus. f. 86.
Relationem, realiter à suo distingui fundamento ex Aristotele probatur. f. 97.

Relationem, realiter à suo distingui fundamento, duabus probatur auctoritatibus. Diui Thomæ. fol. eo.
Relatio, habet proprium esse in, & proprium esse ad reale. f. eo.
Relatio, vt relatio, non componit cum eo cuius est, at solum quatenus accidens est. f. 96.
Relationis, diuersa sunt principia, à principijs aliorum generum. f. eo.
Relatio distantiæ, & duplicitatis, realiter à suo fundamento distinguitur. f. 96.
Relationes reales in deo, quattuor sunt. f. 191.
Relationes diuinæ, non accidentia, at ipsa diuina essentia sunt. f. eo.
Relatio realis, super alia relatione, quatenus relatio est, fundari nequit, & quare. f. 195.
Relatio diuina, sub diuersis potest considerari rationibus, & sub ipsis, diuersa, constituere. fol. 202.
Relationes diuinæ, secundum Capreolum, sunt diuinarum personarum constitutiue, sub ratione formarum incommunicabilium. f. 203.
Relationes diuinæ, secundum Caietanum, infra latitudinem relatiuam, & vt diuini sunt ordinis, & substantifice, diuinas constituunt personas, in esse hypostatico & personali. f. 204.
Relationes, communis spirationis actiue, & processionis passiue, secundum actionem voluntatis accipiuntur. f. 191.
Relationes diuinæ, vt incommunicabilis formæ rationem habent, sunt diuinarum personarum constitutiue pariter & distinctiue. f. 198.
Relationes paternitatis, & filiationis, secundum actionem intellectus sumuntur. f. 191.
Reprobatio, intellectum & voluntatem includit. fol. 178.

Reprobatio, proprie, diuinæ electioni, opponitur. fol. 177.
Reprobationis, plures assignantur definitiones. fol. 178.
Reprobatio, quomodo à prædestinatione differat. fol. 178.
Reprobatio diuina, nil adimit de potentia, seu virtute reprobati. f. 184.
Reprobatus, non perit, absque ipsius demerito. fol. 184.
Reprobatus, cum nolit se ad gratiam præparare, propterea damnatur. f. 188.
Reprobatus, si gratiam ammissam, recuperare non valet, ex ipso solo prouenit, qui à peccato abstinere potuit, & noluit. f. 185.
Reproborum ortus, siue productio, potentiam simul & iustitiam dei, ostendit. f. 189.
Reproborum condemnatio, sanctorum gloriam maxime commostrat. f. 190.
Reprobatis, Deus, nunquam æternum redderet supplicium, ni in prauis perseuerarent operibus. fol. 188.
Reprobatio, quattuor continet, quorum tria, à deo, aliud vero, à solo homine. f. 178.
Reprobatos, deus, generari ac produci vult, vt eius sapientia, ac prouidentia manifestetur. fol. 189.
Reprobos, permittit nasci deus, vt numerus electorum, per prædestinationem determinatus, compleatur. f. 190.
Reprobantur opiniones falsæ de institutione, ac præcepto confessionis sacramentalis. fol. 284.
Reprobatur opinio, tum Commentatoris, tum Ioannis Bachonis, de intrinseco indiuiduationis principio. f. 61.

Romanus pontifex, potest legem condere, ad mortale peccatum, obligantem. f. 340.

S

SAPIENTISSIMVS vniuersalissimusque prouisor, omnium entium gradus, tum perfectos, tum imperfectos, etiam mala in vniuerso permittit, vt ipsum perfectius pulchriusque reddatur. fol. 144.

Sapientissimus prouisor, iccirco corruptiones, defectus, ac cætera mala permittit, vt commune bonum, ac specierum æternitas, conseruari possit. fol. eo.

Scientia Metaphysicæ, diuina, siue Theologia, Metaphysica, & prima philosophia, denominari potest secundum. D. Thomam penes diuersas res consideratas. f. 50.

Si daretur adultus neuter, & baptizaretur, non esset vere baptizatus. f. eo.

Sicut Christi humanitas nostram causat salutem per gratiam, ita sacramenta noue legis à Christo deriuata, gratiam instrumentaliter causant. fol. 236.

Scita omnia & prouisa à deo, eidem, ab æterno præsentia fuere. f. 149.

Scotus, negans contritionem, confessionem, & satisfactionem, esse partes sacramenti pœnitentiæ, sacris concilijs repugnat. f. 281.

Sphæra, quæ recta, quæ vero obliqua dicatur, & qui has ipsas habitent, vel incolant declaratur. fol. 120.

Signorum cœlestium ortus, & occasus, triplex est secundum poëtas, cosmicus, videlicet cronicus, & Eliacus, & quid vnusquisque istorum sit pulcherrime, declaratur. f. 119.

Signo

Signorum cœleſtium ortus,& occaſus,ſecundum Aſtronomos,in quo differat ab ortu ſignorum eorundem apud poëtas. f.120.
Signum quodlibet zodiaci, cum aliqua æquinoctialis parte ſemper oritur. f.121.
Signum zodiaci,quod in ortu ſuo in ſphęra obliqua gradus auget,in occaſu gradus diminuit,& exemplo declaratur. f.125.
Signum capricorni,eſt id,in quo inchoatur hyems, & ſignum cancri, eſt illud, in quo incipit æſtas. fol. 125.
Signa,quanto plura recte oriuntur, tanto dies longiores ſunt,& quanto plura ſigna, obliquæ oriuntur, tanto dies ſunt breuiores, & itidem de noctibus aſſerendum eſt. f.126.
Simile aliquid, alicui,non fit primo per operationem,at per operationis principium formale,quod eſt forma. f.25.
Species intelligibilis,duplex eſt,altera impreſſa,quæ eſt actus intelligendi principium,altera expreſſa, quæ intellectionis eſt terminus. f.19.
Species impreſſa, à quo producatur, & in quo differat à ſpecie expreſſa. f.19.
Speciei intelligibilis impreſſe, productio,pulcherrime declaratur. f.20.
Speciei intelligibilis impreſſe,neceſſitas,tum auctoritatibus, Ariſtot. & Comm. tum rationibus. fol. 21.22.&.23.
Species intelligibilis, eſt intellectionis formale principium,differtque à ſpecie ſenſibili,quoniam hæc ſingularis, illa vero vniuerſalis obiecti,eſt repræſentatiua. f.23.
Speciem intelligibilem,idemptificari realiter ipſi intellectioni,ſeu actui intelligendi,Ariſt.repugnat. fol. 24.
Species impreſſa, repræſentat rem intellectui, vt cognoſci

gnoſcibilem, expreſſa vero, vt cognitam. fol. 25.
Sole oriente vna cum ſex ſignis, obliquum habentibus ortum, in primoque puncto capricorni exiſtente, dies breuior omnibus alijs erit, & nox longior. f.126.
Sole exiſtente in primo puncto cancri, & ſimul cum eo ſex ſignis ortum habentibus rectum, in die orientibus, dies illa omnibus alijs longior erit. fol. 126.
Sub vtroque tropico, videlicet, cancri & capricorni, & etiam ſub circulo æquinoctiali, eſt poſſibilis habitato, at multum laborioſa, mala, & non continua. f.40.&.41.
Subiectum ſcientiæ ſcibile quid ſit. f.2.
Subiectum ſcientiæ adæquatum, quid ſit. f.2.
Subiectum, cuiuſlibet ſcientiæ adæquatum, triplici gaudet conditione. f.45.&.46.
Subſtantiæ ſeparate, in prædicamento ſubſtantiæ reponuntur. f.54.&.55.
Superbia, multipliciter accipitur, & in proprio ſignificato accepta, ab Auguſtino definitur. fol. 228.
Superbiæ obiectum, quod ſit. f.228.
Superbus, ſolum in ſui celſitudinem atque excellentiam tendit. f.229.
Superbia, ex propria generis ratione, contemptum dicit ſubiectionis ad deum. f.231.
Superbia, non ſolum quo ad auerſionem à deo, ſed etiam quo ad conuerſionem ad commutabile bonum, eſt primum omnium peccatorum. f.231.
Superbia, quomodo in Angelo, primum fuerit peccatum, declaratur. f.231.
Superbiæ vitium incurritur, ex inordinato peruerſoque appetendi modo. f.229.
Supernaturalitas, non ſolum attenditur penes comparatio

parationem agentis supernaturaliter impressiui in potentiam, verum penes comparationem potentiæ ad actum, seu habitum à Deo productum. fol. 137.
Suppositum & natura, in intelligentijs, seu substantijs separatis, non intrinsecè, at extrinsecè solum realiter distinguuntur. f.74.
Suppositum, hypostasis, & persona, supra naturam singularem in rebus creatis, aliquod reale positiuum & intrinsecum, addunt. f.75.

T

TERRA, tropico capricorni supposita, quâdoque inhabitabilis redditur, ob tres causas concurrentes & causantes maximum æstum, quæ habitationem destruunt. f.41.
Totum vniuersum, ad primum principium primumque finem, veluti ad bonum omnino separatum ordinatur, à quo maiorem bonitatem, quam ex suarum partium ordine, trahit. f.139.
Transitus Angeli, de loco ad locum, qui motum localem dicit, cum componatur ex duobus instantibus, necessario fit in tempore. f.208.
Tres causæ concurrunt ad destructionem habitationis & quæ sint, declaratur. f.39.&.40.

V

VNIVERSVM, si hominum culpis caruisset, admirabili ineffabilique incarnationis filij dei optimo bono, fuisset orbatum. f.145.
Vniuersum, si hominum criminibus caruisset, non propterea perfectius ac imperfectius extitisset. fol.

fol. 145.
Vniuersale non prius natura est ipsa specie intelligibili, vt arbitratur Caietanus & alij, at posterius, vt tenet Capreolus, ac Ferrariensis. fol. 29. & .30.
Vir, vxorem alicuius adulteram, ducens, mechatur. fol. 295. & 296.
Virum vnum, plures habere vxores, presertim duas sorores viuas, absque diuina dispensatione, vel inspiratione, est contra ius naturale. fol. 298. & .299.
Viro, non licet dimittere totaliter vxorem adulteram, & aliam ducere, licet autem eamipsam dimittere quo ad thorum. f. 290. & .291.
Virtus causæ primæ, modificatur in causa secunda, & mouet secundum naturam & modum causæ secundæ. f. 151.
Virtus potentiæ actiuæ multiplicata, præstantiorem producit effectum, virtute non multiplicata. fol. 101.
Visio Dei, in qua beatitudo creaturæ intellectualis consistit, est supra naturam cuiuslibet intellectus creati. f. 132.
Voluntas, non hominum natura, secundum Theophilactum, facit nonnullos, supplicio dignos, non nullos, corona ac præmio. f. 187.
Voluntas, magis libera est, quàm intellectus. fol. 302 & .303.
Voluntas dei, quæ antecedens, & quæ consequens, dicatur. f. 181.
Voluntas antecedens, secundum quid, consequens, simpliciter & absolute, voluntas dicitur. fol. 181.
Voluntate consequente, voluit deus optimus, quosdam saluari, & quosdam damnari. f. 181.

INDEX.

Z

ZODIACVS circulus obliquus est, partes habens, quarum nonnullæ recte oriuntur, nonnullæ vero obliquæ, & quæ recte oriuntur, semper tardius oriuntur, quæ vero obliquæ, celerius. fol. 120.

Zodiaci quatuor principalia puncta, quæ sint. fol. 121.

Zodiaci signa æque distantia, à quatuor punctis, videlicet, duobus solstitialibus, & duobus æquinoctialibus, æquales habent ascensiones. fol. 121.

Zodiaci signa, quando ortum rectum, vel obliquum habere dicantur, perpulchre ostenditur. fol. 121.

Zodiaci signa, quæ opposita esse dicantur. f. 121.

Zodiaci quartæ principales in sphæra obliqua, oriri nequeunt cum quartis principalibus æquinoctialis, vt in sphæra recta. f. 124.

Zodiaci partes, quanto viciniores sunt punctis, æquinoctialibus, tanto velocius, & quanto propinquiores sunt punctis solstitialibus, tanto tardius peroriuntur. f. 122.

Zodiaci signa, principium libræ in medium adducentia, ortum habent rectum, & occasum, obliquum, & hæc sunt, videlicet, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpio, & Sagittarius, & hoc intelligitur in sphæra obliqua. f. 124.

Zodiaci signa, principium arietis in medium statuentia, obliquæ oriuntur & recte occidunt, videlicet, Capricornus, Aquarius, Pisces, Aries, Taurus, & Gemini. f. 124.

Zodiaci alia signa sex, videlicet, Capricornus, Aquarius, Pisces, Aries, Taurus, & Gemini, ortum

ortum habent obliquum, & occasum rectum. fol. 124.

Zodiaci signa sex, videlicet, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpio, & Sagittarius, ortum habent rectum, & occasum obliquum. f. 124.

FINIS.

Errata in hoc opere.

Folio. 29. facie. 1. linea. 26. *sectatus. lege, sectator.*
Fol. 34. *fac. 2. lin. 1. cuiusdem. lege, eiusdem.*
Fol. 50. *fac. 2. lin. 21. quamquo. lege, quamque.*
Fol. 51. *fac. 1. lin. 23. quamquam. lege, quamque.*
Itidem lege, *fol. 54. fac. 1. lin. 13.*
Fol. 53. *fac. 1. lin. 18. communicate. lege, communitate.* Et *lin. 28. per priusquam. lege, per prius que.*
Fol. 61. *fac. 2. lin. 35. integratur. lege, integrant.*
Fol. 65. *fac. 1. lin. 32. veritati. lege, vnitati.*
Fol. 66. *fac. 2. lin. 33 giudicio. lege, iudicio.*
Fol. 90. *fac. 1. lin. 2. exultantiam. lege, resultantiam.*
Fol. 97. *fac. 1. lin. 32. in. lege, ni.*
Fol. 102. *fac. 1. lin. 14. eidem. lege, idem.*
Fol. 99. *fac. 2. lin. 1. affectus. lege, effectus.*
Fol. 110. *fac. 1. lin. 17. at. lege, ac.*
Fol. 110. *fac. 2. lin. 35. at. lege, ac.*
Fol. 117. *fac. 2. lin. 15. primam. lege, prima,* Ioannem. *lege,* Ioannes.
Fol. 117. *fac. 2. lin. 28. materiali. lege, naturali.*
Fol. 129. *fac. 2. lin. 1. in. adde, & lege, inter.*
Fol. 133. *fac. 2. lin. 5. cuiusdem. lege, eiusdem.*
Fol. 186. *fac. 2. lin. 1. habetur. lege, habet.*
Fol. 147. *fac. 2. lin. 7. fatuitis. lege, fatatis.*
Fol. 147. *fac. 2. lin. 18. firmatam. lege, firmatum.*
Fol. 149. *fac. 2. lin. 18. liberes. lege, liberis.*
Fol. 151. *fac. 1. lin. 5. Qui. lege,* Quod.
Fol. 151. *fac. 2. lin. 35.* Optatione. *lege,* Operationem.
Fol. 151. *fac. 2. lin. 36. causam. lege, causa.*
Fol. 153 *fac. 1. lin. 2. sane. lege, summe.*
Fol. 164. *fac. 1. lin 4. qua, lege quæ.*
Fol. 175. *fac. 2. lin. 22. elucidandum. lege, elucidandus.*
Fol. 182. *fac. 2. lin. 1. subicit. lege, subici.*
Fol. 193. *fac. 1. lin. 16. vni. lege, vti.*
Fol. 193. *fac. 2. lin. 28. sicut. lege, sunt.*

Fol.

Fol. 258. *fac.* 2. *lin.* 28. *reſponſio . adde & lege , reſponſione .*
Fol. 261. *fac.* 1. *lin.* 13. *proprie . lege , proprio .*
Fol. 291. *fac.* 1. *lin.* 29. *dimitterem . lege dimittere .*
Fol. 300. *fac.* 2. *lin.* 31. *fratrem . lege , fratrì .*
Fol. 301. *fac.* 1. *lin.* 17. & 22. *Leſcha . lege , Ieſcha . & Ieſcham .*
Fol. 329. *fac.* 1. *lin.* 21. *domum . lege , donum .*
Fol. 332. *fac.* 2. *lin.* 35. *remuentem . lege , renuentem .*
Fol. 335. *fac.* 2. *lin.* 11. *Chriſto . lege , Chriſtum .*
Fol. 336. *fac.* 1. *lin.* 3. *deme . enim .*

GEORGII VERCELLENSIS SACRAE THEOLOGIAE PROFESSORIS, ORDINIS PRAEDICATORVM; QVAESTIONES.

Quæstio de adæquato totius Philosophiæ naturalis subiecto.

VAERITVR. An sicuti à Thomistis ponitur ad aures D. Thomæ, Ens mobile, esse totius Philosophiæ naturalis adæquatum subiectum, ita vere poni possit ac sustineri in doctrina sua, ipsum corpus mobile, seu corpus naturale quod idem est, esse eiusdem, non principale, at adæquatum subiectum. Hæc quæstio perdifficilis redditur, tum ex diuersa præclarissimorum virorum opinione, tum ex D. Thomæ sententia, quæ varia esse videtur. Vt igitur huius quæsiti veritas eluceſcat, primo declarabuntur termini in quæstione positi, deinde ponetur vna conclusio, & declarabitur, & circa eam adducentur doctorum opiniones variæ, ac examinabuntur;

Postremo si quæ difficultates, circa ipsam, & veritatem determinatam emerserint dissoluentur. Circa primum igitur sciendum est, quòd & si ens, nomen trahat, ab esse, seu actu existendi, nihilominus nominaliter sumptum, significat, importatque rem, cui competit esse, quòd est, essentiam rei significare, vt inquit, D. Thom. quol. ij. q. ij. ar. j. & taliter acceptum, diuiditur per decem rerum genera. sicuti etiam ait. x. Metaph. tex. com. viij. dum astruit, ens, per decem rerum genera, siue prædicamenta diuisum, significare ipsas naturas decem generum, prout sunt actu, vel potentia, Sicque ens taliter sumptum, vniuersalissimum est, ad inferioraque contrahibile per diuersos gradus, seu modos, essendi; Nam ad genus substantiæ, contrahitur per modum essendi per se, quo substantia ipsa constituitur, per modum autem essendi in alio, ad genus contrahitur accidentis. Habet vero idipsum ens, duplicem abstractionem, vnam quidem omni scientiæ communem, eam scilicet qua abstrahitur sicuti totum vniuersale à suis partibus subiectiuis, seu sicuti superius, à suis inferioribus, alteram vero particularem, qua abstrahitur sicuti, formale, à materiali, quoniam abstractione hac, inferiora, sunt veluti materia, superiora vero, veluti forma, & hæc propria est ipsi Metaphysicæ, qua, & a scientia Mathematicæ, & à scientia naturali, seiungitur vt patet sexto Metaph. Omissa igitur hac abstractione formali, quæ nostro minime deseruit proposito, videndum est, quonam modo, ens ipsum contrahatur ad ipsam mobilitatem, subiectum adæquatū philosophiæ naturalis, constituentem. Dicimus autem, ens, nequaquam descendere, & contrahi, per modum essendi in alio, qui accidentis proprius est, sed per modum essendi per se, qui substantiæ solum conuenit, Sicque tale ens, hoc modo contractum, erit non accidentale, atqui substantiale; At quoniam entis substantialis, aliud quidem incorporeum est, vt genus

A quo ens nomen sumat, quod significet.

Ens duplicem habet abstractionem.

Entis substantialis diuisio.

nus substantiarum separatarum, quod penitus immobile est, aliud vero corporeum, & naturale, (vt Mathematicum secludamus,) cui per se, suapteque natura, moueri competit, eapropter dicimus illud veræ, & propriè esse ens mobile, quod ad talem entis gradum descendit, ac contrahitur, per substantiam, & corporeitatem naturalem, & sic ens mobile erit omnino ens substantiale corporeumque ac naturale. Nihil enim subiectiuè ens mobile est, ac propriè & per se mouetur, seu est aptum natum moueri, nisi sit corpus naturale. Subiectum vero scientiæ, id esse dicitur, circa quod, scientia ipsa versatur, & cuius cognitio intenditur in eadem scientia. Adæquatum autem ob id appellitatur quia toti æquatur scientiæ, ita quòd nec excedit, nec exceditur ab ipsa, de omnibusque in scientia consideratis prædicatur, vel in recto, vel in obliquo. ad ipsumque cuncta habent attributionem, atque per ipsum, non quidem vt res est, atqui vt scibile est, scientia ipsa, à cæteris disiungitur ac separatur. Scibile vero dicitur penes talem abstractionem, vt in scientia naturali, subiectum scibile est, (vt cætera subiecta silentio transeamus,) quod abstrahit, a materia quidem particulari, non autem à communi & vniuersali, neque secundum esse, neque secundum rationē, seu definitionem. His prælibatis declaratisque quæsiti terminis, hæc ponitur affirmatiua conclusio;

Subiectū scientiæ ad æquatum quid sit.

Quemadmodum ens mobile in D. Thom. doctrina, ponitur adæquatum totius philosophiæ naturalis subiectum, ita & poni potest, de facto que ponitur, Corpus mobile, seu naturale.

Conclusio affirmatiua.

Quæ sic optime probatur. Quoniam, duorum in scientia aliqua, æqualem penitus habentium amplitudinem ac vniuersalitatem, eandemque prorsus abstractionem formalem, sicuti vnum ponitur scientiæ alicuius subiectum adæquatum, ita ponitur, & alterum, atqui corpus mobile, & ens mobile, omnino habent æqualem amplitudinem, seu vniuersalitatem, eande-

Eiusdem probatio.

 demque

demque penitus abstractionem formalem, igitur sicuti ponitur ens mobile adæquatum philosophiæ naturalis subiectum, ita & corpus mobile siue naturale. Maior adeo ex se clara verissimaque est, vt non nisi à proteruis negari possit. Minor vero probatur, Quia de quocunque considerato ac speculato in scientia naturali, prædicatur in recto vel in obliquo, ens mobile, prædicatur & corpus mobile seu naturale, igitur in tali ęquantur prædicatione, igitur eandem æqualitatem habent & vniuersalitatem; Probatur & ipsa minor quo ad secundam partem, nempe quòd eandem penitus habebant abstractionem formalem. Quia ita corpus mobile seu naturale, abstrahit à materia particulari, non autem communi neque secundum esse, neque secundum rationem, sicuti ens mobile, vt cunctis terminos intelligentibus, patet, igitur.

Responsio huius cuiusdam non vere impugnatio.

Dicere autem vt ferè omnes Thomistę asserunt, Corpus mobile esse subiectum quidem principale, at non adæquatum, fuga potius quædam est, quàm vera doctrina. Nam expresse D. Th. Prohemio Metaphysicę declarans ad eandem scientiam spectare considerationem causarum propriarum alicuius generis subiecti, & genus ipsum, exemplificans, ait, sicut naturalis considerat principia corporis naturalis. Constat autem D. Th. loqui de subiecto adæquato, cum de subiecto adæquato Metaphysicę tractet, non autem de principali. Et confirmatur hoc idem ex eodem D. Th. Prohemio libri de Cęl. & mundo. in quo declarans ordinem procedendi in scientia naturali, inquit quòd primo determinantur communia naturæ, in libro Phyficorum in quo agitur de corpore mobili inquantum est mobile. Deinde subdit. Vnde restat in alijs libris scientiæ naturalis, huiusmodi communia applicare ad propria subiecta. Subiectum autem motus, est magnitudo & corpus, quia nihil mouetur nisi quantum. Ex hisce sane verbis, liquet, ipsum. D. Thomam, ponere corpus mobile inquantum mobile,

S. Thomas

mobile, adæquatum, & non principale tantum, esse libri Physicorum ac naturalis scientiæ subiectum. Quod amplius j. Poster. lect. xlj. seu tex. com. xliij. confirmat, dum discrimen ponens, inter subiecti Metaphysicę communitatem, & subiecti scientiæ naturalis, interque vtriusque scientiæ amplitudinem, ait, q̃ sicut vnius generis subiecti, vnitas, est communior quàm alterius, vtpote, entis siue substantiæ, quàm corporis mobilis, ita vna scientia est communior quàm alia, sicut Metaphysica quæ est de ente siue de substantia, est communior quàm physica, quæ est de corpore mobili. Nonne quæso, & ex his D. Thom. verbis, oprime clarescit, corpus mobile, adæquatum in scientia naturali, esse subiectum? De hoc etenim semper loquitur D. Thomas, non de principali, quod sub adæquato continetur subiecto. Et quiqui aliter sentiunt, diligentius accuratiusque eiusdem D. Thomæ, verba rimentur, considerét, contemplentur, & quod dicimus verum esse, agnoscent. His postremo addo & aliud S. Doctoris dictum j. Cęl. & mũdi. tex. com. j. vbi hæc verba ponit. Inquit enim. Sed quia in qualibet scientia, oportet considerare principia, subiungit Arist. quòd naturalis scientia est circa quæcunque principia prædictæ substantiæ, scilicet corporeæ mobilis. Per quod datur intelligi q̃ ad naturalem pertinet præcipuæ considerare de corpore inquantum est in genere substantiæ, sic enim est subiectum motus, ad geometram vero inquantum est in genere quantitatis. En quàm clare D. Thom. de subiecto adæquato naturalis scientiæ per comparationem ad geometriæ subiectum loquitur. Hanc opinionem videlicet, q̃ corpus mobile, seu naturale, sit adæquatum totius philosophiæ naturalis subiectum, expresse tenuit magnus Albertus j. Physicor. tract. j. cap. iij. inquiens, quòd omnis scientia est alicuius generis subiecti, de quo probantur passiones, & cuius considerat passiones, & differentias, hoc autem

D. Thom.

Magni Alberti opinio, & vera.

tem in omni scientia naturali absque dubio est corpus mobile, prout motui subijcitur. Et infra postquam diuisit ac astruxit corpus esse triplex Metaphysicum, Mathematicum, & physicum, inquit, Corpus autem naturale in vniuersali subiectum est naturalis philosophiæ, & corpus hoc physicum, vel illud, scilicet mobile, ad locum tantum, vel mobile ad formam & locum, vel corpus simplex, vel mixtum, cadit in consideratione alicuius partis scientiæ naturalis. Nõ ab re autem supra corpus, additur mobile, quia licet, (inquit) magnus Albertus, omne corpus quod est in natura, sit mobile, tamẽ cum ponitur subiectum physice, oportet quòd addatur sibi hoc, quod dico mobile, quia alia est consideratio corporis inquantum huiusmodi, & alia est considerario mobilis, licet omne corpus sit mobile, quia non inquantum corpus, sed inquantum corpus mobile, subijcitur scientiæ naturali, Hæc Albertus. licet autem natura, principium sit motus & quietis, non tamen dicimus corpus mobile, & quiescibile, esse naturalis philosophiæ subiectum, tum quia quies, non formam positiuam, at motus priuationem dicit, tum quia omne corpus physicum mobile est, non autem omne tale corpus est quiescibile, vt claret de corporibus celestibus quæ suapte natura nunquam quiescunt. Quòd si fortasse quispiam obijcerer, terram, vtpote, mundi centrum, non esse mobilem, cum tamẽ corpus sit physicum, & naturale. Dicendum est, terram ipsam, & si non secundum se totam, secundum tamẽ partes suas, mobilem esse secundum locum, tota autem moueri potest motu alterationis, qui motus physicus est, cum cœlum, astraque continue in terram, alterationem causent, in ipsaque semper agant, motu, & lumine exij. Cęl. & mundi. tex. com. xlij. Hanc eandem opinionem sectatus est Egidius, improbans tamen duabus potissimum rationibus, ens mobile, non posse poni subiectum. Et quoniam id aduersatur positioni nostræ

Cur corpus mobile, et quiescibile subiectũ non ponatur.

Pulchre obiectioni, pulchra respõsio.

Egidij opinio.

strę quatenemus ac sustinemus, vtrunque adæquatum posse poni subiectum ob id infra rationes suas soluemus. Amplius, quòd corpus mobile in tota naturali scientia adæquatum queat esse subiectum sicuti ens mobile, duplici ratione comprobatur.

Duplici ratione cõ probatur corpus mobile posse esse subiectum.

Et prima quidem. Quoniam, Illud quod partes habet essentiales, ex quibus componitur, quodque & partes habet subiectiuas, passionesque proprias, ex ipso suborientes de ipsoque demonstrabiles in scientia naturali, valet esse subiectum adæquatum, at corpus mobile, non solum ens mobile, habet partes essentiales, idipsum componentes, ac partes subiectiuas, atque passiones proprias ex ipso suborientes, de ipsoque demonstrabiles, igitur corpus mobile, in scientia naturali, adæquatum valet esse subiectum. Maior est Aristotelis primo Poster. tex. comm. xliij. & D. Thomæ super hunc textum ac Linconiensis pariter. Minor probatur; Et quo ad partes quidem essentiales, clare constat, quoniam corpus, materiam habet & formam, ex quibus componitur, suntque eiusdem, partes essentiales, adeo vt si definiatur definitione physica ex quattuor causis cõstante, in eius definitione omnino ac necessario, ponentur materia ipsa, pariter & forma, & confirmatur auctoritate D. Thom. loco supra citato, vbi inquit. quòd in qualibet scientia, sunt quædam principia subiecti, de quibus est prima consideratio, sicut in scientia naturali, de materia, & forma. Et hoc apertissime videre licet in cęlestibus corporibus, quæ omnia materiam habent non quidem transmutationi substantiali subiectam, cum penitus ingenerabilia incorruptibilia ue sint, ex j. Cęl. tex. com. xx. at alterius rationis, ab inferiorum, & sublunarium materia, & consequenter formam habent materiam ipsam perficientem. Corpora huiuscemodi cœlestia, materiam habere, claret ex Arist. viij. Metaphysicæ tex. com. iij. inquiente. Sensibiles autem substantiæ omnes, materiam hñt

Prima.

& ex primo Cęl.tex. com.xcij. asserente. Cum igitur cœlum sensibile sit, singulare erit profecto, Sensibile autem omne in materia. Liquido quoque constat & elementa ac quæque ex elementis constituta corpora, materiam habere, priuationi subiectam, & formam. Quo autem ad partes subiectiuas, clarissimum euadit, quandoquidem corpus mobile, de omnibus corporibus cœlestibus, de elementis, ac omnibus ex elementis constitutis corporibus, pulcherrime prædicetur. Manifestum quoque est hoc ipsum habere proprias passiones, nempe mobilitatem, diuisibilitatem, continuitatem finitatem, ac perfectionem, & cetera id genus.

Secunda. Secunda vero ratione tali. Illud quod ponitur in definitione primæ passionis physicę est subiectum adæquatum in naturali scientia, at corpus mobile sicut & ens mobile, ponitur in definitione primæ passionis physicæ, igitur corpus mobile est subiectum adæquatum in naturali scientia. Maior ex eo liquet, quoniam cum subiectum, & propria passio sint adinuicem conuertibilia, & ipsa passio, ex principijs ipsius subiecti essentialibus oriatur, ea propter subiectum, in definitione propriæ passionis ponetur, propositionemque in secundo modo dicendi per se

Aristot. constituet, vt patet ex j. Poster.cap.iiij. Minor vero probatur. Quia apud omnes philosophos, prima passio in scientia naturali, censetur esse motus, qui sic ab Arist. iij. Physic. tex. com. vj. definitur ☞ est actus existentis in potentia inquantum huiusmo-

Motus definitio. di. Existens autem in potentia inquantum huiusmodi est ipsum ens, quoniam ab esse existentiæ, suum trahit nomen, igitur: cum in ipsius motus definitione ponatur, & etiam corpus, igitur, ens mobile, & corpus mobile, subiectum erit adæquatum ipsius na-

Corpus mobile in motus definitione. turalis scientiæ. Et quòd in ipsius motus definitione, corpus ipsum, non quodcunque, sed naturale, cadat, quodque ex talis corporis positione, definitio etiam

etiam clarior euadat, declaratur. Quia cum asseritur motum esse actum existentis, constat non posse esse actum, nisi entis substantialis, cui proprie existere competit, cumque tale ens substantiale, non nisi corporeum esse queat, quandoquidem entia incorporea, motu Physic. minime moueri valeant, & tale ens substantiale corporeum motus subiectum, physicum sit & naturale, ob id necessario concluditur, ens substantiale corporeum, & naturale, in motus definitione poni; Hincque fit, vt pulcherrime corpus ipsum, non Mathematicum, at naturale, quod cum ente substantiali corporeo naturali, conuertitur, in motus ipsius definitione ponatur, quinimò melius per ipsum motus, definiatur, sicuti per id quod proximũ, immediatum, & euidentius subiectum existit. Omne nanque quod per se, motu mouetur physico, corpus naturale est, hoc autem naturale corpus, à cunctis oculis cernitur, ipsumque esse mobile, luce clarius, elucet. Non itaque diffitendum est, & corpus mobile nequeat esse adæquatum philosophiæ naturalis subiectum sicuti & ens mobile, cum pari ratione vtrunque in definitione motus, vti primę passionis phys. ponatur. *finitione poni pulchre declaratur.*

Rursus quòd corpus mobile possit esse naturalis scientiæ subiectum adæquatum sicut ens mobile, confirmatur, ex declaratione quam facit Reuerend. Caietanus in quæstione de subiecto philosophię. Ibi enim declarans, cum dicitur ens mobile, quid significetur entis nomine, inquit, quòd significat id quod proprie est, hoc autem in his quæ proprie fiunt, est id quod proprie est, quoniam, eius est proprie esse, cuius est fieri; Id vero quod proprie fit, ex vij. Metaphys. tex. com. xxvij. & xxviij. est compositum substantiale, vt homo, siue accidentale, vt homo musicus; Et his dictis subiũgit, quòd ad hoc vt aliquid sit pars subiectiua entis mobilis, quod est subiectum physicæ, exigitur quòd etiam sit proprie ens, & quòd mutabile *Corpus mobile est adæquatum scientiæ naturalis subiectum, confirmatur ex Caiet.*

mutabile mutatione physica, & propterea nec materia, nec forma substantialis, aut accidentalis, ens mobile est, sed entis mobilis, principia hæc omnia sunt. Hæc ille. Ex quibus sanè dictis suis, liquido constat ens mobile, proprie illud esse, quod est substantiale compositum, cui primo, & per se simpliciterque ac naturaliter fieri competit, cum autem ens tale, corpus mobile, ac naturale sit, exigatque ad hoc vt quippiam sit eius pars subiectiua, quòd proprie sit, mutabileque physica mutatione, vt de ente mobili dicebatur, propterea in nullo, et secundum ipsum discriminantur, vt infra dicetur; Et si in aliquo differunt illud in medium est afferendum, quod sanè non inuenietur. Hinc fit vt falsum astruat idem Caietanus, dum inquit, ens mobile, communius esse corpore mobili, & substantia naturali composita, quoniam hæc duo continent, omnia naturalia composita, siue substantialia, quæ per se mutabilia sunt, siue accidentalia, quorum alterum per se, alterum verò per accidens mouetur. Falsum quoque asseuerat, idem ens mobile, abstractius esse corpore mobili, seu etiam substantia mobili, Nam æquæ, hæc duo, abstrahunt sicut & ipsum ens mobile, siue loquamur de abstractione totius vniuersalis, à suis partibus subiectiuis, siue de abstractione formali physica qua aliquid abstrahitur à materia sensibili particulari, non autem ab eadem materia sensibili communi, neque secundum esse, neque secundum rationem, siue definitionem. Ea propter Caietanus ipse, non nisi veritate ipsa coactus optimæ astruxit, quòd ens mobile, & ipsum corpus mobile, seu substantia mobilis, ex parte mobilis, siue mobiliaris, significantis nō passionem, sed rationem formalem, subiecti physicæ, seu naturalis scientiæ, sunt æquæ abstracta. Nec quicquam officit, quòd ens secundum se cōsideratum, sit quid communius, abstractius ue, ipsa substantia, & corpore, secundum se, quoniam secundum communitatem hanc, & abstractio

Reprobat Caietani dictum.

Ens mobile, & corpus mobile etiā secundum Caiet. sūt æque abstracta.

stractionem non à physico, at a Metaphysico considerari; Attendenda quippe est & sumenda communitas, vniuersalitas, atque abstractio, subiecti complexi, ipsius scientiæ non penes terminos ipsos contrahibiles, per rationem formalem eiusdem subiecti, sed penes constitutum ex terminis contrahibilibus, & ipsa ratione formali contrahente, quoniam quòd subiectum scientiæ complexæ significetur, per accidens est, ex inopia, scilicet, & carentia nominis incomplexi, simplicem conceptum significantis; Vnde inquit Caietanus, quòd licet ens mobile, nominum complexionem contineat, incomplexum tamen, & per se vnum quodquid est, significat, quemadmodum (subdit,) diuiso ente, in per se, & in alio, si simplicibus nominibus careremus, substantiam, ens, per se, nominaremus, & accidens, ens in alio, & tamen vnam rationem formalem significaremus, non aggregatum ex pluribus. Cum itaque ens mobile, & corpus mobile, seu naturale, ac etiam substantia composita mobilis, eandem rem penitus ac idem quod quid est rerum naturalium, significent, vnum, non erit, alio, communius, ac abstractius, & ob id, si vnum ponitur subiectum adæquatum naturalis scientiæ ponitur & aliud. Liquet enim mobilitatem, vtpote, rationem formalem subiecti totius philosophiæ naturalis, contrahere omnes superiores conceptus, seu gradus, ad eũdem penitus gradum naturalem, in quo nimirum conueniunt & per quem, perpulchre æquantur. Hinc fit vt à veritate dissonet, id, quod asserit idem Caietanus in responso ad rationem secundam nempe, ipsum ens mobile, esse communius corpore, quia de multis quiditatiue prædicatur de quibus corpus quiditatiue minime prædicatur, à veritate inquam abhorret, quoniam secũdum ipsummet Caietanum eodem loco immediate supra citato, omne ens mobile, est corpus, vel claudit in se corpus, naturale, scilicet, Nec est intelligibile, quòd secundum ipsum, corporeum

Notandũ

Caietani error.

poreum nempe substantiale, & naturale, (de hoc enim solum debet esse sermo) conuertatur, cum ente mobili, & non corpus mobile. Quis enim non videt, corporeum substantiale, compositumque naturale, idem prorsus esse cum corpore mobili? Hanc ob rem, Commentator modo ens mobile, modo corpus mobile, adæquatum totius philosophiæ naturalis, subiectum ponit; Nam iiij. Metaphys. com. j. & xij. eiusdem. com. v. ens mobile, astruit, tale subiectum esse, & in eodem xij. eodemque commento asserit, ipsum corpus mobile esse.

Commentatoris opinio circa adæquatū naturalis philosophiæ subiectum.

Atqui Reuerend. Caietanus duplici ratione probare contendit, corpus mobile, non posse esse, adæquatum ipsius philosophiæ naturalis, subiectum. Et hac quidem prima inquiens.

Duplici ter arguit Caietan⁹, quòd corpus mobile nequeat esse adæquatū scientiæ naturalis subiectum.

Adæquatum subiectum primarum passionum naturalium, est adæquatum subiectum philosophiæ naturalis, sed ens mobile, & non substantia naturalis, aut corpus naturale, seu mobile, est adæquatum subiectum primarum passionum naturalium, ergo. Maiorem dicit esse per se notam, & minorem probat, supponendo, mobilitatem esse primam passionem physicam, aut saltem vnam è primis. sic inquiens. Adæquatum subiectum mobilitatis, seu transmutabilitatis, habet materiam, formam, & priuationem pro adæquatis principijs, Sed tantum ens mobile, habet hæc pro adæquatis principijs, ergo nihil aliud ab ente mobili, est subiectum adæquatum mobilitatis, seu transmutabilitatis, & consequenter primarum passionum naturalium. Maiorem rursus ex eo euidentem esse inquit, quoniam oportet hæc tria, scilicet passionem, subiectum, & propria passionis principia, esse sibijnuicem adæquata, vt patet de risibilitate, & homine, ac animali rationali, Talia autem principia mobilitatis, seu transmutabilitatis, ex primo Physic. constat esse, materiam, formam, & priuationem. Qua re necessum est, eius, ad quod tanquam

ad

adæquatum subiectum primo sequitur mobilitas, seu transmutabilitas, esse adæquata principia, materiam, formam,& priuationem. Minorem vero probat, ex xij. Metaphys. à tex. xix. vsque ad tex. xxix. vbi dicitur, materiam, formam, & priuationem, ad genus substantiæ, minime arctari, verum materiam, formam,& priuationem in genere substantiæ, esse principia propria, substantiæ mutabilis, materiam vero, formam, & priuationem, in genere quantitatis, & qualitatis, etiam principia, quanti, & qualis mutabilis. Si his respondeatur (inquit ipse,) quòd quemadmodum principia propria substantiæ, continent propria principia cęterorum generum, quia sunt causæ eorum, vt ibidem docet Aristot. sic substantia mobilis, seu corpus mobile, continet omne quantũ, & quale mobile, & transmutabilitas substantialis, omnem aliam, & propterea licet materia, & forma, ac priuatio, excedant substantiam mobilem, seu corpus mobile, formaliter, non tamen virtualiter, id (subdit,) licet sit subtiliter dictum, vim tamen rationis non excludit, tum quia (inquit) falsum est, quòd principia propria substantiæ mutabilis, seu corporis mobilis, sint principia ceterorum generum, tametsi verum sit & expressum ij. Metaphys. tex. com. iiij. & xij. tex. com. xxv. quòd principia per se essendi in genere substãtiæ, sint principia principiorum essendi in ceteris generibus, nempe quòd materia & forma substantiæ, sunt causæ materiæ, & formæ, in quantitate, & qualitate. Veritati tamen repugnare dicit, quòd principia transmutabilitatis substantialis, sint principia, principiorum transmutabilitatis aliorum generum, quia priuatio quæ est per se principium transmutationis substantialis non est vniuersaliter, & consequenter per se principium priuationis, quæ est principium transmutationis accidentalis, vt in corpore cœlesti patet, vbi ens mobile secundum locum habet omnia principia propria, materiam, scilicet formam,

Aristot.

Improbat Caietan⁹ responsionem, q̃ dari posset.

Impugnatio responsionis datæ.

formam,& priuationem,cœlum autem substantialiter non habet nisi duo per se essendi principia, materiam videlicet,& formam. tum quia adæquatum subiectum transmutabilitatis, in seipso includere debet propria transmutabilitatis principia, quę sunt materia,forma,ac priuatio in communi,quæ non claudit substantia mobilis, nec corpus mobile, quandoquidem genus substantiæ transcendant, enti autem mobili adæquentur,quoniam quicquid ex materia, forma, & priuatione constat,ens mutabile est, & econuerso,igitur ens mobile est proprium,& primo,mobilitatis subiectum.

Ad primã Caietani, rationẽ, responsio.

Ad hæc omnia pulcherrime respondetur; Et ad primum quidem syllogismum, ac prosyllogismum dicitur,vtrãque minorem falsissimam esse, quoniam ita corpus mobile, seu substantia mobilis,est adæquatum primarum passionum naturalium subiectum, & habent materiam, formam, ac priuationem, pro adæquatis principijs transmutabilitatis, sicut ens mobile. Corpus enim mobile habet materiam priuationi annexam,vel simpliciter vt in generabilibus,& corruptibilibus, vel secundum quid, vt in corporibus cœlestibus,& ipsam formam. Et cum probatur minor ex his quæ habentur ab Arist. xij. Metaphys. à tex.xix. vsque ad tex.xxix. vbi videtur Arist.expresse asserere,materiam,formam, & priuationem,ad genus substantiæ non arctari, sed hæc tria,in quantitatis,ac qualitatis,generibus,reperiri. Dicitur,& pulchrè quidem,quòd si accipiatur materia, propriè, & simpliciter, prout est immediate receptiua omnium formarum substantialium,& forma pariter, quæ dicit actum substantialem, primo per se, & immediate perficientem materiam,quæ est pura potentia substãtialis, & priuatio quoque, vt dicit negationem formæ substantialis apte natæ in materia recipi,omnino arctantur ad substantiæ genus. Si vero hæc tria analogicè sumantur,prout prædicantur secundum prius

&

& posterius,sic in omnibus generibus reperiuntur,& in genere quidem substantiæ,simpliciter, & per prius ac perfectius,in alijs vero generibus,secundum quid & per posterius, ac imperfectius reperiri dicuntur. Constat enim accidentia nullam aliam habere materiam, nisi ipsum subiectum, cui inhærent, & in quo primo ac principaliter sustentantur, quod sanè compositum est ex vera propriaque materia, ac vera substantialique forma,priuationem vero habent secundum quid, vtpote dicentem negationem formæ accidentariæ apte nate recipi in subiecto. Et ob id aiebat Arist.xij. Metaph.tex.com.xxj. xxvj & xxviij. quòd principia intrinseca omnium prædicamentorum, sunt quidem diuersa simpliciter,at eadem secundum proportionem. Et responsum quod dat ipse Caietanus,approbamus, vtpote veritate suffultum; Et cũ illud improbat,inquiendo,falsum esse principia propria substantiæ, seu corporis mutabilis, esse principia, principiorum ceterorum generum, dicimus id non falsum at verissimum esse,& Aristoteli,& D.Th. omnino consentaneum.Aristoteli quidem tex.com. xxv. inquienti. Et propter hoc,omnium causæ,hæc, quia sine substantijs non sunt passiones, & motus. super quo tex. inquit. D. Thom. Vnde manifestum est, quòd principia in genere substantiæ, sunt etiam causæ omnium aliorum generum,non solum quantum ad primam causam mouentem,sed etiam quantum ad causas intrinsecas. Nam materia, & forma substantię,sunt causæ accidẽtium.Et tex.com.xxviij. dicenti,Et sic substantiarum causę,vt causę omnium, quibus ablatis,tolluntur omnia. Quod & approbat D.Thom. ibidem, inquiens, causas substantiarum esse omnium causas, quia destructis eis, alia destruuntur. Quodque confirmat idem Caietanus suis ex subiunctis verbis, vt eadem legenti, patet; Atqui post illa verba subinculcat hæc alia. Veritati tamen repugnat, quòd per se principia transmutabilitatis

Principia substãtiæ sunt aliorum generum principia, secundum Arist. & S. Thom.

litatis subſtantialis, ſint principia principiorum tranſmutabilitatis aliorum, quia priuatio in genere ſubſtantiæ, quæ eſt principium per ſe tranſmutationis ſubſtantialis, non eſt vniuerſaliter per ſe principium tranſmutationis accidentalis, vt patet in corpore cœleſti, non habente niſi duo principia, materiam videlicet & formam. Ad hoc optime dicitur, quòd priuatio in genere ſubſtantiæ, quæ eſt principium per ſe tranſmutationis ſubſtantialis, eſt vniuerſaliter per ſe principium priuationis, quæ eſt per ſe principium tranſmutationis accidentalis, in cunctis, ſcilicet rebus, quibus vtraque tranſmutatio conuenit, in illis vero quibus ſolum tranſmutatio competit accidentalis, ſicuti corporibus cœleſtibus, neceſſum eſt mini me, vt priuatio quæ eſt per ſe principium tranſmutationis ſubſtantialis, ſit per ſe principium priuationis quæ eſt per ſe principium tranſmutationis accidentalis, quia hoc ſibi repugnat, Sufficit enim in cœleſtibus, vt priuatio ſecundum quid reperiatur, nempe ea, quæ ſolum per ſe principium eſt tranſmutationis accidentalis, cum priuatio analogice ſolum principium, reſpectu ſublunarium, & cœleſtium dicatur, & affirmetur. Dicitur inſuper, quòd quemadmodũ ens mobile ſecundum locum, habet omnia propria principia, materiam videlicet formam, & priuationẽ, ita & corpus mobile ſecundum locum, eiſdem omnino gaudet. Et quemadmodum ens mobile claudit in ſe materiam, formam, & priuationem in communi, quæ ſunt propria tranſmutabilitatis principia, & eidem enti mobili adæquantur, ita & corpus mobile, hęc eadem includit, & ipſi corpori mobili penitus ęqualia exiſtunt vt patet. Deinde ſecunda ratione probat, idem Reuerendiſs. Caietanus, corpus mobile non poſſe eſſe adæquatum philoſophiæ naturalis ſubiectum. Quia coniunctio omnis mobilis, cũ ratione corporeitatis non ſupponitur in naturali philoſophia, ſed in vj. Phyſic. probatur ergo non corpus

Ad Caietani obiectum, reſponſio.

Secunda Caietani ratio.

pus mobile, sed ens mobile est subiectum philosophiæ naturalis. Antecedens patet. Quia sexto Phyſic. tex. com. xxxij. probatur omne mobile esse corpus. consequentia vero ex eo liquet, quia si corpus mobile ponitur adæquatum subiectum oportet supponi, mobilitatem corpori, vt rationem formalem, aut vt passionem. Potest autem sic ratio syllogistica formari. Nulla scientia habens subiectum complexum, aut complexæ significatum, probat eam coniunctionem partium subiecti, sine qua complexum illud subiecti rationem induere non potest, alio quin scientia constitueret sibijpsi subiectum, sed philosophia naturalis, si corpus mobile ponitur subiectum, probat coniunctionem partium subiecti, sine qua complexum illud subiecti rationem induere nō potest, igitur corpus mobile poni nequit adequatum naturalis philosophiæ subiectum. Ad rationem hanc dupliciter formatam, respondetur; Et ad primam quidem sub enthimematis forma confectam, negatur, antecedens, & cum probatur, Arist. auctoritate. vj. Phyſic. tex. com. xxxij. dicitur, ipsum Arist. probare, non omne mobile esse corpus, atqui omne mobile esse diuisibile, vt cuilibet Aristotelem ibidem legenti, & totum lib. vj. patet; Hæc enim est eius demonstratio, Omne illud quod secundum partes quantitatiuas, est partim in termino à quo, & partim in termino ad quem, est diuisibile, sed omne mobile quod per se mouetur, presertim motu locali, est partim in termino à quo, & partim in termino ad quem, igitur omne mobile est diuisibile, nec vsquam in toto lib. vj. mentionem facit vel probat, omne mobile esse corpus. Atqui etiam suppositio admissoq́; quòd Aristoteles probaret omne mobile esse corpus, Dicitur, quòd propterea non impediretur quin corpus mobile subiectum foret, quoniam non existentia ipsius probaretur, cuius probatio solum impedit ne aliquid subiectum scientiæ esse queat, sed

Aristot.

Ad secundam Caietani rationē responsio.

solum probaretur corpus naturale, seu mobile, quod esse supponitur, de aliquo mobili de quo quispiam dubitaret, an esset corpus, nempe naturale, & tunc probaretur genus, cõuenire omni eius speciei, quod sane proposito nostro, nihil officit, vt infra clarius ostendemus ad mentem Linconiensis secundo Posteriorum, & his sic intellectis, & veris neganda est consequentia. Mobilitas autem quæ est ratio formalis subiecti scientiæ naturalis, omnino supponitur, cum sit quodquid est entium naturalium, præueniatque mobilitatem eorum passionem, quæ de corpore tanquam de vno per se incomplexo, & proprio subiecto demonstrabilis est. Nam subiectum motus est magnitudo, & corpus, quia nihil mouetur nisi quantum, vt optime docet D. Thomas Prohemio libri De Cœlo, & Mundo. Ex quibus verbis perpulchre colligitur, quòd mobilitas quæ est passio, primo & per se ac adæquate corpori competit, & per ipsum competit alijs, quæcunque illa sint, & proterea non dicetur aliquid ens mobile, nisi quia corpus naturale est, si veram arbitramur posterioristicam regulam libro j. cap. v. Ad rationem syllogisticam, negatur minor, Quia & si admitteremus Aristot. vj. Physic. probare coniunctionem alicuius partis subiecti cum ipso subiecto, falsum tamen est, astruere, quòd philosophia naturalis probaret eam coniunctionem partium alicuius subiecti, cum ipso sine qua complexum ipsum, subiecti rationem indue re nequeat, quia cum dicimus, corpus mobile, per mobilitatem, differentiam significamus essentialem constituentem ipsum subiectum complexæ significatum, quæ quidem differentia supponitur, & etiam eius complexio, siue coniunctio cum corpore, & nullatenus probatur; Non inconuenit autem, quòd de aliqua parte ipsius corporis, seu de aliquo mobili de quo ambigitur, an sit corpus, vt eius probetur coniunctio, quoniam tunc probatur corpus naturale, seu mobile

mobile quod esse supponitur, de aliquo mobili, seu aliqua eius specie, de qua dubitatur, an corpus existat. Et hoc modo interpretanda venit D. Thomę auctoritas, primo Contra Gent. cap. xiij. dum inquit, omne quod mouetur esse diuisibile, & corpus, vt probatur vj. Physic. quia nihil moueri potest per se quidem, nisi corpus; Qua de re, Aristot. eodem Physic. lib. vj. tex. com. lxxxvj. probat aduersus antiquos, & presertim aduersus Democritum, impartibile, & indiuisibile, non posse per se moueri. Etsi rursus insteť ex altero D. Th. dicto, prohemio Phys. vbi de subiecto nãlis philosophiæ loquens, ait. Dico aũt ens mobile simpliciter esse subiectum non aũt corpus mobile, quia oẽ mobile esse corpus probatur vj. Phys. quadrupliciter respondetur. Et primo quidem dici potest, nec immerito, literam & expositionem D. Th. fore vitiatam, vt cõstat ex antiquo codice manuscripto in bibliotheca Bononiẽsi, quod si secus esset falsum attribueret Arist. loco supra citato, vbi nusquam legitur Arist. ipsum lib. Phys. vj. probare oẽ mobile esse corpus, formaliter, ex intentione, & principaliter, licet fortasse concomitanter, & tunc exponendus esset D. Thomas vti iam supra expositum est & infra clarius exponetur per dicta Linconiensis. Quod & confirmatur, quia si vitiata D. Thomæ expositio non est, videtur eidem vnum attribui, quod nullatenus est ei attribuendum, nempe quòd non veram, Aristotelicamque causam assignauerit, cur aliquid nequeat in scientia, esse subiectum, quia talis sola est, probatio existentię de subiecto, cum de ipso omnino supponatur quid est & quia est, quæ nullibi ab Aristotele libro vj. probatur, vt cunctis totum librum legentibus, patet. Dicere autem literam esse vitiatam non inconuenit, cum alibi etiam esse vitiatam comprobetur, vt patet ix. Metaphysicæ tex. com. vlt. vbi in expositione sua ponitur hoc præcise corrolarium. Ex quo patet quòd secundum sen-

Ad dictũ D. Thom. quadruplex affertur respõsio Prima.

Probať à simili, nullũ esse inconueniẽs expositionẽ D. Th. esse vitiatam.

tentiam Arist. humanus intellectus potest pertingere ad intelligendum substantias simplices, quod videtur sub dubio reliquisse iij. de Anima tex. com. xxxvj. Nam si hæc verba essent D. Thom. sibijpsi & Aristoteli contradiceret, Sibijpsi quidem, iij. de Anima tex. com. xxxvj. vbi percunctatur Aristot. num intellectus noster, non separatus à magnitudine, seu corpore valeat intelligere substantias separatas quidi tatiue, inquit, in horum verborum expositione. Vnde hæc quæstio pertinet ad Metaphysicam non tamē inuenitur ab Aristotele soluta. Claret autem hæc duo D. Tho. dicta, contradictoriam habere repugnā tiam, propterea necessum est alterum istorum falsum esse, non autem hoc dictum in libro de Anima, quoniam vt ait idem. D. Thom. ij. Metaphys. tex. com. j. impossibile est, quòd Anima humana, corpo ri vnita apprehendat substantias separatas, cognoscendo de eis quod quid est ergo illud ix. Metaph. falsum erit; Et cum neutiquam astruendum sit D. Thomam falsum dixisse, necessum est asserere, corro larium illud, non esse eiusdem D. Thomæ. Vitiata est igitur eius expositio, & ob id non conuenit, astruere, etiam prohemio Physicorum fore vitiatam. Quòd si quispiam diceret, nullatenus eius literam esse vitiatam, quoniam in antiquis exemplaribus pre sertim manuscriptis, eadem præcise verba reperiuntur, Dicitur secundo huic respondendo, Quòd quia D. Thom. Prohemio lib. de Cœl. & mundo, clarissimæ edocuit, subiectum adæquatum, non prin cipale, (vt nonnulli somniant naturalis philosophiæ esse ipsum corpus mobile, vt mobile est, & hoc asser tum, posterius est, quandoquidem, morte præuentus nequiuerit expositionem super omnes libros de Cœlo, complere, eapropter magis standum est huic vltimæ sententiæ quàm primæ, imò per hanc secundam primam, esse reuocatam, quantum ad id quod negat corpus mobile, esse subiectum naturalis philosophiæ

Secūda responsio.

loſophiæ adæquatum. Dicitur tertio, quòd ſi ſupponeremus etiam Ariſtotelem probare vj. Phyſicorum omne mobile eſſe corpus, (quod tamen non admittimus) niſi fortaſſe concomitater intelligendum ſic eſſet Ariſtotelis dictum, nempe, vt probaret omne mobile, id eſt omne ſubiectum, cuiuſque mutabilitatis eſſe corpus aduerſus Democritum ponentem impartibile poſſe moueri, & omnem mutabilitatem, vt paſſionem, vt patet eodem lib. vj. tex. com. lxxxvj. ſoli corpori, vt proprio ſubiecto conuenire, hoc autem nihil officit, quin corpus mobile poſſit eſſe ſubiectum. Dicitur quarto ſecundum Linconienſem ſecundo Poſter. tex. com. ij. quòd licet omnis ſcientia ſupponat, & accipiat ſuam ſubiectum ſimpliciter eſſe, vt Metaphyſica ens, Geometria, magnitudinem, veruntamen de his, quæ ſunt ſub ſubiecto, non accipitur ſimpliciter, quoniam ſunt ſub illo; Vnde quæritur, & recte quidem, ipſum ſubiectum de ſpeciebus, quæ ſunt ſub ipſo. Ex his autem Linconienſis dictis optime ſequitur quòd quamuis quiſpiam ponat corpus, de corpore naturali intelligendo eſſe ſubiectum naturalis philoſophiæ, non inconuenit tamen alicui dubitanti de aliquo mobili an ſit corpus, probare, omne mobile eſſe corpus. Nec ob id, prohibetur quin corpus ipſum mobile ſubiectum eſſe valeat, quoniam non probatur eius exiſtentia, cuius ſola probatio impedit ne aliquid poſſit eſſe ſcientiæ ſubiectum, quandoquidem teſte Ariſtotile primo Poſteriorum. De ſubiecto ſupponant quid eſt, & quia eſt, nempe quia exiſtit. Quòd ſi id obſtat, obſtabit etiam vt ens mobile nequeat eſſe ſubiectum. Et declaratur, Quia ſi vj. Phyſic. probatur omne mobile eſſe diuiſibile, & conſequenter corpus, etiam conſequenter eſſe ens, Et ſi ex eo quòd probatur omne mobile, eſſe corpus, nequit corpus mobile eſſe ſubiectum, cum probetur etiam ex conſequenti omne mobile eſſe ens, nequibit &

Secunda.

Quarta.

ens mobile esse subiectum. Eadem enim est vtriusq; ratio. Tenendum est igitur. Ens mobile, & corpus mobile, seu etiam corpus naturale, esse idem conuertibiliter, & ob id, quodlibet istorum verum, & adæquatum totius philosophiæ naturalis subiectum constitui posse. Pro maiori etiam supradictorum, ac veritatis elucidatione, animaduertendum est Magistrum Chrisostomum in prima sua quæstione libri Physicorum in qua tractat de subiecto naturalis philosophiæ, deceptum fuisse, & à veritatis tramite deuiasse, dum astruxit, quòd tametsi non sit formaliter idem probare omne mobile, esse corpus, & corpus mobile esse. tamen vnum sequitur ad alterum, & sic si probatur vnum, consequenter probatur & alterum, quia ex hoc quòd philosophus probat mobilitatem conuenire corpori quoniam ex eo quòd oportet omne mobile esse diuisibile, consequenter probat corpus mobile esse actu vel aptitudine, siue non repugnanter. Falsum etenim est dicere, quòd si Aristot. vj. Physicorum probat omne mobile esse corpus, probet consequenter corpus mobile esse, nec vllatenus hoc secundum sequitur ad primum, quoniam à propositione tertij adiacentis in prædicatis essentialibus, ad secundam adiacens, non valet consequentia. Nam cum hæc propositio, omne mobile est corpus sit tertij adiacētis, prædicatumque essentialiter sit subiecto connexum, significeréque non existentiam at solum connexionem prædicati cum subiecto, quæ sempiterne est veritatis, hæc autem corpus mobile est, solam existentiam significet, cum significetur corpus mobile esse in rerum natura, propterea falsissima est consequentia. Omne mobile est corpus, ergo corpus mobile est. Et discrimen hoc, inter hasce duas propositiones, cunctis dialecticam profitentibus est manifestum, & declaratur à D. Thoma ij. Periher. lect. ij. vbi ait, quòd quandoque in enunciatione, prædicatur, est, secundum

Reprobatur, Magistri Chrisostomi sententia vti falsa.

se,

se, vt cum dicitur, sortes est, per quod nihil aliud intendimus significare, quàm quòd sortes sit in rerum natura. Quandoque vero non prædicatur per se, quasi principale prædicatum, sed quasi coniunctum principali prædicato, ad connectendum ipsum subiecto, sicut cum dicitur, sortes est albus, non est intentio loquentis, vt asserat sortem esse in rerum natura, sed vt attribuat ei albedinem, mediante hoc verbo, est. Et in talibus, est, prædicatur vt adiacens principali significato. Hæc D. Thom. ex quibus sanè constat, præfatam opinionem, & sententiam falsam esse.

Arguit Egidius duplicitter, probare contendēs, quòd ens mobile nequeat esse adequatū philosophiæ naturalis subiectū.

Postremo adducenda sunt duo Egidij argumenta, quibus improbat, Ens mobile esse philosophiæ naturalis subiectum, & dissoluenda.

Et primum quidem tale est. Si ens mobile esset naturalis philosophiæ subiectum, Physica ipsa, Metaphysicæ subalternaretur, quod aduersatur Aristoteli. vj. Metaphysicæ tex. com. ij. vbi Physicam, Mathematicam, & Metaphysicam ponit esse tres scientias speculatiuas, genere distinctas. Consequentia vero probatur. Quia illa scientia, alteri subalternari dicitur, cuius subiectum, complectitur alterius scientiæ, subiectum, ipsumque contrahit per differentiam accidentalem non suborientem ex principijs illius subiecti, veluti propria passio, ex principijs sui subiecti peroritur, sed ens mobile, amplectitur, ipsum ens, quod est subiectum Metaphysicæ additque ipsum mobile vti differentiam extraneam, & accidentalem enti, igitur physica Metaphysicæ subalternatur.

Secundum vero tali conficitur forma. Si ens mobile poneretur physicæ, seu naturalis philosophiæ subiectum, tūc physica Metaphysicæ pars foret, quod Aristoteli repugnat. vj. Metaphys. tex. com. ij. ponenti physicam, à Metaphysica omnino distinctam. Consequētia deducitur, Quia cum ens mobile, pars sit subiectiua, ipsius entis Metaphysicæ subiecti, eiusdemque

demque scientiæ sit speculari & ens, & eius partes subiectiuas, presertim primas, & principales, igitur physica Metaphysicæ pars erit, quod erat probandū.

Ad primum dicitur, consequentiam esse nullam, Et ad eius probationem dicitur, quòd præter illas duas enumeratas conditiones, tertia requiritur, quæ est omnino essentialis, & necessaria, sine qua vna scientia non potest dici, veræ, & propriæ, alteri subalterna ta, & est, quòd scientia subalternans dicat propter quid de proximis principijs scientiæ subalternate, seu quòd idem est principia proxima ipsius subalternatæ scientiæ, in scientia subalternante, demonstrentur, ita quòd ipsa subalternata, nequeat reducere conclusiones suas in principia per se nota; Id autem in proposito minime contingit, quandoquidem principia naturalis philosophiæ, nequaquam indigeant demonstrari per Metaphysicam, cum ipsa sint per se nota naturalisque scientia optime reducat conclusiones suas, in sua proxima principia per se nota. Qua re naturalis ipsa scientia, nequit verę, & propriæ dici, Metaphysicæ, subalternata;

Ad secundum dicitur, consequentiam falsissimam esse. Et cum hæc probari contenditur, quia ens mobile, pars est subiectiua entis inquantum entis, quod Metaphysicæ subiectum est adæquatum, dicitur, assumptum, falso, penitus inniti, quoniam ens mobile, bifariam considerari potest, scilicet vt res est, & vt scibile est, seu in genere rei, & in genere scibilis, Hæc autem duo multum adinuicem discriminantur, & ita quidem, vt primo modo sumptum, facile admittatur, ipsum esse, partem entis subiectiuam, secundo autem modo, id negandum sit penitus; Nam scientiæ ipse distinguuntur abinuicem, penes diuersitatem subiectorum, non in genere rei, at in genere scibilium, vt scibilia sunt, tale autem genus, & generis diuersitas, attenditur penes diuersum modum abstrahendi à materia, seu penes diuersum definiendi modum;

Ens mobile in duplici collocatur genere.

dum; Et quia modus abstrahendi à materia, constituens genus scibile Metaphysicum, est, vt abstrahat à materia sensibili, secundum esse, & secundum rationem, seu definitionem, & modus abstrahendi à materia constituens genus scibile physicum, est, vt solum à materia sensibili particulari abstrahat non autem à materia sensibili communi, neque secundùm esse, neque secundum rationem, siue definitionem sintque genera ista scibilia, penitus distincta, & diuersa, ita quòd vnum, sub alio minime continetur, ob id, ens mobile, vt abstractum, seu vt habens talem abstractionem nullatenus sub præfato genere scibili Metaphysico continetur, quo fit, vt scientia ipsa naturalis nequeat dici, & nominari, pars Metaphysicæ. Male itaque assumebatur, quòd ens mobile vt tale ingreditur genus scibile contineretur sub ente, genere scibili Metaphysico quia ex vj. Metaphysicæ. tex. ij. iste duæ scientiæ genere distinguuntur. Quòd autem ens mobile in genere rei, & absolute contineatur sub ente Metaphysicæ subiecto, vt res est, nil officit conclusioni nostræ, & determinate veritati, cum scientiæ, penes hoc genus, minime distinguantur, nec vna, alterius pars, dici debeat subiectiua. Et hæc de quæstione hac dicta sufficiant.



Quæstio

Quæstio de grauibus ac leuibus, à quo, per se moueantur.

Quæ simpliciter grauia leuiaq; dicãtur.

VAERITVR. Num grauia, & Leuia per se à suo moueantur generante. Quid autem per grauia leuiaue intelligamus arbitror vniquique manifestum esse; Nam quædam simpliciter grauia, quædam vero simpliciter leuia, esse dicuntur. Simpliciter quidem grauia, vt docet Arist. iiij. cœl. tex. com. vj. ea affirmantur, quæ deorsum, & ad medium, nempe ad centrum terræ feruntur, leuia vero simpliciter ea sunt, quæ sursum ad extremumque, concauitatem, scilicet orbis lunę, suapte natura sese conferunt; Ex hoc sequitur, terram, grauem simpliciter, ignem vero leuem, simpliciter esse. Ex quatuor vero elementis composita, tanto dicuntur grauiora leuioraque, quanto magis terra, vel igne, participant. Quid vero per generans intelligere velimus, & hoc quoque constat, quoniam non aliud quàm efficiens, & producens ipsamet grauia, & leuia, vt in rerum existant natura, intelligimus. Ad quæst. igitur, hac vnica respondemus affirmatiua conclusione, videlicet,

Conclusio affirmatiua, et eius probatio.

Grauia, & leuia, per se, à generante moueri.

Quæ quidem hac ratione firmissima probatur. A quocunque, aliqua, intrinsecum sui motus principium habent, ab eodem naturaliter & per se mouentur, at à generante grauia, & leuia habent intrinsecum sui motus principium, igitur ab ipso naturaliter, & per se, sursum, vel deorsum, mouentur. Maior ex eo liquet, quoniam à quocunque, est causa, naturalis, per se sufficiens, ac naturaliter agens, ab eodem est & illius causæ effectus, ab ipso promanans.

Minor

Minor vero probatur. Quia cum generans per transmutationem ipsam substantialem, introducit in grauibus, & leuibus, formam substantialem, introducit etiam naturali resultantia, siue concomitanter grauitatem, & leuitatem, formam substantialem, consequentia, quæ quidem principia sunt intrinseca, passiua, motus grauium, & leuium, Itaque per pulchre sequitur ipsa cõclusio, nempe, vt grauium ac leuium motus sit per se à generante, sicque ab ipso moueri dicuntur.

Dubiũ arduum, & perdifficile.

Atqui dubium consurgit arduum, à quo scilicet ipsamet grauia, & leuia, postquam genita sunt, & extra propria reperiuntur loca, ipso generante corrupto, per se moueantur, & ad sua ferantur loca. Quæritur enim an à seipsis, ita vt intrinsecum sui motus principium habeant actiuum, an passiuum duntaxat, Huic dubio sane difficili respondetur, primo in medium afferendo id quod ex Aristotele clarum extat, aperteque constat, deinde breuiter quid alij sentiant, perstrigendum est; Ex textu siquidem. xxxij. & xxxiij. clarissime habetur, tum grauia, tum leuia, per se à generante moueri, per accidens vero à remouente prohibens, principiumque sui motus solum habere passiuum. Inquit enim. Quod quidem igitur nihil ipsorum mouet seipsum, manifestũ est, sed motus habent principium, non mouendi neque faciendi, sed patiendi. Et iij. Cœl. tex. comm. xxviij. ait, Quoniam autem natura est in ipso existens motus principium, virtus autem in alio, secundum quod aliud, Motus autem hic quidem, secundum naturam, hic autem violentus omnis; & iiij. Cœl. tex. com. xxv. Inquit. Mouet autem & quod à principio fecit, & impedimentum remouens, aut vnde resiliuit quemadmodum dictum est in primis sermonibus, in quibus determinauimus quod nihil horum seipsum mouet, Declarat nanque Aristot. dictum immediate præcedens, referendo se ad dicta

Dubio respondetur

viij. Phys. tex. com. xxxij. ne forte quispiam arbitraretur, quod quia natura est in ipsis grauibus, & leuibus, principium motus, quæ dicitur tam de forma quàm de materia, quæque forma videtur esse principium actiuum motus, à seipsis moueantur prefatis verbis, id prorsus excludit. Quod & ij. Cœl. tex. com. ix Sic inquiens, corroborat & affirmat, Inanimatorum enim in nullo videmus vnde principium motus, Clarescit pfecto ex hisce Arist. dictis, grauia & leuia principium solum in seipsis passiuum sui motus, habere, actiuum vero omnino extrarium, & extrinsecum fore, Atqui si hæc Aristotelis est clara sententia, vt hæc ipsa grauia leuiaque à generante, quod corruptum est, vt in quæstione suppositum fuit, moueri nequeant, à quo igitur mouebuntur? Videtur plane concludendum esse quod solum à seipsis vt plerique tenent; Verum ex Aristotelis profundissimi sensus ignorantia, hæc prouenit obiectio, Ad cuius claram solutionem, sciendum est. Mouens secundum Aristot. duplex esse, quo grauia ipsa pariter & leuia mouentur, alterum quidem actiuum, & quod, alterum vero passiuum, & quo, primum extrinsecum, & quod est ipsum generans, secundum vero est grauitas, & leuitas, à quibus habent vt eorum motus naturalis esse dicatur. Verum actiuum principium, bifariam adhuc diuiditur, alterum quidem, est, ad grauium leuium ue generationem concurrēs solum in fieri, seu dum fiunt, & tale est proximum generans, & particulare; Alterum est, quod & in fieri, & in facto esse, seu conseruari, concurrit, & tale est vniuersale generans, corpus, scilicet cœleste; Nam cœleste corpus, in grauibus, & leuibus, grauitatem pariter & leuitatem conseruat, quoad in natura subsistunt quæ conseruatio ipsum esse iam productum, continuans cum ratione solum ab ipsa productione distinguatur tandiu dicitur ea producere, quandiu in esse producto, ea ipsa conseruat, Quapropter

Ex Aristotelis dicto claret, grauia, & leuia, in seipsis, solū habere passiuū principium.

Obiectio.

Solutio.

Mouens duplex quo, & quod.

Actiuum principiū duplex in fieri solū, & in fieri ac facto esse simul.

propter dicendum est, generante particulari corrupto, superesse vniuersale, à quo moueri possunt grauia ipsa, & leuia. At si quispiam obiceret tale agens non esse sufficiens, quandoquidem oporteat effectui particulari in actu, correspondere, & causam non vniuersalem, sed particularem in actu, vt ij. Physic. tex. com. xxxix. & v. Metaphys. tex. com. iij. clare habetur. Dicitur quòd quia agens vniuersale agit media grauitate, & leuitate in grauibus, & leuibus existente, virtutemque cœli vniuersalem, modificante, propterea ad motum, id sufficit. Appropriat enim & modificat virtus particularis, vniuersalem, quo fit vt cœlum hoc modo, huic graui, vel leui, applicatum, sit ita agens motum huius, quod non alterius licet simpliciter quatenus cœlum & motum, omnia moueat. Nec est necesse aliud agens particulare in tali motu, ponere, sed solum tunc ponitur dum graue, vel leue fit & generatur. Correspondet igitur effectui particulari in actu, particularis causa in actu, eo quo dictum est modo, Sed adhuc instari potest ex Aristot. dictis, quibus inquit, quod post quam graue vel leue per generationem ab ipso generante, adepta sunt formam, qua reducuntur à potentia essentiali ad actum essentialem, sunt tamen adhuc respectu operationis, in potentia accidentali, à qua cum reducuntur ad actum secundum, quod fit, dum actu mouentur, non indigent aliquo extrinseco motore, quoniam ex seipsis moueri possunt. Respondetur ad hanc instantiam, inquiendo, nullatenus esse, Arist. intentionem, negare exterius mouens, in grauium, vel leuium motu, quia si ab intrinseco solum mouerentur, ita vt principium actiuum, quod, in seipsis esset, dubio procul seipsa mouerent, quod ab ipsomet Arist. tex. xxix. viij. Phys. quattuor improbatum est rationibus, sed eius intentio est, negare ipsa grauia, ac leuia, esse omnino in eadem potentia postquam genita sunt, & antequam gignerentur.

Obiectio.

Ad obiectionẽ responsio.

Alia obiectio.

Solutio.

Nam

Nam antequam generentur, nullum penitus intrinsecum principium habent, quo moueri possint, sed illud necessario à generante producitur, verum cum facta sunt, iam principium intrinsecum habent, quo suapte natura moueri queunt sursum vel deorsum, & ita non indigent extrinseco agente, postquam genita sunt, sicut antea, quia nunc quidem principium passiuum, & actiuum quo habere possunt, & habent prius vero omnino nullum. Quare cum ipsa intrinseco sint fulcita principio, quo naturaliter à generante moueri possunt, à seipsis minime mouebuntur, vt dictum est; Et isto modo adhuncque sensum, intelligi debet Aristot. dictum j. Cœl. tex. comm. lxxxix. quo ait, grauia, & leuia ab alio sursum vel deorsum minime ferri, & similiter dictum D. Thom. ibidem. Intelligunt enim quod non ab alio feruntur, quasi quòd nullum in seipsis habeant principiũ intrinsecum, quo moueri valeant, quoniam tunc nõ naturaliter at violenter mouerentur. Hæc sanè est Aristot. opinio, quam sequitur D. Thom. ij. Cœl. tex. com. ix. & iij. Cœl. tex. com. xxviij. vbi isto vltimo loco ait contra Commentatorem, ipsum existimasse, formam grauium, & leuium esse principium actiuum per modum mouentis, & quòd motus non procedat immediate à generante qui dat formam, quod est omnino falsum. & subdens ipse D. Thom. ait. Nam forma grauis, & leuis, non est principium motus sicut agens motum, sed sicut quo mouens mouet, Sicut color est principium visionis, quo aliquid videtur, & citat subinde Arist. dictum in viij. Physic. Idem dicit S. Thom. ij. Physic. tex. comm. j. & v. Metaphys. tex. com. xvij. iij. q. xxxij. ar. iiij. cor. ij. dis. xiiij. ar. iij. cor. & ij. contra gent. cap. xlvj. Et si alicubi videatur idem D. Th. dicere grauia & leuia, habere principium actiuum intrinsecum, Distinguendum est quemadmodum ipse distinguit vbi supra ij. senten. quòd principium actiuum est duplex

Redditur germanus sensus verbis Arist. & D. Th.

A D. Thom. recte redarguitur Commen.

S. Thomas

Principiũ actiuũ du

duplex effectiuum, scilicet & quod, & formale, seu quo, & in grauibus quidem & leuibus, actiuum principium, & formale vt quo, reperitur, non autem vt quod; Nam forma substantialis, & similiter forma accidentalis, vt leuitas, vel grauitas, sunt id, & quo mouens, seu generans mouet, & quo mobile mouetur, & sic in eius dictis nulla penitus repugnantia reperitur.

plex effectiuū, scilicet, & quod, & formale. seu quo.

Quo ad aliorum opiniones sciendum est Commentatorem iij. Cœl. co.xxviij. tenere grauium, & leuium, motus, primo, & per se, & essentialiter, non esse à generante, sed ab ipsorum grauium, & leuium formis. Verum licet oporteat motorem à moto distingui, & mouerem, aliud quippiam esse ab ipso moto, in animalibus, vt ipse inquit, in simplicibus tamen & grauibus ac leuibus, talem distinctionem ponere, necessum est minime, sed idem erit mouens, & motum, tametsi secundum modum sint differentia. Nam lapis, quatenus grauis est actu, mouet se, & mouetur quatenus est potentia inferius, & huiusce rei causa est, quia inuenitur vno modo in actu, & alio modo in potentia, cum lapis ex materia constituatur, & forma. Forma enim inquantum forma, mouet, & mouetur, prout est in materia, Attamen subdit Commentator, quòd propter hoc, lapis, non est per se essentialiter motus, sed assimilatur ei quod per se mouetur, quare non mouetur nec mouet se essentialiter, sed accidentaliter hoc modo. Quia graue aliquid mouet essentialiter, à quo & ipsum accidentaliter mouetur, sicut dicimus de homine qui in naui existens, ipsam per se mouet & essentialiter ad cuius motum, mouetur & ipsa accidentaliter. Mouet igitur graue per se, & essentialiter aërem, in quo est, mouetur vero accidentaliter ab ipso aëre moto. Hæc est Commentatoris opinio, vt ipsum legenti loco citato, facile patet & iij. Cœl. co.xxij. & xxv. Sed opinio hæc plures sanè continet ambiguitates,

Commentatoris opinio.

Quomodo secundum Commentatorem graue mouet se, & mouetur

Graue secundū eū dem Comment. non mouetur, nec mouet se essentialiter, sed accidentaliter, & quomodo.

Reprobat̃ ꝑfata Cōment. opinio.

guitates, & adinuicem pugnantia ponere videtur. Nam primo ponit grauia, & leuia, non immediate, per se, & essentialiter moueri à generante, quod falsum est, quia generans vniuersale quale est cœlum primo, & per se, & essentialiter, ac immediate mouet immediatione virtutis, licet non immediatione suppositi, agens autem particulare siue generans, immediate mouet immediatione suppositi, si ponatur existere, & respectu fieri, non autem immediatione virtutis. Loquendo igitur de generante, & mouente vniuersali, quod mouet, particulari generante corrupto, dicimus quod immediate mouet modo dicto, cum vero, inquit, quod mouetur primo, & per se, & essentialiter à forma moti, contradicit sibi ipsi, in hoc eodem commento inferius, vbi dicit, & ideo non est per se motus hic lapis essentialiter, neque mouet se essentialiter; Adhuc ponit graue vel leue moueri per se primo & essentialiter à forma sua, vel ergo mouet ipsa forma vt quod, & hoc esse non potest, quia apud Arist. formæ non sunt agentia vt quod, Aristot. sed quo, & ob id dixit primo de Anima tex. co. lxiiij. dicere animam intelligere, est dicere ipsam texere vel edificare; & prohemio Metaph. actus, actionesque suppositorum sunt, id est vt eorum, quæ agunt & operantur. Idem dicit pluribus alijs in locis. Si autem moueat, vt quo, id est sit quo generans mouet, verum quidem est, sed non videtur hoc intendere, quandoquidem excludat ipsum motorem extrinsecum, postquam grauia leuiaque genita sunt; quare videtur secundum ipsum, q̃ moueat vt quod, & id iam improbatum est. Si vero asserat ipsum graue vel leue mouere seipsum, ita vt moueat ratione formæ, & moueatur ratione materiæ, vt verius videtur ponere, id quoque impossibile redditur, quia tunc diuideretur in partem mouentem, & partem motam, quod falsum est, & Aristoteli repugnãs Aristot. viij. Physic. tex. co. xxix. Quod vero id sequatur

claret

claret ex Aristotele hõgn processu, vbi semper astruit mouens seipsum diuidi in duas partes quarum altera mouens, altera mota dicatur. Sequeretur insuper idem, omnino mouens esse & motum, quia totum mouebit, & totum mouebitur cum grauia ipsa sint quædam tota continua, & eorum partes non sint separate nec mobiles per se, sed per accidens solum ad motum, scilicet totius, quocirca ipsum graue mouebit, & mouebitur vt quod, vt patet, quod contradictionem implicat. Sequeretur etiam nullum esse discrimen inter animata, & inanimata quo ad motum, quod minime dicendum est. Sequeretur postremo idem simul actu potentiaque existere. Cum itaque hæc impossibilia sint, & opinio hæc impossibilis erit.

Seipsum mouẽs diuiditur semper in partẽ mouentẽ, & partẽ motam.

Petrus autem de Aluernia iiij. Cœl. tex. co. xxv. suam ponens opinionem ita concludit, sic igitur apparet, quòd principium motus actiuum grauium, & leuium in actu, soluto prohibente, quod est mouens per se, est ipsum graue, & leue existens in actu, principium autem quo agunt huiusmodi motum, sunt grauitas, & leuitas, quæ in ipsis sunt a generante prius, ita quod grauia & leuia mouentur secundum quòd grauia, & leuia sunt, per formam grauitatis, & leuitatis, mouentur autem non inquantum habent istas formas primo, sed inquantum sunt in potentia ad loca sua primo, quod contingit eis per accidens, & ideo per se mouent se, per accidens autem mouentur, & concludit tandem, quòd non mouent similiter se habentia, nisi soluto prohibente prius à quo est principium motus. Nec inconueniens est inquit, vel impossibile idem à seipso moueri per accidens, licet idem à seipso primo, & per se moueri sit impossibile. Hanc autem opinionem, Arist. repugnare vitj. Phys. tex. co. xxxij. clarissime constat, & ideo tanquam falsa penitus est relinquenda. Verum quia contra se argumentum conspicie-

Petri de Aluernia opinio.

Præfata Petri opinio Arist. repugnat, & ideo relinquẽda vt falsa.

bat Aristot. inquiens. Omne seipsum mouens in duas necessario secari partes, & diuidi, in partem videlicet mouentem, & partem motam, quod in grauibus, & leuibus reperiri nequit, huic respondere conatur, inquiens Arist. dictum, verificari in his dunta xat quæ per se & à se mouentur, in his autem quæ per accidens agitantur, minime, modo grauia & leuia mouentur quidem à seipsis, sed per accidens, qua re Arist. dictum, proposito non obstat; Atqui euasio hæc nulla est, Quia si per accidens, tum grauia, tum leuia, mouentur vt hic asserit, cum per se moueri, necessario motum per accidens semper præcedat, à quonam per se graue, & leue mouebitur? Inquit non à seipso ergo mouebitur ab alio igitur à generante, & ab extrinseco mouente. Impossibile est siquidem effugere, quin motum omne, per se, concludatur sub altero istorum duorum membrorum, videlicet omne quod per se mouetur, vel à seipso, vel ab alio mouetur, cum non detur medium nulla igitur est ista responsio, & Aristotelis ratio, efficacissime concludit.

Euasio pſatis docto ru, nulla est, & o stenditur.

Burlei opinio quã triplici rõne, proba re conten dit.

Est alia, quæ est Burlei opinio, tenentis grauia, & leuia, non à generante moueri, nisi de potentia essentiali ad actum essentialem, sed à potentia accidentali, ad actum accidentalem, qui est motus sursum vel deorsum, à seipsis moueri affirmat, & ideo inquit q si graue sursum existens, non impediatur, per se deorsum à sua mouebitur grauitate, & similiter leue, à sua leuitate, sursum ferretur. Et hanc suam positionem, pluribus nititur probare rationibus, quarum prima hæc est.

Illud per se est causa motus grauium, & leuium, quo posito, ponitur motus, & quo remoto, remouetur & motus, sed grauitas & leuitas sunt huiusmodi ergo. Minorem probat ex remotione formæ substantialis, & positione ipsius grauitatis & leuitatis, ad quas omnino sequitur motus.

Amplius

Amplius. Illud idem quod est per se principium quiescendi naturaliter aliquo in loco, est per se mouendi principium ad eundem, sed grauitas est huiusmodi ergo. Minorem probat, quia per grauitatem resistit graue volenti ipsum à proprio loco, & quiete ammouere ergo.

Adhuc tertiam adducit rationem. Ab eodem est motus effectiue à quo est velocitas eiusdem, sed velocitas grauium & leuium est ab ipsa grauitate, & leuitate ergo.

Postremo auctoritates Philosophi plurimas ad istiusce opinionis suæ confirmationem, adducit; ex primo, & viij. Physic. & ex ij. Cœl. quæ omnes post solutionẽ argumentorum clarificabuntur, eisdemq. germanas reddet sensus, quã sane Burleus ignorauit.

Ad primam igitur rationculam respondendo, nec alia iaciendo fundamenta præter ea quæ superius posita sunt, de duplici mouente quo, videlicet, & quod, dicimus, Minorem esse falsam de mouente quod loquendo, & ad probationem negatur assumptum, qa illo in casu grauitas est illud quo generans vniuersale mouet, & non quod, vt declaratum superius optime fuit. *Ad rõnes Burlei responsio.*

Ad secundam negatur. Minor, si sermo sit de causa quietis vt quæ, quoniam grauitas solum est causa, qua graue quiescit, & naturaliter, sed causa quiescentiæ, vt quæ, esse generans ipsum, à motione cessans. Ad probationem dicitur, falsum esse grauitatem resistere, vt quod, volenti ipsum graue à proprio natura liq. loco ammouere. Est. n. grauitas solum id quo graue resistit, & non id quod, si proprie loquamur; Non enim didicimus ab Arist. formas rerum, actuũ siue operationum principia esse, vt quæ agant & operentur, sed quibus composita ipsa operari dicuntur, vt supra patuit.

Ad secundam negatur & minor, de eo quod est causa velocitatis vt quod.

Ad Aristot. auctoritates adductas, vnico respondetur verbo, dicendo omnes illas, intelligi debere, de mouente quo, & non quod, vt cuilibet vel mediocriter in philosophia erudito, & exercitato, patere potest. Non est igitur Burlei opinio, vsquequaque vera, cum haud Aristot. consona, atqui aduersa prorsus comprobetur. Responsiones vero quas ipse dat ad Arist. rationes, probantes grauia & leuia à seipsis minime posse moueri, omnino rudes sunt, nec ab aliquibus acceptande, nisi ab imperitis iudicioque sano carentibus. Quod vero contra veritatem, & Aristot. sententiam esse subnectit, profecto inficiamur, quoniam nequiuit dictorum Aristotelis verum excerpere sensum. At illud quod ipsi, Maiorem affert difficultatem est, quod expresse pugnatia dicit. Nam hoc in loco tenet grauitatem, & leuitatem esse principia actiua, vt quæ, siue vt quod, & nihilominus easdem esse formas accidentales affirmat, quod implicat, quia nullum accidens, potest propria virtute, agere, cum nequeat per se subsistere, & ob id nequit agere ut quod. Nec dici potest, quòd in virtute formæ substantialis agat, vt quod, quia magis tunc forma substantialis ageret, & moueret vt quod, quod falsum est, & sic patet, quòd grauitas solum, vt quo, mouet. Quapropter impossibilis est hæc positio. Heę opiniones sunt, quę famose videntur, ad hasceq. aliæ, facile sunt reducibiles, vel coincidentes. Nec in quæstione hac, aliud dicendum occurrit, aduersus D. Thom. & Arist. veram opinionem, nisi asserere Arist. dictum, primo Cœl. tex. co. lxxxix. & superius citatam, hanc aliam posse expositionem recipere, vt videlicet, mouens extrinsecum excludat non qualecunque, sed particulare solum, quod graue, vel leue moueat. Et hæc de præsenti quæstione dicta sufficiant.

Burlei responsio ad Arist auctoritates, rudes sunt.

Quæstio de necessitate specierum intelligibilium ad humanam intellectionem.

VAERITVR. An species intelligibiles prorsus necessariæ sint ad hoc vt homo intelligere queat. Mouetur autem specialiter hæc quæstio ob negantes ipsas species intelligibiles, in intellectu possibili esse ponendas, ad hoc, vt homo intelligat, seu intelligere possit, è quorum numero, est Henricus suis in quolib. & Ioannes Bachon. q. ij. prologi primi sent. & ij. dist. vj. q. j. art. iij. ac Aur. dist. xxxv. primi q. j. prop. iiij. & Durandus, qui intellectum negat agentem. Et vt huiusce quæstionis veritas, clarior lucidiorque euadat, hac serie procedemus, vt primo declaremus terminos in quæstione positos, deinde conclusionem, aduersus præfatos doctores ponamus affirmatiuam, eamque tum Aristotelis, tum Commentatoris auctoritatibus comprobemus, rationibusq. validissimis suffultriamus, & postremo argumenta sua, quibus innituntur, diluamus.

Spēs intelligibilis secūdùm D. Th. est duplex, et quæ vtraque sit declaratur.

Quo ad primum igitur sciendum est, iuxta. D. Thomæ doctrinam Aristoteli ac Commentatori consentaneam, duplicem esse intelligibilem speciem, in intellectu possibili, reponibilem, alteram, impressam, expressam, alteram, & prima quidem principiū est intellectionis, secunda vero eiusdem terminus, Item prima, rem repræsentat, non vt intellectam, atqui vt intelligibilem duntaxat, secunda vero rem repræsentat vt intellectam; non autem vt intelligibilem. Rursus prima causatur & producitur ab intel-

lectu agente in intellectu possibili, concurrente phantasmate, secunda vero producitur ab ipso intellectu possibili mediante intellectione. Postremo, prima vocitatur species impressa, quia imprimitur ab intellectu agente, intellectui possibili, vt eius forma accidentaria, qua ipse intelligit, expressa autem quia exprimit rem ipsam vt intellectam, & est veluti imago eiusdem rei intellectæ. Intellectus autem est duplex vt clare concinit Aristot. iij. de Anima. tex. co. xviij. agens, scilicet, & possibilis, & agens quidem intellectus nequaquam intelligit, atqui lumen est quo res materiales, quæ intelligibiles duntaxat in potentia sunt, eas ipsas intelligibiles, facit in actu, dum vna cum phantasmate ab ipsis elicit & producit species in telligibiles in intellectu possibili. Et ob id agens dicitur, & denominatur, Nam agit omnia intelligibilia in potentia, intelligibilia in actu. Intellectus autem possibilis est pura potentia in genere intelligibilium, non autem in genere entis, & est receptiuus omnium intelligibilium, quæ fiunt ab intellectu agente, vt infra declarabitur, in conclusionis ponendæ elucidatione. His itaque sic prælibatis, dicimus præfati quæsiti, hunc esse sensum. An species intelligibiles impresse, necessario sint in intellectu possibili ponendæ, ad hoc vt homo intelligere valeat, & sine ipsis intelligere nequeat. Ad quod quæsitum hac affirmatiua respondetur conclusione, scilicet.

Intellect' secũdum Arist. est duplex.

Verus ẽsi sensus.

Conclusio vera.

Species intelligibiles impressas, adeo necessarias fore, vt sine his nequeat homo intelligere.

Hanc conclusionem sustinet D. Thom. omnibus in locis doctrinæ suæ præsertimque. De Veri. q. viij. ar. vj. & de potentia dei q. ix. ar. v. Rursus q. viij. ar. j. Item secundo. Contra gen. cap. xcvj. Amplius in quæstione de Anima ar. iiij. ad tertium, & quintum. Et quolib. viij. q. ij ar. j. Et postremo iij. de Anima plerisque in locis præcipue tex. com. iij. vj. viij. xv. & xxxviij. cui conclusioni adhærent, & consentiunt omnes

omnes Thomistæ, Commentator Scotus, ac Ioannes à Gandauo, & omnes peripatetici, rectè sentienter. Probatur vero proposita conclusio ad aures Aristotelis, & Commentatoris pariter & declaratur. Nam primo omnium constat, intellectum possibilem ex iij. de Anima, tex. com. iiij. esse omnino immixtum, & incompositum, nullam prorsus rerum corporearum compositionem, admittentem, & id quidem vt omnia entia materialia, seu quiditates materiales intelligere, ac cognoscere queat, quoniam intus apparens prohibet extraneum. Si enim naturam quampiam rerum sensibilium intrinsecę haberet, ab aliorum sanè cognitione impediretur, veluti si oculi pupilla, rubeum colorem intrinsecę intraneaque haberet, ab aliorum colorum cognitione discretioneue penitus impediretur. Et propterea subinculcauit Arist. in tex. v. præfatum intellectum possibilem, nec vnam quidem rerum corporearum naturam habere, atqui hanc solam, vt possibilis sit vocatus, respectu intellectionis omnium naturaliũ, & sensibilium. Est enim hic possibilis animæ intellectus, quo anima ipsa intelligit, omnino in potentia ad omnia intelligibilia, & ob id subdit Aristot. aduersus antiquos, & præsertim aduersus Empedoclem, quòd nihil est actu, in esse, scilicet reali, & materiali, eorum, quæ debet intelligere. Non enim ad hoc, quòd omnia intelligat, necessum est vt in se omnia, in, esse reali, ac materiali contineat, quoniam, vt inquit D. Thom. super hoc textu, esset semper intellectus in actu & nunquam in potentia. Est autem in quit idem Arist. eodem lib. iij. tex. com. xiiij. intellectus in potentia, & ita quidem, vt sit veluti tabula nuda, in qua nihil est actu conscriptum complura tamẽ in ea conscribi possunt, Nihil enim est intelligibilium actu, atqui solum potentia. Quonam vero modo ad intellectionem, seu intelligendi actum reducatur, & quid ad reductionem hanc necessario exi

Quæ sit intellectus possibilis natura describitur.

Quo intellectus possibilis, ad actũ, & operationẽ reducatur.

gatur, sine quo expleri nequeat, dicendum est, speciem impressam, omnino necessariam fore, vti aiebat ipsa conclusio. Species vero hæc, hoc modo progignitur. Nam cum res omnes materiales, vt ipsa materialitate afficiuntur, intelligibiles in potentia duntaxat sint, & intellectus possibilis omnino immaterialis sit, res ipsas materiales intelligere nequit, nisi immateriales ab intellectu agente efficiantur, scilicet per abstractionem quiditatum ipsarum à principijs indiuiduantibus, talis autem abstractio, fieri nequit à præfato intellectu agente, nisi concurrente phantasmate, quod species quædam sensibilis est, in phantasia, seu imaginatiua vel etiam cogitatiua existens, veluti accidens in subiecto, quod quidem phantasma non repræsentat rem nisi particulariter & cũ conditionibus indiuiduantibus, rerum intelligibilitati, repugnantibus, propterea necessum est, ad hoc vt actu intelligi queant, à talibus exuantur & denudentur conditionibus, quod sanè pulcherrime fit, ex accessione luminis intellectus agentis, phantasmata collustrantis, non quidem eisdem iam productis, ali quam spiritualem formam, imprimentis, atqui solũ ex præsentia sua, reddentis ea ipsa, clara, perlucidaq. ac tantæ spiritualitatis, vt proportionata, ac sufficientia valeant esse instrumenta ipsius intellectus agentis, ad concausandum, & comproducendum species intelligibiles in intellectu possibili, quibus repræsentantur, res, actu intelligibiles, nempe vniuersalitate prædite, & sine quibus, nunquam vt vniuersales, eidem intellectui obijcerentur possibili. Modus autem talis illustrationis phantasmatis, eiusque vigor, comproductionis speciei intelligibilis, hinc oritur, quoniam cum phantasma, in eadem animæ intellectiuæ essentia, fundetur ac radicetur, in qua, & ipse intellectus agens, fundatur ac radicatur, ex tali radicatione, ac quadam luminis spiritualis, participatione, consurgit virtus, ac vigor, in phantasmatibus, in

Speciei intelligibilis gignitio perpulchre declaratur.

Vnde oriatur modus illustrationis phantasmatis.

in ipsa phantasia existentibus, vt vna cum intellectu agente, intelligibiles species impressas, in intellectu possibili, rerum naturas vniuersales, repræsentantes, producere possint. Hic etenim est breuiusculus productionis impresse speciei modus nunc vero eius necessitas ad intellectionem, tum ex Aristotelis, tum ex Commentatoris clarissimis dictis, commostranda est, deinde validissimis rationibus comprobanda. Et illud quidem dictum Aristotelicum iij. de Anima. tex. com. ij. tanquam verissimum, supponendum est, scilicet, quòd Intelligere, est veluti sentire, quoniam sicuti sentire, cognoscere quoddam est, à potentia sensitiua promanans, quod quidem quandoq; in potentia, quandoque in actu existit, ita intelligere, cognoscere quippiam, est, à potentia intellectiua progrediens, quod nonnunquam in potentia, nonnunquam in actu est; & item, quemadmodum sentire quoddam pati est, aut passione proprie dicta, quę est cum abiectione contrarij, aut passione perfectiua, qua sensus ipse, à sensibili specie perficitur, ita & intelligere, aut pati quippiam erit ab intelligibili, eadem passione proprie dicta, aut passione perfectiua, ea nempe qua intellectus ex receptione speciei intelligibilis, perfectus euadit. Cumque in tex. iij. neget intellectum possibilem, vtpote immaterialem penitus, passibilem esse passione proprie dicta, eundem affirmat, passibilem fore, passione perfectiua, à specie, scilicet rei intelligibilis, quam suscipere potest, & propterea, inquit, eum ipsum susceptiuum speciei, qua actu caret. Et quoniam de alia specie loqui nequit, quàm de impressa vti infra patebit, clarissimeque probabitur, igitur secundum ipsum, hæc prorsus est admittenda, vt intellectus ad actum primum reducatur, quo inde ad libitum intelligere queat. Et id quidem expresse declarat Arist. tex. viij. dum inquit, quòd quia dictum est, intellectum possibilem, non actu habere ipsas, intelligibilium rerum, species,

Speciei intelligibilis necessitas apertissime cõmostratur

cies, atqui in potentia solum, eapropter cum fiat singula eorum intelligibilium ad quæ est in potentia, id est, actu recipiat eorundem intelligibiles species quarum receptiuus erat, tunc ad actum primum reducitur; & id quidem confestim accidit, (subdit Aristot.) cum per seipsum, quispiam, in propriam potest exire operationem intellectualem absque alio extrinseco motore ad eam ipsam concurrente. Ex hac nempe auctoritate clarissime constat, intellectū ipsum possibilem fieri singula intelligibilia, cumque ea ipsa fieri nequeat secundum eorum proprias naturas prout in rerum natura existunt, necessario sequitur, vt ipsamet fiat secundum eorum species, & similitudines quibus (vt dictum est) reducitur intellectus de pura potentia, seu vt inquiunt philosophi, de potentia essentiali, ad actum primum, & essentialem, sicque singula factus, in potentia rursus est accidentali, nempe ad operationem, sicuti sciens, qui cum scientiæ habitum habeat, est item in potentia ad opus, ad intelligere, scilicet, & considerare, quod quidem consequi potest, cum sibi libuerit. qui tamen ante intelligibilis speciei receptionem, operari minime quibat. Hoc idem astruit viij. Phys. tex. com. xxxij. Itidem rursus habetur, ex eiusdem Arist. apertissima auctoritate, hanc nunc citatam elucidante, quæ scribitur iij. de Anima tex. com. xxxvij & xxxviij. Nam in xxxvij. ait animam esse quodammodo omnia, qa cum eadem essentia animæ sit & sensitiua, & intellectiua, est quidem non simpliciter at modo quodam, sensibilia omnia, per sensum, & intelligibilia cuncta, per intellectum. In tex. vero xxxviij. modum declarans, quo, anima ipsa sit omnia, inquit. Necesse est autem aut ipsa, aut species esse, id est, necesse est animam ipsam esse omnia sensibilia, & intelligibilia, aut secundum eorum esse reale, & materiale, ita vt ex his omnibus realiter intrinsecæque componatur, vti dicebant antiqui & presertim Empedocles, vt simi

Aristot. declarat quo anima sit omnia.

le

le, simili cognoscatur, aut ea ipsa esse, secundum eorundem species, & similitudines. Atqui primum esse nequit, quia impossibile est animam omnino im materialem, esse, ipsa intelligibilia secundum eorum materialem naturam, ergo secundum erit. Et hoc ostendit dicens. Non enim lapis est in anima, scilicet secundum propriam eius naturam, atqui eius species, & non alia sane nisi impressa, igitur secundum Arist. hæc est concedenda. Sciebat enim verissimum esse quod & antiqui asseuerabant, prout habetur primo. De Anima tex. com. xxvj. & xxxiij. scilicet, q̃ simile, simili cognoscitur, non quidem vt necesse sit, animam, materialibus ex rebus componi vt eas ipsas cognoscat, vti, ipsi, falso arbitrabantur, atqui operæprecium esse, aliquid, eisdem, simile in ipsa anima poni, quo tales res perpulchre dignoscantur, & tale, non aliud quippiam, est, quàm intelligibiles species impresse, & id expresse docet Arist. ipse iij. de Anima. tex. com. vj. in quo illorum approbat opinionem philosophorum, qui dicebant, animam esse locum specierum, non quidem totam, at intellectiuam, quæ organo caret corporeo, & locum esse dicit secundum similitudinem, quia quemadmodum locus est receptiuus locati, ita anima intellectiua est specierum receptiua, non quidem, quòd ea habeat actu sed potentia, & propterea subdit neque actu, sed potentia species. Et his verbis Platonem redarguit ponentem animam, habere species sibi conatas, & non nouiter acquisitas.

Quo simile simili cognoscatur.

Nunc vero ratione probatur auctoritatibus Aristotelis innixa, & est. Sicut se habet sensitiuum ad sensibilia, ita se habet intellectiuum ad intelligibilia, Atqui sensitiuum siue sensus, est susceptiuus specierum sine materia, ergo & intellectiuum, seu intellectus est receptiuus specierum sine materia, sed tales species sunt impresse, obiectorum repræsentatiue, igitur concedende sunt. Maior est Arist. iij. de Anima

Refellitur Platonis positio.

ma tex. com. 1 j. & sic intelligitur: Quia quemadmodum sensus est potentia passiua, nullam penitus habens speciem sensibilem ipsius obiecti sensibilis, potest tamen omnem recipere, sicuti potentia visiua, nullam prorsus habens cuiusuis coloris speciem actu, potest tamen omnium colorum species recipere, ad quas est in potentia, ita intellectus possibilis, pura est potentia passiua, nullam omnino habens speciem intelligibilem actu, cum sit veluti tabula nuda in qua nil est actu conscriptum, potest tamen eam ipsam habere, obiecti sui intelligibilis, repræsentatiuam. Minor quoque eiusdem est Arist. ij. de Anima tex. com. cxxj. & est ipsius sensus in communi, definitio, quam à simili probans, inquit, Sicut se habet cæra ad sigillum aureum vel æneum, ita se habet sensus ad obiectum suum sensibile, atqui cæra recipit à sigillo figuram, siue speciem, atque imaginem, sine materia aurea vel ænea, vt patet, igitur & sensus receptiuus est specierum obiecti sensibilis sine eius materia. Nã oculus in quo est potentia visiua, non colorem secundum suum esse materiale recipit, prout est in subiecto, at eius speciem, quæ modo quodam, & pro gradu aliquo habet esse spirituale, & immateriale, quæ quidem species, proximum est principium sensitiuæ cognitionis. Quòd autem tales species sint impresse tam in intellectu, quàm in sensu, & quòd principium cognitionis sint, declaratur. Quia cum obiecta sensuum nequeant secundum suum esse materiale, & naturale in sensibus ipsis tum exterioribus tum interioribus recipi, vti clarissime cernimus, ob id recipiuntur tantum eorũdem obiectorum species in ipsisque imprimuntur hacque ex impressione, obiecta sua cognoscunt, sine qua sanè ea ipsa minime cognoscere possent. Si enim sine talibus speciebus, sensus cognoscere possent vti superuacanea certe posita fuisset ab Arist. hæc specierum receptio sine materia, & cum hoc neutiquam affirmandum sit,

Declaratur quòd species impresse sint cognitionũ principiũ in sensu, & in intellectu

sit, necessaria igitur est talis specierum in sensibus, impressio. Hac quoque eadem ratione, & similitudine, ponimus rerum intelligibilium, species, recipi ac imprimi in intellectu possibili, ipsarum repræsentatiuas, vt intelligendi formale principium existant, quæ à sensibilium speciebus discriminantur, quoniã ille vniuersales, heæ vero particulares existunt. Et id expresse astruit Commentator ij. de Anima. com. cxxj. vbi de vtraque specierum passione ac receptione differens, inquit. Secundum hunc modum patitur vnusquisque sensuum ab eis, à quibus natus est pati, sine colore, sine sono, sed non patitur ab eo secundum, quòd est color, aut sonus, quoniam si ita esset, contingeret, quòd cum reciperet ipsum, esset color aut sonus, & non intentio, & hoc intendebat cũ dixit, sed non secundum quòd dicitur vnusquisque, sed secundum quòd est intentio, Intentio enim coloris alia est à colore, & dixit secundum, quòd est in hac dispositione, & intentione, obseruando se ab intentionibus quas recipit intellectus, ille enim sunt vniuersales, iste autem sunt particulares. Ex hac nanque auctoritate, aperte constat Commentatorem velle intellectum possibilem receptiuum esse intentionum, seu formarum vniuersalium eo modo quo sensus receptiuus est intentionum, seu formarum particularium à materia modo quodam abstractarum, igitur quemadmodum heæ sensibiles species in sensibus recepte, formarumque particularium repræsentatiue sunt vt sentire valeant, ita & intelligibiles species, seu intentiones secundum ipsum Commentatorem vniuersales in intellectu veluti in proprio subiecto recepte, & rerum intelligibilium repræsentatiue, erunt & principium intelligendi. *Cõment.*

Comprobatur hoc idem hac secunda ratione, Quoniam id quod est omnino in potentia, non potest vllatenus operari, & propriam habere operationem nisi ad actum reducatur, atqui non potest ad actum *Secũda ratio, cõclusionis probatiua.*

ctum reduci nisi per aliquam formam intrinsecam, seu in ipso existentem, igitur cum intellectus possibilis sit pura potentia non poterit intelligere nisi reducatur ad actum per aliquam formam sibi inhærentem, & ipsum in actu primo constituentem, sed talis actus nequit esse ipsum obiectum intelligibile quoniam est aliquid ad extra, igitur erit eiusdem speciei quæ in ipso recipi potest, qua mediante præfatum re præsentari ac intelligi potest obiectū: Ipsa enim immaterialis est, non autem obiectum, & propterea ea ipsa in intellectu immediate recipi potest, non autē obiectum, cum secundum se materiale existat, nec immaterialiter repræsentari, seu obijci intellectui, valeat, nisi per speciem impressam.

Comprobatur pro posita conclusio, 3. ratione.

Rursus argumentatur ad huiusce positionis, ac conclusionis corroborationem. Quia omne agens, agit inquantum est actu, sed non est in actu nisi per formam igitur forma erit operandi principium. Et hinc fit vt cum intellectus possibilis sit agens, seu intelligens, non agat nisi per formam, percunctatur modo, quænam sit illa forma, & forma quidem materialis esse non potest, igitur spiritualis, & immaterialis, talis autem est species intelligibilis ipsius obiecti, non autem intelligere, quoniam cum intelligere sit actus, seu operatio immanens, ipsius intellectus possibilis, necessario formam supponit qua operetur & intelligat. Et hanc ob rem aiebat Arist. iij. Phys. tex. com. xvij. existimādum esse semper aliquam formam esse mouentem ad operationem ipsam, qualiscunque operatio sit illa, quoniam quantum ad hoc non discriminantur operatio immanens, & transiēs, quoniam vtriusque principium est forma, vel substantialis, vel accidentalis, substantialis quidem, vt remotum, & mediatum, accidentalis vero vt proximum, & immediatum principium, oportetque prædictam formam esse operanti, & agenti intrinsecam, vel inhærentem, vt eius operatio dici queat.

Forma secundū Aristot. est semper operatiōis principiū

Obiectum

ctum autem nequit esse intrinsecum at solum eius species in intellectu recepta.

Ad rōnem Ioānis Bachonis respondetur

Ad rationes autem Ioan. Bachonis quæ breuitatis causa non formaliter adducuntur breuiter dicimus. Et ad primam quidem quam facit aduersus Scotum, & D. Thom. eorumque sectatores, respondemus, dicentes, maiorem assumptam, vtique veram esse, nempe speciem impressam, habere rationem formalem impressam in intellectu, & præcedere primū intelligendi actum, quoniam est id quo intellectus possibilis intelligit, nec vllatenus sine ea intelligere potest. Minor vero falsa est, & cum eam probare contendit asserens de intentione Aristot. esse, intellectum nostrum sine specie impressa, posse in omne expressum sibi lumine intellectus agentis, id inficiamur, quia ponimus obiectum vniuersale non aliter intelligi posse, nisi repræsentetur per talem speciem, quoniam est id quo intellectus possibilis, intelligit & id quo primo fit præsens eidem intellectui, sine qua sanè presentia, obiectum ipsum nequaquam intelligeretur. Necessum est enim cognitionem quāliber per assimilationem intellectus ad intelligibile fieri. Cumque assumptum probare conatur, quia scilicet secūdum ipsum Arist. intelligere est primum, quòd recipitur in intellectu, seu anima ipsa, id inficiamur, quoniam id nunquam somniauit Arist. & cum secundum ipsum, id probare enititur, quia nihil est intellectus eorum, quæ sunt ante intelligere, & quòd intelligere, & species sunt idem. Dicimus verum equidem esse, intellectum, ante intelligere, nihil actu esse eorum quæ sunt, ad hunc, scilicet sensum, quia cum Empedocles inter ceteros antiquos, voluerit omnem cognitionem, per assimilationem fieri ipsius cognoscentis ad cognitum, arbitratusque fuerit intellectum nostrum omnia dignoscere, propterea posuit eundem intellectum ex omnibus rebus, vel saltem ex earundem principijs actualiter componi, quod

Arist. dictum pulcherrimo declaratur.

quod penitus destruens Aristoteles aduertus ipsum, subdit, intellectum ipsum, nihil actu esse eorum quę sunt secundum eorum proprias naturas, ante intelligere. Si vero ex hoc vlterius inferatur ergo non potest esse ipsa intelligibilis species, neganda est hæc cõsequentia, quandoquidem talis intelligibilis species ipsum intelligere omnino necessarioque præcedat. Quod Commentatoris auctoritate commento 1v. probatur sic inquientis. Diffinitio igitur intellectus materialis est illud quod est in potentia omnes intentiones formarum materialium vniuersalium, & non est in actu aliquid entium antequam intelligat ipsum. Dici etiam potest & vere, quòd intellectus nihil est actu eorum, quæ sunt, ante intelligere, scilicet causaliter, quoniam cum intellectus recipit species rerum ad quas est in potentia ex tali receptione causatur ipsum intelligere quod est actus secundus, & operatio, & ob id, ante talem specierum receptionem, quod intelligere causaliter, est, nihil est penitus actu eorum quæ debet intelligere. Negatur deinde illa consequentia ergo intelligere, & species, idem sunt. Et huiusce negationis ratio est, quoniam intelligere actus est secundus, & operatio, quæ in duas secatur, in indiuisibilium, scilicet intelligentiam, & compositionem, ac diuisionem, de quibus Arist. tractat. iij. de Anima à tex. xxj. ad textum vsque xxvij. Species vero impressa actus est primus, & forma quędam accidentaria permanens, ipsius intellectionis formale principium, & ob id in vnum cotre nequeũt. Amplius idemptitas hæc speciei intelligibilis, & ipsius intelligere, expresse repugnat Aristot. tex. com. vinj. inquienti, quòd cum intellectus factus est singula intelligibilia, potest intelligere cum vult. Si itaque ponatur species idemptificari, ipsi intelligere, quonam modo, factus intellectus iam singula intelligibilia, per ipsas species, vt omnes veri peripatetici exponunt, erit in potentia ad ipsum intelligere? Hoc enim

Alia Aristot. dicti explanatio.

Ponere speciẽ intelligibilẽ & ipsum intelligere, idem esse Arist. repugnat.

enim impedicat, quia esset simul idem in actu, & in potentia, respectu eiusdem.

Ad secundam rationem qua probare contendit, intellectum possibilem per speciem præuiam non reduci de potentia essentiali ad actum, imò quòd primo de tali potentia ad actum per intelligere reducitur, quia secundum ipsum philosophum, non oportet ad hoc vt intellectus, quippiam patiatur ab obiectis, quòd aliquam habeat infra naturam, formam similem eis, sicut nec tabula nuda antequam recipiat picturam, sed solum, quòd ipsa sit in potentia naturali ad receptionem talium passionum, sicut tabula, seipsa est in potentia ad picturam, & propterea, q̃ est in potentia, intelligibilia; & vltra subiungit quòd tunc primo est similis per aliquod superadditum ipsi intelligenti, quando actu intelligit, & non priusquã actu intelligat, imò mediante actu, ad eorum esse simile, in intellectu reducitur. Subindeque ait, quòd in actu intelligendi resplendent obiecta in esse cognito sub modo eorum existentiæ extra, sicut primo tabula non assimilatur alijs depictatis, antequam sit actus depingendi receptus in ea, sed mediante actu acquiritur, color vel figura, seu imago, in tabula depicta. Et post pauca ex his talem formans rationem ait. Quod est in potentia essentiali, primum quod recipit est actio, qua transitur ad formam, vt patet in tabula, sed intellectus est in potentia essentiali, ergo primum receptum est intelligere, & post res producta in esse intellecto, simili modo existentiæ suæ extra.

Ratio syllogistica Ioan. Bachonis.

Ad hæc omnia facile respondemus, dicentes, in prædictis assumptis, & probationibus, complura assumi falsa, Et in primis quidem illud falsum est, quòd scilicet secundum philosophum ad hoc vt intellectus aliquid ab obiectis patiatur, necessum minime sit, ipsum habere aliquam formam eis similem, vt iam probatum est & declaratum & amplius ostendetur.

Ad Ioan. Bachonis complura obiecta responsio.

Nec similitudo intellectus ad tabulam, quippiam ei suffragatur, quoniam & si in principio, dum intellectus est in potentia remota ad ipsum intelligere, sit veluti tabula nuda in qua nihil est actu conscriptum, tamen ante eius intelligere, quod est eius vltimus actus ipsum perficiens, possunt plura conscribi, quādoquidem sit specierum obiectorum intelligibilium receptiuus vt clare fatetur Arist, & id iam supra ostensum sit, quibus receptis est in potentia propinqua ad ipsum intelligere. Rursus falsum est & illud, quòd tunc primo intellectus est similis per aliquid superadditum ipsi intelligenti quando actu intelligit, & non priusquam actu intelligat, quodque mediante actu, scilicet ab intellectu possibili producto, ad obiectorum intelligibilium similitudinem reducatur. Non enim per operationem aliquid primo fit alteri simile, sed per operationis principium formale, quod est forma permanens, non actus transiens. Operatio etenim veluti intelligere ex intellectu iam specie intelligibili informato promanat vti prius ostensum est. Falsum quoque assumitur, quòd in actu intelligendi resplendeant obiecta in esse cognito sub modo eorum existentiæ extra, quoniam obiecta secundum eorum esse essentię, vel existentiæ, in communi, non nisi per verbum per ipsum intelligere productum, in esse cognito resplendere possunt, quod verbum vocitatur, species expressa, quoniam exprimit & repræsentat obiectum actu cognitum, cui perpulchre assimilatur, Species vero intelligibilis idem repræsentat, non in esse cognito atqui in esse cognoscibili; Nec similitudo de tabula subiuncta, aliquid aduersus nos probat. Si tamen quippiam probare concedatur, non aliud sanè concludit, nisi q mediante actu & actione non quidem intellectus possibilis, sed intellectus agentis, acquiratur similitudo seu species intellectui possibili, impressa, per quā repræsentatur obiectum vt intelligibile, & ob id in-

quiebat Aristt. iij. de Anima tex. com. xvij. quòd intellectus agens qui est factiuus ita se habet in faciendo omnia, sicut ars, ad materiã. Et hoc quidem optime concedimus.

Ad rationem sillogisticam Bachonis responsio.

Ad rationem autem syllogisticam, quam formauit, negatur maior, nempe, quòd illud, quod est in potentia essentiali, primum quod recipit sit actio qua transitur ad formam, quoniam id quod est in potentia essentiali, primo & per se recipit, non actionem sed formam ad quam immediate sequitur actio. eapropter cum intellectus possibilis sit in potentia essentiali, primum quod recipit est ipsa species per actionem intellectus agentis & ministeriũ phantasmatis producta, & eidem intellectui possibili impressa, qua recepta, ad libitum operatur. Supponit igitur intellectus possibilis actionem quidem intellectus agentis, at non suam. Nec Commentatoris auctoritas, ex iij. de Anima com. xiiij. citata hanc nostram sentẽtiam impugnat, imò huic fauet, Sic enim inquit. Quemadmodum enim tabula nullam habet picturam in actu, neque in potentia propinqua actui, ita in intellectu materiali non est aliqua formarum intellectarum quas recipit, neque in actu, neque in potentia proquinqua actui, voco autem (subdit) potentiam ppinquam actui, dispositionem mediam inter remotam potentiam, & postremam perfectionem. Ex hisce nanque verbis, solum habetur, ꝙ intellectus non habet aliquam formarum intellectarum, quas recipit, neque in actu vltimo, & perfecto, dum scilicet intelligit neque in potentia propinqua actui vltimo, quia omnino est in potentia, nullum penitus actum habens, non tamen negat quin possit effici in actu, imò admittit, cum inquit, quòd in intellectu possibili, nõ est aliqua formarum intellectarum, seu specierum, quas recipit. En quòd aperte hanc specierum receptionem admittit. Est enim hæc species necessaria, vt obiectũ, & præsens, & absens, repræsen-

Commentatoris auctoritas, positioni nostræ nihil officit

tetur. Et nisi hoc Commentatoris dictum intelligatur vti exposuimus, iam non sibi ipsi constaret, vti liquet ex eius dictis supra citatis. Si verò quispiam contenderet, Commentatorem velle hoc in dicto suo, negare huiusce modi species impressas, in intellectu possibili esse ponendas, hoc dictum suum, veluti erroneum à nobis repelleretur.

Ad oēs rationes Ioannis Bachonis secundo sent. factas aduersus positionē nostrā simul respondetur.

Aliæ autem rationes quas Ioan. Bachon. dist. vj. ij. q. j. ar. iij. subinculcat, facile dissoluuntur. Et ad omnes simul respondetur, inquiendo, quòd primus, Intellectus possibilis, actus, est directus, non reflexus, suppositā specie intelligibili impressa, quia intellectus primo & per se in obiectum fertur per speciem impressam sibi repræsentatum, & per eandem speciem primo ac per se intellectum mouet ad sui intelligentiam, poteſque dici mouere intellectum in quodam esse obiectiuo (vt eius verbis vtamur) non quidem intellecto, atqui intelligibili, quoniam obiectum respectu intellectus, duplex sibi vendicat esse, intelligibile, scilicet, dum per speciem, intellectui præsentatur, & intellectum, dum per verbum, ab intellectu, per intelligere productum repræsentatur. Intelligit autem vtranque speciem, solum per actum reflexum. Sunt enim hæc quibus obiecta intellectui offeruntur, & vt intelligibilia, & vt intellecta; Et similiter dicitur, quòd siue ponamus ipsum intellectum, agere, siue pati, necesse est ponere ipsam speciem præuiam impressam, quia intellectus est potentia cognoscitiua, quæ & passiua, est, respectu receptionis ipsius speciei intelligibilis, & suimet actus, in ipso, recepti, & actiua, quoniam specie impressa informatus, ipsum intelligere producit, quod est eius effectus.

Intellect⁹ obiectum duplex habet esse in intellectu

Amplius concedimus vnionem præexactam inter potentiam apprehensiuam, & suum obiectum, esse vnionem cognoscentis cum cognoscibili. Et cum dicitur, quòd de præcisa ratione talis vnionis

est,

est, (nec plus exigitur) nisi quod cognoscibile sit principaliter expressum ipsi cognoscenti in quodam esse obiectiuo, si intelligatur vnionem hanc fieri posse sine specie intelligibili, id falsum omnino dicimus, quia cognoscibile non potest cognoscenti aliquo modo vniri, nisi per similitudinem, & speciem immaterialem, in ipso intellectu cognoscente immateriali, receptam.

Item ad rationem de assimilatione, dicimus talem assimilationem potentiæ, ad obiectum, non posse fieri nisi per speciem ipsam impressam, & non per intelligere, quia vera assimilatio, & propria semper per aliquam formam fit, sicuti dicimus sortem assimilari Platoni per albedinem, vel nigredinem, & huiusmodi, quæ sunt vere formæ accidentarie.

Nec postremo sequitur vt arguit ex aliorum argumento, quòd si ponatur species impressa, in intellectu, sint plura accidentia, solo numero differentia, in eodem, quia scilicet essent simul actus intelligendi, qui repræsentat rem intelligibilem, puta lapidem, sicut & ipsa species impressa, quæ sunt duo accidentia eiusdem speciei, soloque numero differentia, non sequitur inquam, quoniam & falsum est, quòd actus intelligendi, rem ipsam intelligibilem repræsentet, vt supra patuit, & falsius, quòd idem actus intelligendi, sit eiusdem speciei, cum ipsa intelligibili specie impressa, quia talis actus, & si sit immanens, dicit actionem ab intellectu, specie intelligibili informato, promanantem, & species ipsa dicit formam quãdam permanentem, firmam, & stabilem quæ est, actus intelligendi, principium: Hæc quoque in prima qualitatis specie collocatur, ille vero in genere actionis, non quidem phÿsicæ, quæ dicit motum, qui est actus imperfecti, atqui in genere actionis immanentis quæ alia est species motus, vt inquit Arist. iij. de Anima tex. com. xxviij. quæque dicit actum siue operationem

tionem quæ est actus perfecti, id est intellectus existentis in actu primo per suam speciem, vti claret ex textu supra citato, in quo exemplificatur, de ipso sentire dum dicitur, quòd sensitiuum, cum reducitur de potentia, ad actum, per ipsum sensibile, non patitur nec alteratur, passione, scilicet, ac alteratione proprie dicta, quæ est à contrario in contrarium, sed passione, ac alteratione perfectiua, quæ si motus nomen subire debeat, aliam, motus speciem subibit. Differunt igitur actus intelligendi, & ipsa species impressa, secundum proprias rationes formales, specie, & fortasse plusquam specie. Et cum dicitur, quòd vtrunque specificatur ab eodem obiecto, adest in prõptu responsio, Quia ab eodem quidem obiecto, sed secundum diuersas ipsius rationes formales, speciem trahunt, specificamque diuersitatem. Nam species intelligibilis impressa immediate ab ipsa rei quiditate vt intelligibili, specificatur, & ab intellectu agente, phantasmate concurrente, producitur, actus vero intelligendi, ab eadem rei quiditate, media specie, ab intellectu possibili progignitur.

Spẽs impressa, & actus intelligendi specie differunt.

Ex supradictis autem facile patere potest, interpretationes ipsius Ioan. Bachon. vj. dist. ij. q. j. ar. iiij. datas ad auctoritates cum Arist. tum Commentatoris falsas esse, responsionesque eiusdem, ad argumenta in oppositum allatas, nullas esse, vt cuilibet eas legenti ac intelligenti constare poterit. Danda itaque est omnino, & admittenda, species impressa, ad hoc vt intellectus intelligat, quoniam sine ea nunquam intelligere posset quandoquidem ipsa principium intellectionis formale, ac specificatiuum sit, & obiecti vniuersalis, repræsentatiua.

Dubium, an scilicet, quod est intellectus possibilis obiectum speciem præcedat intelligibilẽ

Verum dubium hic insurgit à doctoribus tractatum, & discutiendum. Num, scilicet vniuersale, quod obiectum ponitur intellectus, possibilis, prius natura, præcedat speciem intelligibilem impressam, quæ in intellectu subiectiue ponitur, an potius econ

tra.

tra. Et licet Ioan. Bachon. species neget intelligibiles, nihilominus quia attribuit D. Thomæ, & Scoto, quòd vniuersale sit in intellectu mediantibus speciebus intelligibilibus, & ob id ponere videntur species ipsas modo quodam præcedere ipsum vniuersale, hanc ob rem q. ij. prolog. sen. ar. ij. sustinens ipsum vniuersale præcedere species ipsas, arguit aduersus positionem hanc. duplici ratione, quarum prima hæc est.

Illud idem quod est intelligibile in potentia debet fieri actu intelligibile, sed solum imaginatum est intelligibile in potentia ergo ipsum fit actu intelligibile, & vniuersale. Sed quando aliquid est actu tale, tunc primo sibi conuenit propria sua operatio, respectu proprij passiui, ergo quando obiectum factum est actu vniuersale, tunc potest agere in possibilem, sicque sequitur, inquit ipse, quòd vniuersale prius est antequam imprimat speciem, vel aliquid in intellectum.

Ad idem secundo sic arguit. Obiectum phantasiatum, non solum mouet secundum intentionem singularem, vel particularem, imaginatiuam, sed natum est mouere ad vlteriores conceptus, atqui illi nequeunt intelligi esse aliquæ rationes singulares, quia intentio singularis à phantasia duntaxat apprehenditur ergo illi vlteriores conceptus, sunt vniuersaliores intentiones in potentia intelligibiles. Sed subdit intellectus agens debet inchoare actionem suam, ab eo quod est vltimate expressum, & repræsentatum in ipso phantasiato, faciens de vniuersali in potentia, vniuersale in actu, ergo ex hoc concluditur vniuersale in esse obiectiuo esse præuium omni actui, siue impressioni speciei in intellectu possibili.

Duabus rationib. Ioãnis Bachonis respondetur

Hisce duabus rationibus, quàm facillime respondetur.

Et ad primam quidem dicitur, admittendo primum

mum argumentum in forma constructum, At cum inde subiungitur, quòd quando aliquid est actu tale, tunc sibi primo conuenit propria operatio sua, respectu proprij passiui, respondetur & pulchre quidem, quòd si aliquid est actu tale ex se, non mendicans actualitatem ab alio, tunc vtique verum est, quòd eidem primo conuenit propria operatio sua respectu proprij passiui, at minor subsumenda, scilicet, sed vniuersale est actu tale, ex se, & non ex alio, falsissima nedum falsa est, quoniam vniuersale non habet, q̃ actu vniuersale denominetur & sit, nisi ex specie intelligibili ab intellectu agente, & phantasmate causata, & in intellectu possibili recepta, repræsentante actu naturam, & quiditatem rei absque conditionibus indiuiduantibus, qua sanè repræsentatione, talis natura, & quiditas, vt omnino vniuersalis, ac immaterialis, intellectui ipsi possibili obijcitur, & tunc taliter actu effecta, sibi primo conuenit propria operatio, nempe mouere intellectum possibilem ad sui intellectionem. Et propterea non sequitur vniuersale prius natura esse, antequam in intellectu, species imprimatur. Nisi enim esset talis species impressa, quæ, quiditatis rei à singularibus, abstracte, vera imago, similitudo, ac species est, nequaquam ipsa quiditas vt vniuersalis eidem intellectui præsentaretur, vt fusius infra declarabitur.

Ad secundam vero, cum dicitur, quòd obiectum phantasiatum non solum mouet secundum intentionẽ singularem, vel particularem, imaginatiuam, sed natum est mouere, ad vlteriores conceptus, si intelligatur hæc propositio, quòd obiectum tale phãtasiatum natum sit mouere secundum vlteriores cõceptus, id est, quòd virtute luminis intellectus agentis mouere possit ad producendum species intelligibiles, obiecti vniuersalis, repræsentatiuas, verissima est, & id nos edocemus, si vero, intelligatur tale obiectum phantasiatum, natum, mouere ad vniuersaliores

liores concepti, id est ad vniuersales res in potentia intelligibiles, absque speciebus intelligibilibus, ipsas, repræsentantibus, falsa est: Et cum subiungitur, quòd intellectus agens incipit actionem suam ab eo quod est vltimate expressum, & repræsentatum in ipso phantasiato faciens de vniuersali in potentia, vniuersale in actu, dicimus, quòd si intelligatur per hãc propositionem intellectum agentem, inchoantem actionem suam à phantasiato ita, quòd possit facere de vniuersali in potentia, vniuersale in actu, ante productionem speciei intelligibilis impresse, seu sine ipsa, falsum penitus assumitur; Iam enim dictum est, non posse fieri vniuersale in potentia, vniuersale in actu, nisi prius natura producatur ipsa species, qua vniuersale actu, intellectui præsentatur, quaque vniuersale relucet, non relucentibus particularibus conditionibus. Cum postremo subinculcat ex præmissis sequi, vniuersale in esse obiectiuo esse prauium omni actui, siue speciei, impresse in intellectu possibili, consecutionem hanc negamus, quoniam nullam penitus ex antedictis, necessariam dependentiam habet. Et quoniam nonnulli Thomistarum huic positioni tenenti, ipsum vniuersale, seu intelligibile, prius natura esse, ipsa intelligibili specie, arridente, ac firmiter assentiunt, è quarum numero, Reuerendiss. est Caietanus iij. de Anima cap. ij. quem sectatus Magister Chrisost. iij. de Anima q. iij. de intellectu agente. iccirco horum opinio in medium est afferenda, ac vti falsa refellenda, & oppositæ opinio confirmanda, vti veritati consentanea. Imaginatur igitur Caietanus intellectum agentem in ipsum agere phãtasma obiectiuè tantum nihil tamen in eo ponendo, sed faciendo apparere in eo, naturam, seu quiditatem lapidis, non apparentibus conditionibus indiuidualibus, & id (inquit) prius natura quàm fiat species intelligibilis in intellectu. Imaginaturque tale intelligibile in actu, scilicet obiectiuè fieri per abstra-

Caietani opinio, et magistri Chrisostomi.

ctionem

ctionem sine mendacio, non quidem per expoliationem alicuius à phantasmate, sed per relucentiam vnius, & non relucentiam alterius, & hæc actio est intellectus agentis, quæ abstructio dicitur intelligibilis in actu, ab intelligibili in potentia. Licetque sit prius natura intelligibile in actu ipsa specie, hæc ipsa tamen necessaria est, subiungit, vt intellectus possibilis fiat omnia intelligibilia in actu formaliter. Cur vero relucere nequeant conditiones indiuiduales, respondet, hoc ideo esse, quia illis repugnat sub tali lumine splendere, eisdemque repugnat apparere immaterialitate abstractiua.

Capreoli opinio.

Huiusce opinionis oppositum sustinet Capreol. dist. xxxv. primi, ad secundum Henrici. inquientis, quòd prius natura species est præsens ipsi potentiæ, quàm obiectum sit eidem præsens, quia obiectum (subdit) non est præsens potentiæ intellectiuę, nisi per suam similitudinem. Et hanc opinionem sectatur Magister Franciscus Ferrar. secundo Contra Gen. cap. lxxvij. Et hanc, veritati omnino consentaneam esse dicimus, quam & declaramus. Si enim ipsum intelligibile in actu, seu vniuersale prius natura, ponatur effectum, quàm ipsa intelligibilis species, percunctandum est, an in illo priori naturę ipsum intelligibile, seu vniuersale, in aliquo sit subiectiuæ, vel obiectiuę, quòd non subiectiuę expresse constat, quandoquidem nec in sensu, nec in intellectu esse queat, non in sensu quidem, quoniam omne quod in sensu recipitur, cum in eius organo corporeo recipiatur, particulare, ac singulare est, nec etiam in intellectu, quia non res vniuersales, seu actu intelligibiles, in ipso subiectiuę recipiuntur, sed earundem similitudines siue species, vt omnes veri tentiantur peripatetici, nec etiam obiectiuę, quia impossibile, est, vt intellectui obijciantur absque earum similitudine, quia per hanc & intellectui fiunt præsentes, & eidem coniunguntur, & intelliguntur. Et ob id aiebat D. Thom.

Magistri Franciſci Ferrarienſis opinio, opinioni Capr. conformis.

Thom. De Ver. q. viij. ar. ix. quod formis intelligibilibus, factis, nondum per eas, res intelligeremus nisi formæ illæ, intellectui vnirentur, vt sic intelligẽs & intellectum sint vnum. Ea propter ad fundamentum positionis, Caietani alioquin viri, ac doctoris subtilissimi, facillime respondetur.

Ad Caietani fundamẽtũ, & rõnem respondetur.

Et ad illud quidem quo inquit intellectum agentem agere in ipsum phantasma obiectiue, in eoque apparere facit naturam, seu lapidis quiditatem, non apparentibus cõditionibus indiuidualibus, dicimus, ipsum, falsum assumere, quoniam impossibile est vt in phantasmate etiam illustrato ab intellectu agente, possit apparere intelligibile actu, seu vniuersale, cum semper phantasma ipsum etiam illustratum, singulare omnino sit, vtpote in organo corporeo receptũ, & rei singularis duntaxat repræsentatiuum, & obid non nisi hanc lapidis quiditatem suis cum singularibus conditionibus, repræsentare valet; Fatemur tamen idipsum phantasma ex accessione luminis intellectus agentis, fieri ac reddi, clarius, efficacius, ac potentius, ad comproductionem speciei intelligibilis, in intellectu possibili. Et hoc pulcherrime insinuauit D. Thom. ij Contra Gen cap. lix. ratione vj. dum dixit, quòd sicuti colores extra animam existentes, præsente lumine, sunt visibiles actu, vt potentes mouere visum, non autem vt actu sensata, secundum quod sunt vnum cum visu in actu, ita phantasmata per lumen intellectus agentis, fiunt actu intelligibilia, vt possint mouere intellectum possibilem, non autem vt sint intellecta in actu, secundum quod sunt vnum cum intellectu possibili facta in actu. Diffitemur autem in phantasmate collustrato posse relucere quiditatem cuiusuis rei naturalis, non relucentibus ipsis conditionibus indiuiduantibus, in specie vero intelligibili, vniuersali, in repræsentando, per egregie relucere potest ac resplendere, prædicta quiditas vniuersalis, quoniam cum ipsa penitus sit immateria

D. Thom.

materialis in immaterialique subiecto recepta, hoc sibi vendicat munus; Nam dum informat intellectum, per ipsam, repræsentatur quiditas vniuersalis, & actu intelligibilis, per quandam abstractionem ab ipsis conditionibus individualibus, tametsi in phantasmatibus cum talibus reperiatur conditionibus. Si enim cognitio quælibet necessario per assimilationem fit, nec obiectum intelligibile, aliter præsentatur intellectui nisi vt actu agnoscatur, & nequeat agnosci nisi per assimilationem, quæ solum media specie fit, ipsum intellectum informante, iccirco prius natura necessum est, speciem præfatam intellectum actuare, quam intelligibile, seu vniuersale à singularibus abstractum intellectui obijciatur, ac eidem præsentaneum fiat, & intellectionem terminare possit:

Ex his itaque claresceret potest saluo semper meliori iudicio, species impressas, omnino esse admittendas, & easdem priores esse prioritate naturæ, intelligibili in actu, seu obiecto vniuersali.

Et hæc de presenti quæsito, dicta sufficiant.

*

Quæstio de Animatione Cœli.

VAERITVR. Sit ne cœlum animatum secũdum veram Aristotelis mentem,& opinionem. Mouetur enim quæsitum hoc,non simpliciter & absolute,at solum propter peripateticos,inter sese dissidentes,quorum nonnulli,negatiuam, nonnulli vero affirmatiuam partem, tutari conantur.

Quid cæli nomine intelligatur.

Et ad huiusce quæstionis claritudinem, annotandum est circa eius terminos,quòd per cœlum, intelligimus totum cœli globum,septem Planetas,cœlum stelliferum,ac primum mobile,complectentem; Per animationem vero, intelligimus eam quæ propriæ animatio dicitur. Nam animatio,duplex est,altera, propria, impropria altera; propria, ea ipsa est, qua forma aliqua informans perficiensque materiam, intrinseca est pars compositi, eidem dans vitam, vel vegetabilem solum vt vegetabilibus, vel cum hac, sensitiuam,vt animalibus,vel hisce cum duabus, intellectiuam, vt hominibus,vel intellectiuam duntaxat,vt plerique arbitrantur,immortalibus dare corporibus. Impropria vero est, qua forma in specie perfecta, alicui coniungitur corpori, & eidem solũ appropriatur vt motor,quæ intrinseca pars compositi esse nequit, & ei solum tribuit motum nequaquã vitam vllam, è quorum numero secundum plerosq; philosophos, sunt omnes intelligentiæ, cœlestium motrices orbium. His igitur terminis sic enucleatis ponitur hæc affirmatiua conclusio per quam simul exploditur negatiua.

Cæli animatio duplex, & quæ.

Corpora cœlestia cuncta secundum veram Aristotelis mentem,eiusdemque propriam opinionem, &

& secundum expositores, hanc ipsam, rectè intelligentes, & eius dicta, germanum sensum reddentes, sunt veræ, propriæque animata, anima informante non solum motum, at esse, intellectuamque vitam, eisdem dilargiente.

Conclusionis probatio.

Hæc conclusio clare habetur tum ab Aristotele, tum à D. Thoma ij. Cœl. tex. com. xiij. Ibi enim sic inquit Aristoteles. Est autem cœlum animatum, & habet motus principium, manifestum quoniam habet sursum, & deorsum, & dextrum, & sinistrum. Quibus obsecro clarioribus verbis, poterat Aristoteles cœli animationem exprimere, quàm dicere, Est autem cœlum animatum? Cum enim analogum nomen, de suis dicatur prædicetur que analogatis, per prius, & posterius, & semper perfectiori modo in vno saluetur quàm in alio, sicuti ens quod constat analogum esse, per prius dicitur de substantia, quàm de accidente, & perfectiori modo saluatur in ipsa substantia, quàm in accidente, quæ sunt eius analogata, hinc euenit vt simpliciter & absolute prolatum, semper accipiatur pro potiori, & perfectiori analogato, pro eodemque supponat, quemadmodum ens, simpliciter absoluteque prolatum, & enunciatum, accipitur, supponitque pro substantia, & non pro accidente, vtpote, nobiliori ac præstantiori ente.

Qualis sit nominis analogi de suis analogatis prædicatio.

Ad cõclusionis probationem ratio efficax.

Ex hoc itaque clarissimo, ac irrefragabili fundamento, quod non nisi ab insciis, ac proteruis inficiari potest, ad conclusionis præfatæ probationem, talis conficitur ratio. Animatum, analogum nomen est, ad animatum, anima informante perficienteque materiam, quæ & est intrinseca composita pars, & formaliter dans esse viuum, quacunque vita, & ad animatum, anima solum motum elargiente, quæ nec intrinseca est animati pars nec dans eidem formaliter esse viuum, igitur simpliciter absoluteque prolatum, stabit, supponet, verificabiturque pro potiori

per

perfectioriq́ue significato, sed tale est animatum, anima intrinseca compositi parte, esse viuum formaliter eidem dilargiente, igitur dum simpliciter absolutéque profert Aristoteles, cœlum esse animatum, supponet, ac verificabitur pro potiori perfectioriq. animatione, quæ est dare composito, formaliter esse viuum, quod non nisi per intrinsecam fit formam, igitur cœlum omnino animatum erit, anima propriæ materiam perficiente, non quidem vegetatiua, sensitiuaque, quia hoc, cœlo prorsus repugnat, atqui animæ duntaxat intellectiua.

Præfatæ conclusionis confirmatio.

Confirmatur præfata conclusio expressissima D. Thomæ auctoritate, prædicta Aristotelis verba, interpretantis. Sic enim ait ij. Cœl. tex. com. xiij. Nec multum refert, quantum ad hunc modum mouendi vtrum moueatur à substantia spirituali coniuncta, quę dicatur anima, vel tantum à substantia spirituali separata, nisi quòd ponere ipsum moueri à spirituali substantia coniuncta, pertinet ad maiorem dignitatem ipsius cœli; Quod attendens Plato & Aristoteles, posuerunt cœlum animatum. Nonne hisce ex clarissimis D. Thomæ verbis, glossam non admittentibus, pulcherrime constat, Aristotelis mentem fuisse expressam, cœlum esse animatum, anima coniuncta, & perficiente materiam? Constat sanè, quoniam id, ad maiorem spectat ipsius cœli dignitatem, vt scilicet moueatur à substantia spirituali coniuncta velut anima; Nam ex hoc, eius motus, eiusque operatio, nobilior euadit, dum proficiscitur à principio actiuo coniuncto. Et ob id, infra, ad dubium motum, respondens, idem D. Thom. ait. Vnde si sit aliqua substantia spiritualis cuius virtus sit determinata ad motum cœli, quem mouet sine labore, vt supra dictum est, nobilius est ei esse in tali corpore, quàm esse separatam, quia perfectior est actio, quam quis agit per instrumentum coniunctum, quàm per instrumentum separatum. Et quid clarius,

Corroboratur adhuc præfata concl.

clarius, his verbis, à D. Thoma exprimi potuit?

Hæc eadem veritas, amplius corroboratur, tum ex Aristotelis, tum ex D. Thom. dictis eiusdem. ij. tex. com. lxj. vbi ostendens. Arist. quid supponere oporteat ad solutionem primæ quæstionis mote ait. Sed nos, vt de corporibus ipsis ac vnitatem quidem habentibus, inanimatis autem penitus cogitamus. Oportet autem ipsa viuentia esse existimare, atque actionem habere. Quæ verba interpretans D. Th. inquit. Dicit ergo primo, quòd ideo prima quæstio, difficilis videtur, quia nos inquirimus de corporibus cœlestibus ac si essent corpora habentia quendã ordinem, absque hoc quòd sint animata, & sic videtur nobis, quòd debeat esse in eis ordo motuum secundum ordinem numerorum, & secundum situm corporum. Sed ad hoc, quòd prædicta soluatur dubitatio, oportet opinionem habere de eis, quòd participent non solum vitam quamcunque, sed etiam actionem, quod est proprium habentibus animam rationalem, quæ agunt propter finem, tanquam habentia dominium sui actus, & non agunt ex solo materiæ impetu, sicut omnia irrationalia. Ex his quippe tum Aristotelis, tum D. Thomæ verbis, liquido constat, cœlestia corpora esse animata, anima eis esse tribuente.

Ad hoc idem, ex Aristotele, talis colligitur ratio, vbi supra ij. Cœl. tex. com. v. j. viij. & xiij. Omne corpus habens, positionis differentias, scilicet sursum, & deorsum, ante, & retro, dextrum, & sinistrum nedum quo ad nos, verum secundum se & secundum naturam est, veræ propriæque animatum, atqui cœlum, corpus est, habens prædictas positionis differentias non solum quo ad nos, at secundum naturam, igitur cœlum est veræ propriæque animatum. Maior, ex Aristotele, tum in libro de processu animalium, tum ex ij. Cœl. tex. com. vij. liquido constat, ponente præfatas positionis differentias, solum

corpori

corporibus animatis, & animalibus perfectis conuenire; Et nullus certe est si ingenio, rectaque ratione pollear, qui id diffiteri valeat. Minor vero probatur etiam ex ipsomet Aristotele ij. Cœl. tex. com. viij. & xiij. & ex D. Thoma in responsione ad dubiũ quoddam motum, circa commenti finem, inquiente. Sed dicendum est in animalibus perfectis habentibus motum localem, attenduntur prædictæ differentiæ, non solum secundum augumentum, & secũdum sensum, sed etiam secundum motum localem. Vnde ipse dixit in quadam ratione, quòd sursum est, vnde est motus, dextrum autem à quo, anterius autem ad quod, Sed in illis quæ non habent motum localem, quæ omnino carent dextro, & sinistro, inueniuntur sursum, & deorsum, ante & retro secundum alios motus; Et sic oportet omnia ista attribui cœlo secundum solum motum localem sicut perfectissimo. Et infra, in solutione primæ dubitationis ab Aristotele mote, inquit D. Thomas. Et similiter ab anima Cœli sunt diuerse virtutes, in diuersis partibus eius quamuis similibus secundum figuram, propter quas prædictæ positiones Cœlo attribuuntur. Verum plerique inter Philosophos, ac peripateticos, maiorem negant propositionem, superius assumptam, inquientes, sufficere ad hoc vt in cœlo saluentur, & reperiantur positionis differentiæ, scilicet sursum, & deorsum, ante, & retro, dextrum, & sinistrũ, quòd ipsum sit animatum anima appropriata, videlicet, intelligentia, cœlo applicata, motum localem dilargiente. Sed hij maiorem negantes, Aristotelis propositionem inficiari videntur, quandoquidem ipse expresse velit & asserat, huiusce modi positionis differentias, non nisi corporibus veræ animatis & animalibus perfectis, veræ propriæque conuenire.

Negantes positionũ differentias, posse prouenire ab anima non informãte materiã, Aristotelẽ negant.

Amplius conclusionem prædictam D. Thomæ roboremus doctrina atque sententia expressa secundo Contra Gen. cap. lxx. Nam ibi ex professo, aduersus

Commentatorem probat secundum Aristotelis dicta, ponere oportere, intellectum seu animam intellectiuã, vniri corpori vt formam, ei formaliter dantem esse. & sic caput inchoat. Et quia Auerois maxime nititur suam opinionem confirmare per verba & demonstrationem Aristotelis, ostendendum restat, quòd necessarium est dicere, secundum opinionem Arist. intellectum secundum suam substantiam alicui corpori, vniri vt formam. Probat autem Arist. vij. & viij. Physicorum, quòd in motoribus & motis, nullatenus est in infinitum processus, qua re deueniendum est ad aliquod primum, ab omnino immobili motum, vel quòd seipsum moueat, & ex his duobus secundum accipit, quia id quòd est per se, semper eo quod est per aliud, prius est. Deinde ostendit q̃ mouens seipsum necessario in duas diuiditur partes, quarum vna est mouens & altera mota, omne autem mouens tale est, animatum secundum Aristotelis opinionem. Vnde & ij. Cęl. tex. com. xiij. expresse dicitur, cęlum esse animatum, & ob id, in ipso ponendas esse positionis differentias non solum quo ad nos, sed etiam secundum se. Et subinculcat D. Thomas. Inquiramus igitur secundum opinionem Aristotelis, qua anima sit animatum cœlum. Probat autem xij. Metaphysicæ tex. com. xxxvj. in motu cœli, aliquid esse considerandum quod mouet omnino immotum, & aliquid quod mouet, motum, & id quod mouet, immotum, permanens, mouet vt appetibile & intelligibile, & vt amatum, & desideratum ex. xxxviij. tex. non mouet autem sicut appetibile & desiderabile desiderio concupiscentiæ, cum sensu careat, atqui desiderio intellectuali. Et hinc fit vt id quod ab ipso mouetur, quod est cœlum, sit appetens & intelligens, at nobiliori modo quàm nos. Est igitur cœlum (subdit) compositum secundum Aristotelis opinionem ex anima intellectuali, & corpore & hoc signat in ij. de Anima. tex. co. xxix. vbi dicit, q̃

quibus

quibusdam ineſt intellectiuum & intellectus, vt hominibus, & ſi aliquid huiuſmodi eſt actiuum, aut honorabilius, ſcilicet cœlum, conſtat autem quòd cœlum non habet animam ſenſitiuam ſecundum opinionē Ariſtotelis, & ad hoc ſignandum ſubiungit Ariſtoteles, quòd quibus de numero corruptibilium, in eſt intellectus, inſunt omnes aliæ potentiæ, vt daret intelligere, quod aliqua incorruptibilia habent intellectum, quæ non habent alias potentias animæ, ſcilicet corpora cœleſtia. Non poterit igitur dici, ꝙ intellectus continuetur corporibus cœleſtibus per phantaſmata, ſed dicere oportebit, intellectum ſecundum ſuam ſubſtantiam vniri corpori cœleſti vt formam; Hæc D. Thomas. Ex quibus apertiſſime conſtat. Ariſtotelē ſecundum hanc D. Thomæ interpretationem, poſuiſſe, cęlum ipſum, eſſe verę propriąq́. animatum, anima ſcilicet intellectiua, non ſolum motum, at eſſe dilargiente. Nec his reſponderi poteſt, vt dicere ſufficiat, cœlum habere animam ſolum ap propriatam, nempe intelligentiam, eidem, ſolum motum, & non eſſe, tribuentem, quoniam ſi reſponſio hæc, veritate fulciretur, nil penitus concluderet D. Thomas aduerſus Aueroym, contra quem diſputat; Nam cum Aueroys poneret animam intellectiuā, non informare corpus humanum, nec eidem, vt intellectiua eſt, dare formaliter eſſe, niteretuŕque hanc opinionem ſuam confirmare per verba & demonſtrationem Ariſtotelis vt ait D. Thom. in principio capituli, propterea inquit idem D. Thomas, neceſſarium eſt, vt dicamus ſecundum Ariſtotelis opinionem intellectum, ſecundum ſubſtantiam ſuam, alicui corpori vniri vt formam, & id probauit de corpore cœleſti, vt patet. Aſtruere autem cœlum eſſe animatum ſolum non repugnanter vt nonnulli affirmant, nihil eſt dictu; Quoniam cum negaret Aueroes, intellectiuam animam actu eſſe corporis formam operæprecium fuit, ipſum D. Thomam, pro-

Luce clarius conſtat, D. Thomam ex præfatis verbis, tenuis ſe ad mentē Ariſt. corpora cœleſtia eſſe vere animata.

bare, quòd actu esset eiusdem corporis forma, aliter nil contra ipsum Aueroym efficaciter probasset. Potuisset enim dicere Commentator stante hac responsione, Fateor equidem non repugnare animæ intellectiuæ, esse formam corporis, at actu non est nec vnquam fuit; Vt itaque conuinceretur Aueroës ad ponendum prefatam intellectiuam animam, actu esse, & semper extitisse corporis formam, commostrauit D. Thomas, cœlum esse actu, & propriæ animatum.

Verum aduersus præfatam conclusionem, quam, ad aures Aristotelis veram esse tutamur, multipliciter argumentatur.

Et primo quidem arguitur ex D. Thomę dictis, Nam ipse in quæstione de spiritualibus creaturis ar. vj. tenet etiam ad mentem Aristotelis, necessarium minime fore, vt ponamus corpora cœlestia esse veræ & propriæ animata, anima dante esse, atqui solum anima mouente; Hoc idem sustinere videtur prima q. lxx. ar. iij. vbi quærit, num luminaria cœli sint animata, vbi & in cor. ar. & in responsione ad quintum asserit, cœlum equidem mouere seipsum, quatenus componitur ex motore, & mobili, sed non sicut ex forma, & materia, quoniam ad talem motum sufficit contactus virtutis.

Ad hæc respondetur, quòd ea quæ dixit in præfata quæstione de spiritualibus creaturis, cum fuerint prius dicta his quæ attruxit in ij. Contra Gent. cap. lxx. & ij. Cœli. tex. co. xiij. & semper standum sit posteriori sententiæ, vtpote, veriori, cum sententiæ ipse adinuicem pugnant, ea propter prius asserta intelliguntur per posteriora, esse reuocata, & retractata; Et id sanè rationi consonat, quia quanto quis diutius literis incumbit, tanto perfectior in indagatione veritatis, euadit. Et hoc idem experientia docet, cum claro, clarius, videamus, quamplurimos, priores suas, per posteriores, reuocasse, atque retractasse

sente

sententias. Efficitur quippe quis in dies, seipso doctior.

Ad ea quæ asseruit prima parte, dicimus illamet retractata fuisse, per ea quæ dixit secundo Cœli, quæ constat posterius fuisse conscripta, quandoquidem morte præuentus, nequiuerit commentaria eiusdem libri de Cœlo perficere. Cui vltimæ sententiæ, & opinioni pulcherrimæ consonant ea quæ attulit loco citato secundi Contra Gent. Hæc enim responsio iudicio meo nullam prorsus patitur calumniam, & pugnantiam aufert. Magister autem Franciscus Ferrariensis secundo Contra Gen. cap. citato, & Paulus Soncinas xij. Metaphysicæ q. xvj. ac etiam Magister Chrysostomus, eodem xij. q. xvj. inhærere videntur sententiæ asserte à D. Thoma q. de spiritualibus creaturis, & primæ partis, qui hac in re, mea sententia, tutiorem non eligunt partem. Aliud quippe est, loqui quid rei veritas absolute, & simpliciter habeat, & aliud quid secundum Aristotelis opinionem sentiendum sit. Teneo siquidem, & ipse secundum veritatem, & sacros Theologos cœlos non esse animatos, atqui secundum Aristotelis ac D. Thomæ ipsum interpretantis opinionem, sentio eosipsos animatos ex rationibus supradictis.

Arguit autem Paulus Soncinas ad suæ opinionis confirmationem quadruplici ratione, & prima quidem. Quia si cœlum, animatum foret sequeretur, quòd omnia corpora cœlestia saltem sphæræ inferiores haberent tres motores, quod est contra Commentatorem xij. Metaph. com. xlj. *Quadruplici ratione arguit Paulus Sõcj. contra conclusionem.*

Secunda. Quia si cœlum esset animatum, animaretur solum per intellectiuam animam, sed nec ista animari potest, & probatur, Quoniam nulla ratione cogimur ponere talem animam vniri cœlesti corpori, vt formam, quia aut talis vnio esset propter bonum materiæ, aut propter bonum formæ, atqui neutrum istorum dici potest, non quidem primum, quã

doquidem forma non fit propter materiam, at econtra materia propter formam, vt dicitur ij. Physicorum tex. co. xxv. non item secundum, quoniam si propter bonum formæ id esset, maxime foret propter eius operationem, intelligere scilicet & velle, sed nec id dici valet, quoniam anima separata perfectius intelligit & vult, quam coniuncta, & vnita, nec etiam propter motum, cum ob id nō necesse sit ponere motorem, vniri mobili secundum esse, at sufficiat vt eidem vniatur secundum virtutem igitur.

Secunda. Quia ponendo cœlum animatum, tunc sequeretur, ipsum naturaliter ex se posse quiescere, quod Aristoteli repugnat. Consequentia ex eo liquet, quoniam tunc anima cum per appetitum moueret, in eius esset potestate mouere & non mouere, & consequenter à motu cessare, & sic quiescere.

Quarta. Quoniam posita cœli animatione, cessarent demonstrationes omnes, quas ponit philosophus viij. Physic. & xij. Metaph. ad probandum primum motorem omnino immobilem, Quia si cœlum moueret seipsum necessum minime foret, vt daretur alius motor omnino separatus.

Ad rōnes Paulis Sōcinatis responsio.

His rationibus facillime respondetur. Et ad primam quidem dicitur primo negando consequentiā, quoniam ponendo cœlos animatos, non est necesse ponere nisi primum motorem omnino immobilē, qui mouet vt appetibile, & intelligibile, & vt amatū, & desideratum, ex xij. Metaphys. tex. co. xxxvj. & xxxviij. & ipsorum cœlorum motores motos à primo. Nam mouent vt intelligentes, & appetentes ex eius intrinseca anima, & eorum motus, est propter primum motorem omnino immobilem veluti propter finem, cui, in causando, assimilari intendunt, vt in actum explicent, quod in ipso, virtute continetur vt inquit D. Thom. xxxvj. tex. xij. Metaphys. Dicitur secundo, q̄ consequentia ipsa etiam rationabiliter admitti potest, vt scilicet ponantur tres motores essentia

sentialiter subordinati. Nam tunc omnes effectiuæ mouerent, & intelligentiæ quidem separatæ mouerent in virtute primi omnino immobilis, & animæ cœlorum in virtute harum intelligentiarum, à prima intelligentia motarum. Videmus enim corpus aliquod moueri posse à diuersis motoribus vno quidem coniuncto, alijs vero separatis; Comparantur quippe, motor coniunctus, & motor separatus proximus, qui tamen coniuncto perfectior est, ad motorem primum simpliciter infinitum, & immobilem, vt motores instrumentales. Et tunc negandus est Commentator aliter sentiens, quoniam in hac re maxime errauit, & à peripatetica discessit doctrina.

Ad secundum dicitur falsum esse, cœlum non posse anima intellectiua animatum esse, Et cum quæritur an ista vnio animæ ad corpus, sit propter bonum ipsius materiæ, an propter bonum animæ, vel etiam propter motum, ad hoc quæsitum pulcherrime respondet D. Thomas secundo Cœl. tex. co. xiij. inquiens, quòd est propter bonum ipsius formæ, seu animæ coniunctæ, & propter nobiliorem actionem, seu operationem, & motum ipsius compositi, nempe cœli. Sic enim ait. Vnde si sit aliqua substantia spiritualis, cuius virtus sit determinata ad motum cœli, quem mouet sine labore, vt supra dictum est, nobilius est ei esse in tali corpore, quàm esse separatam, quia perfectior est actio, quam quis agit per instrumentum coniunctum, quàm per instrumentum separatum. Hæc ille.

Ad tertiam dicitur, negando consequentiam, quoniam tametsi, anima, cœlum mouens, per appetitum, & voluntatem, ipsum moueat, quia tamen in virtute primi motoris omnino immobilis mouet, in ipsoq. videat ac contempletur, voluntatem ipsius primi motoris esse, vt infinito tempore moueat, hac de re, non potest à motu cessare, sicque fit, vt nequeat cœlum quiescere.

Ad quartam negatur, quòd ponendo cœlum animatum, cessent omnes demonstrationes viij. Physic. & xij. Metaph. factę, quoniam etsi cœlum moueat se ipsum, cum tamen non sit primum mouens omnino immobile, quod neque per se, neque per accidens, ab alio moueatur, ob id inquit D. Th. Primo Contra Gent. cap. xiij. Aristoteles in sua Metaphysica inuestigat ex hoc motore, qui est pars mouentis seipsum, alium motorē separatum omnino qui est deus. Et rationem adducens subdit. Cum enim omne mouens seipsum, moueatur per appetitum, oportet, ꝙ motor qui est pars mouentis seipsum, moueat propter appetitum alicuius appetibilis, quod est eo superius in mouendo. Nam appetens est modo quodam mouens motum, appetibile autem est mouens omnino non motum. Et ita concludit D. Th. necessarium fore vt ponatur vnus primus motor omnino separatus, & immobilis, qui est deus. Ex his autem mihi videtur, (salua tamen semper Doctorum reuerentia,) eos omnes Thomistas à veritate abhorrere, qui arbitrantur D. Thomam ad mentem Aristotelis tenere corpora cœlestia non esse veræ propriæque animata anima dante esse, & materiam intrinsecę per ficiente, quoniam ea ipsa veræ animata esse, tam clare constat & ex supradictis probatum est, vt nullatenus opposita pars sustineri valeat. Cum hac opinione tamen Aristotelica, dicendum est simpliciter, & absolute, secundum sacros Theologos, & veritatem ipsam, corpora cœlestia, animata minime esse; Et in hoc termina tur hęc quæstio.

Quæstio. An sub circulo Aequinoctiali sit possibilis habitatio.



VAERITVR. Nunquid sub circulo æquinoctiali, possibilis sit habitatio. In quæstione hac, non modicam difficultatem, habente, ob variam excellentissimorum virorum, opinionem, sic procedendum est, Nam primo declarabuntur, quæcunque faciunt ad elucidationem terminorum in quæstione positorum, Deinde ponetur Commentatoris opinio, ij. Metheor. libro cap. vltimo tractata, suis cum fundamentis. tertio ponetur Ptolomęi, ac Magni Alberti eius sectatoris, positio, Commentatoris opinioni contraria, & validissimis firmabitur rationibus. Postremo soluentur rationes Commentatoris aduersus veritatem ipsam adductę.

Aequinoctialis circulus, quid sit, & à quo causetur.

Quo ad primum sciendum est, æquinoctionalem, circulum quendam esse, non realem, at imaginarium, sphæram in duo æqualia diuidentem secundum quamlibet sui partem, æquæ dictantem ab vtroque polo, à puncto quodam imaginarie, in primo mobili velocissime moto descriptum. Et dicitur circulus imaginarius, quoniam in cœlo nulli sunt reales circuli, nec per tales reales circulos, vllatenus cœlum diuiditur; Describitus est autem à puncto imaginario, & imaginarie existente in primo mobili seu nona sphæra, quæ omnium sphærarum in suo motu velocissima est; Et quia talis punctus imaginatur esse in medio ipsius primi mobilis circulariter moti, eapropter dicitur diuidere ipsam sphæram nonam, in duas partes æquales, & est æque distans ab vtroque polo, arctico, scilicet, & antarctico, super quibus

&

Poli cæli, quid sint.

& primum mobile, seu nona sphæra, cœlum stellifer-rum, & omnes planetæ, mouentur motu diurno, & spacio xxiiij. horarum. Suntque hij poli, puncta imaginaria, & vocitantur poli mundi, quia super ipsis sicuti super duobus cardinibus, mundus cœlestis circulariter, motu diurno, mouetur. Diciturque equinoctialis quia quãdo sol sub ipso mouetur, quòd bis in anno contingit, videlicet, in principio arietis, de mẽse Martij, & in principio libræ, de mense Septembris, est æquinoctium in vniuersa terra, & ideo alio nomine dicitur, æquator diei & noctis, vtpote, adæquans diem artificialem qui est. xij. horarum, nocti. Dicitur etiam cingulus primi mobilis, seu none sphæræ, qui est ab oriente per occidentem, iterum in orientem, rediens. Dicuntur hij præfati poli, alter quidem septentrionalis, ab vrsa minore, & arcticus ab vrsa maiore, quæ circa ipsum polum sunt, & etiam borealis, quia inde spirat Boreas ventus frigidus. Alter vero, antarcticus nominatur, quasi contra arcticum positus, Dicitur & meridionalis, quia est ex parte meridiei, & australis etiam, quia inde flat auster ventus calidus.

Cur dicatur circulus æquinoctialis.

Pollorũ, cur vnus, arcticus alius antarticus, nuncupetur.

Non sunt idem Poli Zodiaci, & Poli mundi.

Sciendum est rursus ad maiorem dicẽdorum claritudinem, quòd non idem sunt poli Zodiaci, qui & poli mundi, quoniam poli Zodiaci, distant à polis mundi, per xxiij. gradus, & lj. minuta secundum Ptolomęum, astronomorum principem & cum moueatur octaua sphæra, in qua est Zodiacus & eius poli, ad motum primi mobilis, mouentur & ipsi poli Zodiaci, qui moti, describunt duos imaginarios circulos æquidistantes à polis mundi, quorum alter, vocatur circulus articus, alter vero circulus antarticus.

Duo Poli Zodiaci, moti, duos describunt circulos.

Amplius sol existens in primo puncto cancri, siue in puncto solstitij ęstiualis, raptu primi mobilis, describit quendam circulum ex parte poli arctici, qui appellatur circulus solstitij ęstiualis, vel tropicus cancri, dumque ipsemet sol est in primo puncto capricorni,

Qui circuli causentur à Sole exi-

pricorni, siue solstitij hiemalis, raptu eiusdem primi mobilis, describit & alium circulum, ex parte poli antartici, qui appellatur circulus solstitij hiemalis, seu tropicus Capricorni. Inter hos autem duos circulos, siue tropicos est circulus æquinoctialis, æquidistans ab vtroque tropico, quem æquinoctionalem, supradiximus diuidere cœlum ipsum in quo reperitur, in duas partes æquales. Hincque fit vt ex his circulis conficiantur in cœlo, quinque Zonę, siue regiones, quibus, & quinque aliæ Zonæ supponuntur in terra. Sicque hæ Zonæ diuiduntur & constituuntur, quoniam inter duos circulos, videlicet, arcticum, & antarticum, & ipsos polos prædictos, accipiũtur duæ Zonæ, quæ minores sunt; Inter hos aũt duos circulos, & duos tropicos, æstiualem, scilicet & hiemalem, siue tropicum cancri, & tropicum capricorni, accipiuntur & aliæ duæ Zonæ, primis maiores. Inter duos vero tropicos inter se accipitur, & sumitur quinta Zona, quæ est omnibus maior, in cuius medio est circulus æquinoctialis vti præfati sumus. His sic annotatis, quæstio est, an sub isto circulo æquinoctiali in medio huius quintæ Zonæ descripto, possibilis sit habitatio.

Stente in primo pũcto cãcri & capricorni.

In cœlo quinque existunt Zonæ.

Titulus quæsiti.

Quo ad secundum antequam ponatur conclusio, tum ad aures poëtarum, tum Commẽratoris quàm diligentissime annotandum est, cum dicitur, Zonas cœlestes esse habitabiles vel inhabitabiles, id intelligendum est, causaliter, non autem formaliter, quoniam causę extant bone vel male habitationis, Zonę vero in terra, his, suppositę, dicuntur habitabiles, vel inhabitabiles formaliter, quoniam homines in terra degentes, in quibusdam Zonis habitare possunt, in quibusdam vero minime: Hoc præmisso & annotato, ponitur hæc negatiua conclusio, ad aures tum Virgilij in Georgicis, tum Ouidij primo Metamorph. Zonam mediam, in qua descriptus est æquinoctialis, non esse habitabilem ob maximum, æstum siue calorem

Notandũ

Virgilij, ac Ouidij opinio, et conclusio

calorem, quoniam cum in ipsa, semper sol discurrat, nec vnquam ab eadem remoueatur, ex eius continuo motu, maximum causat incendium, & ab eisdem vocatur Zona torrida; Sic enim inquit Virgilius vbi supra. Quinque tenent cœlum Zonæ, quarum vna corrusco, Sole semper ruber, & torrida semper ab igne. Et Ouidius. Totidemque plagæ tellure premuntur in orbem. Quarumque media est, non est habitabilis æstu. Nix tenet alta duas, totidem inter vtrasque locauit, Temperiemque dedit, mixta cum frigore flamma. Commentator quoque ij. lib. Metheororum cap. vlt. his poëtis assentiens, tenet, quòd quemadmodum duæ plagæ, siue Zonæ, seu regiones, quæ sunt, à circulo arctico ad polum arcticum, & à circulo antartico ad polum antarticum, inhabitabiles sunt, ob maximum frigus, ex maxima solis distantia, & remotione ab his, ita Zona media, inter duos tropicos collocata, inhabitabilis redditur ob maximum æstum, & incendium; Est enim hæc Zona siue regio, supposita Zodiaco, qui est via solis, à quo nunquam recedit, & propterea maximum causat æstum. Et dicit idem Commentator hanc esse Aristotelis opinionem, & veram, & id totum quod alij dixerunt præter ipsum, de re hac, esse simpliciter phantasticum.

Demõstratione duplici, probat Commentator sub circulo æquinoctiali nõ posse esse habitationem.

Probat autem positionem hanc suam Aueroës ad aures Aristotelis, demonstratione duplici, altera quidem à signo, altera vero simpliciter, dicente causam, & esse, quarum prima hæc est. Si datur locus inhabitabilis, ob maximum frigus, necessario dabitur & locus in opposita parte, inhabitabilis ob maximum calorem, patet (inquit) ista propositio, Quia si non admittitur hic locus, ob ingentem calorem, inhabitabilis, dominabitur in mundo destructio propter fortitudinem frigoris. Tunc subsumitur minor. sed datur locus inhabitabilis propter maximum frigus, nempe locus sub Zona, quæ est inter circulum arcticum

cum,& polum mundi arcticum,& sub Zona quæ est inter circulum antarticum, & polum antarticum; ergo dari debet & locus his Zonis oppositus, inhabitabilis ob ingentem calorem,sed talis est sub circulo æquinoctiali, igitur & hic erit inhabitabilis æstu. Rursus si vnum contrariorum est in rerum natura, & reliquum quoque esse, necesse est, ex ij. Cœl. tex. com.xviij. vbi probatur quòd si terra est, vtpote grauissima,necesse est dari ignem, qui leuissimus est,atqui datur in rerum natura locus frigidissimus, & ob id inhabitabilis, ergo dabitur in rerum natura,locus oppositus,nempe calidissimus, & propterea inhabitabilis, qui quidem sub æquinoctiali est circulo.

Demõstratio dicens causam, & esse.

Secunda vero demonstratio, quæ causam dicit simul & esse,hæc est. Si sit distantia solis maxima, & tarditas partium motus cœli vltima, seu maxima, vt sunt circuli parui, efficiunt frigus maximum, & similiter si sit propinquitas solis maxima, & velocitas partium motus cœli vltima, seu maxima,vt sunt circuli magni, qui sunt in ipso cœlo, de necessitate maximum causat calorem, atqui sub circulo æquinoctiali reperitur propinquitas maxima, dum sol sub ipso mouetur,& velocitas partium motus, cum partes circuli maioris velocius moueantur, igitur maximum producent incendium, & æstum. Opinionem huic oppositam, sustinent peritissimi viri, perfectam profitentes Astronomiam, & etiam philosophiam, è quorum numero,sunt Ptolomæus, & Auicen. Theod. & Mesenech. vt testatur magnus Albertus iij Metheor. lib. tractat. j cap.xix. Aristoteles autem quem sequitur Auerões, cum non calluerit perfectam Astronomiam, ipsomet teste xij. Metaphysicæ tex.com.xlviij. vbi posita pluralitate sphærarum, & motuum, ac substantiarum immaterialiũ secundum mentem Eudoxi,& Calippi,inquit,rationabiliter ita esse existimandum, vt præfati astronomi,sui temporis, posuere, Necessarium autem subinculcat,

Peritissimi Astronomi opinionẽ sustinẽt contrariã opinio in pfate.

inculcat, dimittatur fortioribus nobis, ac si aperte diceret, Sic quidem probabiliter dicendum est, at nō necessario, quoniam ad perueſtigandum hæc, per rationes necessarias, & demonſtratiuas, his dimitto, qui hac in re, fortiores potentioresque sunt, quàm ego ipse exiſtam, ea propter in materia hac maxime astronomica, magis præfatos viros sectari debemus, quàm Aristotelem, ac eius Commentatorem, & ceteros hos ipsos sequentes. Qua re, hanc conclusionem ponimus affirmatiuam, scilicet.

Conclusio affirmatiua.

Sub circulo æquinoctiali est possibilis habitatio. Ad cuius claritudinem sciendum est ex magni Alberti doctrina, astronomicam scientiam profitentis, lōco supra citato, duo potissimum reddere regionem inhabitabilem, vehementiam, scilicet frigoris, & vehementiam caloris, Ad hoc autem vt hæc caloris vehementia, habitationem destruat, tres causæ concurrunt, secundum prædictos astronomos, videlicet, directio radiorum solarium, directę percutientium terram, & reflectentium se, super seipsos, quam causam vbique inuenimus in via solis, quæ est inter duos tropicos æstiualem, scilicet, & hiemalem, seu inter duo solstitia, videlicet cancri, & capricorni. Verum hæc sola, habitationem minime destruit, quandoquidem Ethiopia, & aliæ terræ vltra Ethiopiam ibi sint, & ciuitas Harim famosa apud philosophos, sit sub æquinoctiali, secunda causa est breuitas diametri solis, seu vicinitas eiusdem solis ad terram, cum directa reflexione radiorū in seipsos, his enim concurrentibus cum iij. dicenda causatur incendium, ob quam causam asserunt perspectiui, eam regionem, quæ est inter æquinoctialem, & solstitium hiemale quod est in capricorno, esse inhabitabilem. Tertia causa est, mora solis quasi in vno loco moram trahentis, quæ causa videtur esse in ambobus solstitijs, scilicet æstiuali, & hiemali, In his enim duobus solstitijs videtur sol stare, tametsi semper circulariter

Tres causæ simul concurrētes, habitationem destruūt, & q̄ sint declarantur.

lariter moueatur, ob partes proquinquas, puncto solstitij. Omnes autem istæ tres causæ coniunguntur sub tropico hiemali, seu capricorni, quare maximum causatur incendium, sole existente in capricorno; Est enim tunc sol in opposito augis, & ob id vicinior terræ, habens, & directionem radiorum reflexorum in seipsos, & moram, vt periti norunt astronomi.

Ex his modo dictis, probatur sic ipsa conclusio. In quacunque parte terræ, deest aliqua istarum trium causarum, in illa non est maximus calor habitationem destruens, at parti terræ sub æquinoctiali existenti, deest aliqua istarum causarum, habitationem destruentium, igitur in parte terræ, sub æquinoctiali existente, non est maximus calor, habitationem destruens, igitur in hac parte terræ, est possibilis habitatio. Maior liquet ex dictis, Minor vero probatur, quoniam etsi existentes sub æquinoctiali quandoque habeant directionem radiorum percutientium terram, & reflexorum in seipsos, vt quando sol est in æquinoctijs, æstiuali, scilicet, & hiemali, videlicet, in ariete, & in libra, deest tamen propinquitas solis ad terram, & etiam tractus moræ, vt norunt astronomi, igitur & ipsa minor clara euadit.

Probatur quoque præposita conclusio alijs rationibus, ab magno Alberto positis in libro de Natura locorum, cap. vj. vbi inquit. Dicunt Ptolomæus, & Auicenna, quòd nos videmus multos homines oculis nostris, qui habitauerunt inter æstiuum tropicum, & æquinoctialem, & libri etiam philosophorum de astris ibi degentium venerunt ad nos. Et subdit, India enim & Ethiopia in parte est in locis illis, quare constat, oportere esse ibi habitationem, cōstatque ciuitates plurimas gentis Achim, & Indorum, & Ethiopum, in parte, in climate illo esse; Subinculcat deinde, quòd secundi climatis, tota latitudo, ferè est inter æquinoctialem, & tropicum æstiuum, cuius

latitudo

latitudo est xxiij. graduum vel circa, quanta, scilicet est maxima solis declinatio ab æquinoctiali circulo, secundum Ptolomæum, astruitque multas esse, in tali climate, ciuitates nominatas, pluresque homines venisse ad nos. His autem rationibus, & considerationibus, & alijs vbi supra, positis, ait consentiendum esse Ptolomæo, & Auicennę, vt dicatur Zonam torridam, non omnino torridam esse, sed habitatam tam in littoribus maris indici, quàm etiam in insulis multis eiusdem maris. quæ ibidem à philosophis esse describuntur. Veruntamen distinguendum esse fatetur, quoniam sub tropico æstiuo, non oportet esse continuam, & delectabilem habitationem, atqui quandoque delectabilem, quandoque laboriosam; Ea propter non approbat inferius ipse Albertus, illorum opinionem, qui dicunt, locum illum sub circulo æquinoctiali, esse omnium locorum temperatissimum; Temperatissima autem loca dicenda sunt secundum astronomos, quę sunt inter circulum arcticum, & tropicum cancri, & quæ sunt inter circulum antarcticum, & tropicum capricorni. Admittit autem Ptolomæus in libro de dispositione sphæræ, qui est introductorius Almagesti, sub vtroque tropico, æstiuo, scilicet, & hiemali, vt refert Magnus Albertus, lib. de Natura locorum cap. vij. esse possibilem habitationem, & sub his habitare Ethiopes. Confirmatque dictum suum per Poëtam quendam nomine Krices, qui inducit Homerum dicentem, Natura quidem duo exigit Ethiopum genera, vnum sub tropico æstiuo, & sunt Ethiopes, qui sequuntur nos, alterum Ethiopum, genus est qui sunt sub tropico hiemali, qui illis est tropicus æstiuus, quorum pedes sunt in directo pedum nostrorum. Est tamen multum laboriosa, & non continua (inquit Albertus) habitatio sub tropico Capricorni, ob causas inductas præcipue propter oppositum augis, in quo tunc reperitur sol, cum moueatur in circulo eccentrico.

Quæ terræ loca sint temperatissima.

Sub vtroque Tropico est possibilis habitatio secũdum Ptolomæum, at multum laboriosa, & non continua, secundũ Albertum.

trico. Et siquando dicatur regionem illam, quæ est in meridie inter aquilonem,& specialiter inter æqui noctialem,& tropicum Capricorni,esse adustam, intelligendum est,non quòd illa sit omnino inhabitabilis, ac quòd regio sit male, laborioſe, non continuæque habitationis; Habitari etenim aliquando potest, præsertim cum sol percurrit aquilonaria signa, quoniam tunc eis est hiems, hocque modo nil prohibet, inquit Albertus quin homines quartæ aquilonaris possint transire ad homines quartæ meridionalis, non impediente solis exustione. Testatur autem idem Albertus, quòd in descriptione facta sub Cæsare Augusto,legitur, ipsum Augustum nuntios misisse ad reges Aegypti, & Ethiopiæ, vt naues impensasque pararent necessarias, eis, quos miserat ad transeundum,qui venientes sub æquinoctiali,loca inuenerunt paludosa, ac lapidosa, quæ nec nauibus, nec pedibus transire potuerunt, quocirca reuersi, sunt, non peracto negocio. Quare concludit Albertus verius esse, quòd difficilis sit transitus at non impossibilis propter vastam, & arenosam hæremum quæ solis adustione, sterilis est, qua de re sine maxima itineris longitudine transiri non potest. Ex his autem prædictis clare constat, Ioannem de Sacro Busto sphæræ auctorem cap.iij. errasse,dum astruxit Ethiopiam de qua Lucanus loquitur esse sub æquinoctiali circulo; Impossibile est enim vtranq; Ethiopiam esse sub vtroque tropico,vt præfatum est,& eadem vel illarum alteram esse sub æquinoctiali circulo, vt inquit præfatus doctor & auctor.

Ad rõnes Commentatoris responsio.

Postremo soluendæ sunt Commentatoris rationes aduersus veritatem prædictam. Et ad primum quidem dicitur, verum esse, quòd si datur locus inhabitabilis propter frigus maximum, datur etiam locus inhabitabilis ob calorem maximum,atqui talis locus non est sub æquinoctiali,vt ipse arbitratur, quoniam vt probatum est, sub æquinoctiali circulo

est ciuitas famosa Harim. Est autem talis locus inhabitabilis, qui nequit continue habitari, & si quandoque habitatur, laboriosa tamen malaque est habitatio ipsa sub tropico capricorni, & vltra versus æquinoctionalem. Nam cum sub tali tropico, & prope, tres causæ concurrant, maximum causantes æstum, talis locus inhabitabilis dicitur modo prædicto; Declaratur autem tres causas prædictas sub tropico capricorni, & prope concurrere. Quia cum sol ibi reperitur, est in Solstitio, in quo radij directæ percutiunt terram, diametraliterque reflectuntur, ob quam diametralem directamque reflexionem causatur calor, Est & tunc secunda causa, nempe tractus moræ illo in loco, cum maior mora solis sit in solstitijs, quàm in quolibet alio loco Zodiaci, quandoquidem in ipsis videatur quasi sol stare, Est & tertia causa, quæ excessiuo calori, fomentum, & pabulum præstat, propinquitas, videlicet, & vicinitas solis ad terram; Nam sole ipso existente in tropico capricorni, vel prope, est in opposito augis, sicut cum est in tropico cancri, est in auge, & loco remotiori à terra, Cum itaque tres istæ causæ concurrant, in tropico Capricorni, pars terræ, huic suppositæ tropico, inhabitabilis reddetur, modo præfato. Deceptus est autem Aueroës in hoc, quoniam non admittit solem moueri in circulo eccentrico, quem tamen concedere, necessum est, ad saluandum diuersas Planetarum apparentias, sicut Ptolomæus, & ceteri periti astronomi concedunt. Nam Ptolomæus in quinta dictione Almagesti cap. xiij. ad probandum eccentricorum necessitatem, sic arguit. Si non dantur eccentrici, ergo planetæ semper apparebunt æquidistantes à terra, eorumque diametri erunt eiusdem quantitatis quod falsum est, & expresse patet, quia sensu oppositum apparet, quia planeta quandoque remotior quandoque propinquior terræ apparet. Consequentia vero ex eo claret, quia circuli concentrici,

Causa deceptionis Aueroys, ostenditur.

trici, cum habeant centrum idem cum centro terræ, æqualiter distabunt, quod dici nequit, si maiorem, & minorem distantiam seruare volumus. Arguit præterea idem Ptolomeus in dictione iij. Almag. cap. iij. Planetæ, & omne corpus cœleste, regulariter mouentur vt probatur viij. Phys. tex. co. lxxvj. & ij. Cœl. à tex. xxxv. vsque ad xlj. Tunc sic. Deprehenditur solem in medietate Zodiaci, ab ariete, ad finem vsque virginis, longiori tempore morari, quàm in alia medietate, à principio libræ, ad finem vsque piscium, igitur in prima medietate Zodiaci, maior portio sui orbis intercipitur, quàm in reliqua medietate, igitur linea secans Zodiacum in duas medietates, & transiens per centrum mundi, secabit circulum solis deferentem, in partes inæquales, quo fit vt centrum circuli solem deferentis, necessario aliud sit à centro mundi, & circulus solem deferens, sit eccentricus.

Ad secundam Commentatoris rationem fundatam in Arist. dicto ij. Cœl. tex. co. xviij. dicitur, verum esse quod ait Aristoteles, atqui contra nos minime militare, quoniam iam concessum est, dari locum aliquem inhabitabilem ob maximum calorē, at negamus eum esse, sub circulo æquinoctiali, quandoquidem sub ipso, ex tribus causis concurrentibus ad maximi æstus productionem, vna, duntaxat concurrat, videlicet, directio radiorum solis, cum reflexione ipsorum. Deficiunt enim tractus morę, & propinquitas, ad terram, quæ duæ causæ admodum necessariæ sunt, cum prima iam dicta, ad reddendum regionem inhabitabilem, propter maximum calorē.

Ad tertiam quam dicit demonstrationem esse sim pliciter, siue dicentem causam, & esse, dicitur, nec demonstrationem esse, nec rationem probabilem, quoniam minor assumpta propositio, falsissima est; Nam etsi sub æquinoctiali, solis motus dicatur esse velocior ex maiori circulo habente partes, quæ celeriori motu mouentur, falsissimum tamen est, ipsum

sum esse propinquiorem, quinimò est magis à terra diametraliter distans, quàm esse possit. Nihil igitur rationes suæ concludunt. Verum quia idem Commentator quinque potissimum rationibus destruere conatur, ipsos eccentricos, ob id in medium adducende sunt & soluendæ.

Quinque rationib⁹ conatur Commentator destruere circulos eccẽtricos.

Prima est. Si circulus admittitur eccentricus, cœlum non solum mouetur circa medium, sed à medio, ad medium, quod repugnat Aristoteli primo Cœl. tex. com. v. Consequentia probatur. Quoniam eccentricus secundùm partem vnam magis recedit a centro mundi, quare secũdum illam partem, mouetur à medio, & secundum aliam partem propinquior est centro mundi, & quo ad hanc partem, videtur ad medium moueri.

Secunda est. Quia si conceditur circulus eccentricus, sequitur cœlum non esse perfecte sphęricum, id autem aduersatur Aristoteli ij. Cœl. à tex. xxix. vsque ad tex. xxxij. inclusiue; Consequentia probatur, quoniam eccentricus secundum vnam partem grossior, seu spissior est, secundum aliam autem subtilior, igitur non est perfecte sphericus.

Tertia est. Si datur eccentricus, dabitur vacuum, quod repugnat Arist. iiij. Physicorum à tex. comment. 50. vsque ad lxxj. Consequentia ex eo videtur manifesta, Quia cum in eccentrico sit pars grossa, parsque subtilis, aperte sequi videtur, quòd quando pars grossa suo motu peruenerit ad locum partis subtilis, aut subintrabit sphæram circundantem, aut locus in quo erat pars tenuis, non replebatur ab ea, & sic vacuum dabatur, quod erat probandum.

Quarta. Idem est locus totius, & partis, at centrum est locus totius cœli, ergo est locus partis, quæ est circulus eccentricus, at eccentrico repugnat habere centrum suum, idem cum centro mundi, igitur repugnat & eccentricum dari;

Quinta.

Quinta. Si eccentricus dari assueratur, dabitur alia terra, ergo & alius mundus, id autem aduersatur Arist. j. Cœl. à tex. com. lxxvj. vsque ad tex. lxxxiij. vbi probat mundi vnitatem, Consequentia autem hinc clarescit, Quoniam omnis sphæra cœlestis circa mundi centrum reuoluitur, tale autem est nostra terra, eccentrico autem repugnat moueri circa centrum mundi, ergo circa aliud, ergo datur alia terra, ergo alius mundus, quia omnis terra ob sui grauitatem centrum est mundi.

Ad hasce omnes rationes etsi vnico verbo responderi posset, quòd quia omnes innituntur Aristotelis dictis, qui non plenam perfectamque profitetur astronomiam, at Ptolomæum, ceterosque perfectos sectamur astronomos, in quæstione hac sanè astronomica, ea propter de ipsius Aristotelis dictis, nobis parum curandum esset, quidquid ipse asserat, nihilominus vt etiam ostendamus doctrinam suam haudquaquam sufficientur eccentricos impugnare, ad eas sigillatim respondemus.

Et ad primam quidem dicimus, quòd quia totum ipsius solis cœlum, secundum suam circunferentiam mouetur circa medium, nempe circa terram, quæ est centrum, ea propter nequit verè dici, quòd moueatur à medio, ad medium, etiam ratione eccentrici deferentis ipsum solem, quia etsi eccentricus solem deferens moueatur, per eleuationem, & depressionem, respectu centri mundi, quia maxime eleuatur dum est in auge, & valde deprimitur dum est in opposito augis, id tamen non euenit per lineam rectam at solum circularem, & ob id, non verè asseri potest vt moueatur à medio, ad medium. Et sufficit ipsi sphæræ solari, vt secundum se totam, moueatur circa medium.

Ad secundam neganda est cõsequentia, & ad eius probationem dicitur, quòd tametsi eccentricus sit secundum vnam partem grossior & spissior, & secun

dum alteram, tenuior, nihilominus, id, eius sphæricitati minime repugnat, quoniam vt perfectam habeat sphæricitatem, sufficit, vt secundum eius totam circunferentiam æqualiter distet à centro mundi, quod sanè ponitur, & sic vltima consequentia falsa est.

Ad tertiam dicimus, consequentiam primam esse falsam, & ad eius probationem, respondemus, dicentes, ipsam vnum falsum supponere, nempe, quòd pars grossior ac spissior, præcise sit occupatura locum partis subtilis, & hæc pars subtilis præcise sit occupatura locum partis grossioris, Id enim falsissimum est, quoniam semper pars grossior supremi, ita proportionaliter mouetur, vt nunquam separetur à parte subtiliori, infimi, & econtra. Quare præfata, minime sequi possunt inconuenientia.

Ad quartam negatur, quòd mundi centrum, sit locus totius cœli. Id enim falsissimum extat, quoniam ex Arist. iiij. Physicorum tex. com. xliij. & D. Thom. ac ceteris philosophis rectè sentientibus, vltima sphæra, non per centrum, vt falso arbitratur Auerroës, at per partes, pulcherrime locatur.

Ad quintam, primam consequentiam esse nullam intrepide asserimus, eiusque probationi per pulchre respondemus, dicimusque omnem sphæram cœlestem, circa centrum, quod est terra nostra, continue verti, concentricam quidem circa mundi centrum, eccentricam vero circa aliud centrum, non quidem alterius terræ, à nostra, atqui signabile in terra met nostra, respectu cuius pars vna eccentrici, magis remouetur à circunferentia terræ, alia vero minus, cum hoc tamen circulus eius concentricus, quo ad eius superficiem, æque distat à mundi centro, quæ terra est nostra. Proinde cum arguebatur non dari aliud centrum, nisi alia terra detur, falsum omnino assumebatur, vt patuit. Quare clarissime constat,

præfatas

præfatas rationes esse nullas, apud peritos in theorica Planætarum, qui norunt, vnumquenque Planetam, plures habere sphæras, inter quas, sphæra planætam deferens, semper eccentrica est. Hæc de præsenti quæstione.



Quæstio de Subiecto primæ philosophiæ.

VAERITVR. Num Ens, inquantum Ens, simpliciter sumptum, sit adæquatum Metaphysicæ subiectum. Quæstionem hanc plerique in principio Metaphysicæ tractant, ea ratione moti, quoniam oportet in vnaquaque scientia subiectum esse notissimum, cum de ipso, iuxta Aristotelis sententiam primo Posteriorum. Quid est, & quia est, supponere necessum sit. Nonnulli iiij Metaphys. hanc ipsam discutiunt, Aristotelis auctoritate inducti, inquientis tex. 3. Est autem vna scientia quæ speculatur ens, inquantum ens. Et circa quæstionem hanc, hac serie procedemus, vt primo eius titulum declaremus, deinde conclusionem, ad aures Aristotelis, Commentatoris ac D. Thomæ, ponamus, suis cum probationibus, iij. Ex hac determinata veritate, aduersariorum positiones elidemus, postremo argumenta validiora præfatam conclusionem impugnantia, in medium adducemus; & ea ipsa dissoluemus: hocque absoluto, conclusionis veritas luce clarior apparebit.

De subiecto scīæ supponit quid est & quia est.

Inquantū quandoq; reduplicatiue quandoque specificatiue tenetur.

Quo ad primum, annotandum est, ly inquantum, quandoque reduplicatiue, quandoque specificatiue teneri. Reduplicatiue quidem tunc tenetur, quando rationem reduplicat formalem termini cui adiungitur, ita quòd reduplicatio semper supponit prædicatum aliquod inesse subiecto, denotatque terminū super quem cadit, causam esse inhærentiæ eiusdem prædicati ad subiectum, vt cum dicimus, homo inquantum homo, ratiocinatur. Nam homo nonnisi

sub

sub ratione qua homo, & non sub ratione qua animal ratiocinari dicitur. Specificatiue vero tenetur, quãdo specificatio denotat terminum specificatum, rationem, seu causam minime esse inhærentiæ prædicati ad subiectum, at illud solum denotat quo mediante, prædicatum inest subiecto, siue per se, siue per accidens, eidem subiecto insit, modificatque ac restringit terminum cui apponitur, ne remaneat in sua ratione formali, absolute sumpta, vt cum dicimus homo inquantum capillatus est crispus, vel homo inquantum bipes ambulat.

Annotandum quoque est, non ab re, additum esse, simpliciter sumptum, quoniam, ens quandoque sumitur secundum totam suam amplitudinem, prout se extendit ad omne id, quod, quocunque modo, rationem entis attingit, & sic sub se complectitur ens reale, ac ens rationis, ens per se, & ens per accidens, ens finitum, & infinitum, quandoque vero sumitur pro ente reali duntaxat, & per se, quod, ens rationis, ac ens per accidens excludit.

Quid adæquatum sit subiectũ quid ue principale.

Annotandum est tertio subiectum illud adæquatum dici, quod nec excedit, nec exceditur à scientia cuius est subiectum. Est nanque subiectum aliquod, quod quidem dicitur primum, & principale, quoniã de ipso, vtpote de perfectiori, ac nobiliori subiecto, scientia considerat, at non vt de adæquato, quandoquidem à contemplatis in scientia ipsa, excedatur. Et tale sub adæquato subiecto continetur, Taleque diceretur subiectum principale in Metaphysica substantia ipsa.

Quo ad secundum, ponitur hæc solida, firmaque conclusio, tum ad Aristotelis aures, tum Commentatoris tum etiam D. Thomæ.

Ens inquantum ens, seu ens Deo, creaturisque commune, est adæquatum Metaphysicæ subiectum.

In conclusione hac iccirco asserimus, Ens, Deo, Creaturisque commune, subiectum esse adæquatum,

vt ens rationis ad Logicum duntaxat, seu Dialecticum, spectans, & ens per accidens quod à nulla penitus arte contemplatur, secludamus. Nam cum Metaphysica realissima sit scientia, & realissimum debet habere subiectum, quod præfatum est ens, de ipsis tamen non vniuoce prædicatum, vt Scotus imaginatur, at analogice, vt Aristoteli Commentatori, ac D. Thomæ scitissime placet. Probatur vero complu ribus hæc conclusio, rationibus, & vna quidem prima, ex generalibus, necessarijsque subiecti conditionibus desumpta, & tali.

Ens, de, deo, et creaturis ana logice dicitur.

Illud quod habet omnes conditiones necessario ad subiectum scientiæ requisitas, est subiectum in scientia illa, at ens reale, Deo, creaturisque commune, omnes habet conditiones ad subiectum scientiæ Metaphysicæ necessario requisitas, igitur ens reale Deo creaturisque commune est Metaphysicæ subiectum. Maior vt manifestissima relinquitur, minor vero probatur. Nam subiectum scientiæ quodlibet, tribus potissimum conditionibus gaudere debet, nempe vniuersalitate, seu adæquatione, principalitate, ac distinguibilitate, vt pulcherrime docet Doct. sanctus j.q. prologi j. sententiarum ar. iiij. Et primo quidem vniuersalitatem, seu omnium continentiam debet habere, ita vt ipsum omnino, omnibus in scientia traditis sit æquale, quoniam si excederet, vel excederetur, iam adæquationem minime haberet. Oporteréque omnia in scientia speculata sub eius ratione formali, speculari. Verum formalis ratio subiecti duplex est. Altera subiecti, vt res est, altera subiecti, vt subiectum, seu vt scibile est, siue altera vt quæ, altera sub qua, Ratio formalis vt res, seu vt quæ illa est, ex qua propriæ fluunt passiones, & quæ verum est medium ad demonstrandum primâ passionem de ipso subiecto, vt entitas in Metaphysica quantitas in Mathematica, & mobilitas in naturali philosophia. Ratio autem formalis subiecti, vt

Subiectũ cuiuslibet scientiæ tripli ci gaudet cõditione

Ratio formalis subiecti scientiæ duplex.

sub

subiectum est, seu vt scibile est, immaterialitas est, seu talis abstrahendi modus, ad quem necessario sequitur, & definiendi modus, qui quidem in Metaphysica est ens abstractum à materia sensibili, & intelligibili secundum esse, & secundum rationem. In Mathematica verò est ens abstractum, non quidem à materia intelligibili, at sensibili secundum rationem, non autem secundum esse. In Physica demum est ens abstractum à materia sensibili particulari duntaxat, non autem à materia vniuersali nec secundum esse nec secundum rationem. Et propterea ad Metaphysicam speculationem, ea entia omnia realia spectare dicimus, quæ à materia sensibili, & intelligibili secundum esse, & secundum rationem abstrahunt, vt Deus, & Intelligentiæ, & quæcunque sine præfata materia sensibili esse valent, tametsi actu talia minima sint, Et pariter sine præfata materia definiri possunt. Et harum rationum formalium, prima, subiectum ipsum constituit in tali esse reali, ac genere rei, secunda autem idipsum constituit in tali esse scibili. Iste autem duæ rationes formales sese conuertibiliter consequuntur, veluti subiectum, & passio, quoniam ratio formalis subiecti, vt scibile est, adæquata est rationi formali subiecti, vt res est.

Quæ entia sub Metaphysica considerationeca dant.

Quo duæ rationes formales subiecti scientiæ sese consequantur.

Secundo, subiectum scientiæ, principalitatem habere debet, nempe, vt eius cognitio, primo & per se, ac principaliter intendatur, sicuti dicimus Arithmeticum primo & principaliter, numeri cognitionem intendere, vti proprij subiecti, non autem suarum specierum, nisi consecutiue.

Subiectum scientiæ non vt res, est at vt scibile est di stinguit vna scientiam ab alia.

Tertio, subiectum idem, distinguibilitatem habere oportet, vt scilicet per ipsum non quidem vt res est, at vt scibile est, à cæteris scientijs seiungitur, quoniam teste Aristotele iij. de Anima, tex. comment. xxxviij. secantur scientiæ, quemadmodum & res scibiles, seu subiecta scibilia, quod & confirmatur eiusdem auctoritate j. Poster. cap. xxij. & tex. xliij. Cum itaque

itaque hęæ tres conditiones enti reali, Deo creaturisque communi, pulcherrime conueniant, quoniã omnibus in Metaphysica consideratis æquatur, estq. in ipsa principaliter, & primo consideratum, per ipsumque à qualibet alia speculatiua scientia, nempe Mathematica, ac Physica distinguatur, vt patet, ob id verissimum Metaphysicæ subiectum, & adæquatum statuitur.

Amplius hac secunda roboratur ratione, videlicet. Illud est adæquatum Metaphysicæ subiectum, cui passiones primo, & per se insunt, at ens reale, Deo creaturisque commune, est tale, igitur: Maior est Aristotelis iiij. Metaphys. tex. com. j. vbi inquit. Est autem vna scientia, quæ speculatur ens, inquantum ens, & quæ huic insunt secundum se. Super quo textu, inquit Commentator, Dicamus igitur quòd manifestum est, per se aliquam esse scientiam, quæ considerat de ente, secundum quòd ens est, & de accidentibus essentialibus enti in eo quod est ens. Minor probatur, eiusdem Aristotelis auctoritate, eodẽ libro, tex. com. iij. vbi de vno determinat, quod est entis communis prædicti passio, sicut & cætera transcendentia, quæ non primo & per se conueniunt enti prædicamentali, vt falso astruit Flandrensis, at enti præfato communi, cum expresse asserat ipsemet Aristoteles, quòd ens & vnum dicunt vnam eandemque naturam, quam perfectam conuertibilem non habet vnum, nec alia transcẽdentia cum ente, in x. prædicamenta diuiso, at solum cum ente reali prædicto. Nam sicuti dicimus, quòd ens reale per se, primo & conuertibiliter est vnum, verum, bonum, res, ac aliquid, ita dicimus Deum à prędicamento exemptum, esse vnum, bonum, verum, & reliqua transcendentia. Hoc idem astruit. D. Thom. super citato tex. iij. inquiens, ℣ Aristoteles accedit ad ostendendum vnius scientiæ esse considerationem horum communium, nempe vnius, & multorum, eiusdem ac diuersi.

Flandrensis.

Adhuc

Adhuc tertia commonstratur ratione, quę talis est, Illud ens quod habet passiones de ipso verè demonstrabiles est subiectum in aliqua scientia, atqui ens inquantum ens, siue ens Deo, creaturisque commune habet passiones, de ipso verè demonstrabiles, vt expresse sentit D. Thom. iij. Metaphysicæ tex. com. quinti, Igitur tale ens est subiectum in aliqua scientia: at nequit esse subiectum in scientia particulari, vt Mathematica, & Physica, vt clare constat ex sexto Metaphysicæ tex. com. j. Igitur erit in Metaphysica cum non detur aliqua alia speculatiua scientia, prædictis duabus condistincta, præter Metaphysicam, vt optime docet Aristoteles vbi supra, tex. com. xxj.

Roboratur rursus prædicta conclusio hac quarta ratione. Cui enti competit ratio formalis subiecti Metaphysicæ, est subiectum eiusdem, at enti, Deo creaturisque communi, competit ratio formalis subiecti Metaphysicę, igitur est subiectum in ipsa. Maior ex se clarissima est. Minor vero probatur, quia enti sic communi competit esse abstractum à materia sensibili, & intelligibili secundum esse, & secundum rationem. Et de Deo quidem manifestissime patet, De creaturis quoque constat quoad gradus entis generales, & communes in ipsis repertos, quorum dumtaxat ratione ad Metaphysicam spectant. Nam quoad gradus tales prædicta abstractione gaudent, vt D. Thom. libro vj. Metaphysicæ supra citato, egregie notat.

Vltima postremaque ratione, sic probatur. Vniuersalissima scientia realis, vniuersalissimam subiectum, & reale, habere debet: at Metaphysica, quæ & prima philosophia ab Aristotele vocatur, est vniuersalissima scientia, realis, igitur debet habere vniuersalissimum subiectum, & reale. Igitur ens, inquantum ens, Deo scilicet, creaturisque commune. Maior ex eo liquet, quoniam oportet scientiam, & eius subiectum, ad inuicem proportionari, sibi inuicem

corre

correspondere, ac omnino æquari, vt supra dictum est, Minor vero probatur Aristot. auctoritate; vj. Metaphysicæ tex. com. iij. & iiij. inquientis Metaphysicam vniuersaliter esse omnium communem, & primam philosophiam quæ de ente, inquantum ens est, tractat, & de his, quæ ei per se insunt, in quantum ens, tale autem est ens prædictum. Idem habetur ab eodem, xj. lib. tex. com. vj. Probatur autem, & ratione sic. Quia scientia quæ est de omni ente reali, est vniuersalissima, hæc enim ex se clarissima est, at Metaphys. est de omni ente reali, prout docet Arist. iiij. eiusdem Metaph. tex. com. v. vbi ait. Et Philosophi est de omnibus posse speculari. De omnibus inquam entibus realibus, seu entibus naturæ, vt Doctor sanctus interpretatur. Claret quoque hæc minor ex eiusdem D. Thom. dictis, plerisque in locis. Inquit enim vj. Metaph. tex. com. j. quòd de quolibet ente, inquantum est ens, proprium est Metaphysici considerare. Quò fit, vt cum Deus sit ens maxime reale de ipso Metaph. contemplabitur. Itaque sequitur quòd Metaphysica sit vniuersalissima scientia; At forte quispiam huic occurret dicens, verum quidem esse, Deum ipsum vt principium entis, subiecti Metaphysicæ, Metaphysicam speculari, non tamen vt ipsius entis subiecti, partem subiectiuam. Verum, quòd hoc responsum D. Thom. doctrinæ, repugnet, ex eius dicto xj. Metaph. tex. com. viij. facile claret. Nam Aristotelis textum exponendo, qui incipit. Est autem hoc quidem actu solum, ait, Aristotelem quatuor ponere, quorum primum est, quòd ens diuiditur per potentiam, & actum. Et subdit, Et hoc est quod dicit, quia entium quoddam est actu, sicut primum mouens quod est Deus. Quoddam vero, potentia tantum, vt materia prima. Quoddam potentia, & actu, sicut omnia intermedia, Constat autem membra, ens ipsum, diuidentia, sub ipso contineri, vt partes subiectiuas, eiusque in

Ad obiectionẽ responsio.

recto

recto prædicationem recipere. Quare Deus à Metaphysico consideratur & vt principium, & vt pars entis, communis subiectiua. Hoc idem docet iiij. Metaph. tex. comm. xxj. vbi sic ait, ens non vniuoce at analogice prædicatur de omnibus entibus, & omnia entia pertinent ad considerationem vnius scientiæ, quæ speculatur ens, inquantum ens, scilicet, tam substantias, quàm accidentia. Ex his claret vltima consequentia superius deducta, nempe, quòd scientia Metaphysicæ considerat ens, inquantum ens, igitur ens Deo, creaturisque commune. At rursus obiciet quispiam, doctrinam hanc aduersari. D. Thom. dicto, viij. Metaphys. tex. comm. j. vbi inquit, hanc scientiam, scilicet, Metaphysices considerare ens cõmune, sicut proprium subiectum, quod quidem diuiditur per substantiam, & nouem genera accidẽtium, ex quo sequi videtur, quòd ens solum in decem prædicamenta diuisum, sit adæquatum Metaphysicæ subiectum. Verum, quòd hoc determinatæ veritati nihil obstet, optime declaratur. Nam etsi admittamus ens quod subiectum est Metaph. in decem diuidi prædicamenta, haud tam concedimus membra diuidentia nempe prædicamenta, totam euacuare ipsius diuisi naturam, quandoquidem diuisio talis non prima fit, cum plures aliæ præcedant, quarum membra totam eiusdem entis realis naturam euacuant. Nam primo ens secatur in ens per se, & ens per accidens, quia omne ens reale, aut ens per se, est, aut per accidens, secunda est qua diuiditur per vnum, & multa, tertia, qua secatur per finitum ens, & infinitum, quoniam ens quodlibet aut vnum est, aut multa, finitum vel infinitum, secundum essentiam, cum autem ens in substantiam prædicamentalem, & accidens diuidi tur, nequit verè dici, quòd omne ens sit prædicamen talis substantia, vel aliquid aliorum prædicamentorum accidentium, quoniam substantia prædicamentalis prædicta, finita, & limitata est, & similiter cæte-

Obiectio.

Ad obiectionẽ re sponsio.

ra

ra accidentium prædicamenta, propterea omnia præfata decem genera conuertuntur solum cum ente creato, & finito, non autem cum ente inquantum ens est siue cum ente reali communi, simpliciter sumpto, id est nullatenus contracto. Ens igitur tale sic commune, & Metaph. subiectum, diuiditur quidem in prædicta decem prædicamenta, at non ita vt cum ipso sint conuertibilia, nec vt totam eius amplitudinem, & virtutem euacuantia, vt prædictum est, ea propter id nil officit veritati concluse. Hincque fit vt tali enti prædicamentali, passiones entis communis, vt vnum, verum, bonum, res, aliquid, adæquate, & conuertibiliter conuenire minime possint, & proinde adæquatum Metaphys. subiectum esse nequit. Conclusionem præfatam ad aures Aristotelis firmiter tenuerunt omnes præclarissimi viri, Aueroës, scilicet, iij. Metaph. com. j. & xij. lib. com. j. etiam ad aures Alexandri. Auicenna quoque lib. primo Metaphys. cap. ij. Magnus Albertus, eiusdem Metaphys. lib. j. & tractatu j. cap. ij. & iiij. libro tractatu j. cap. j & ij. & D. Thom. plerisque in locis doctrinæ suæ.

Ens in decem prædicamenta diuisū, est ens creatum.

Opiniões de adæquato Metaphysicæ subiecto variæ.

Quo ad tertium elidendæ sunt aliorum opiniones, vtpote, veritati non consentaneæ. Nam vt recenset Mag. Albertus lib. j. loco citato, nonnulli posuere Metaphysicæ subiectum esse causam, in eo quod causa prima, in vnoquoque causarum genere. Alij vero asseruere Deum, & diuina præfatæ scientiæ adæquatum esse subiectum. Alij postremo asseuerarunt genus entium separatorum, seu abstractorum subiectum huius primæ philosophiæ esse, quam opinionem nonnulli commentatori attribuunt, ob id quia redarguens ipsum Auicennam ponentem munus esse primæ philosophiæ probare substantias separatas esse, ait. Genus entium à materia separatum esse non declaratur nisi in hac scientia naturali, & subdit, vt patet comm. vlt. j. Physicorum, aduersus

ipsum

ipsum Auicennam: Et qui dicit, quòd prima philosophia nititur declarare entia separabilia esse peccat. Hæc enim entia sunt subiecta primæ philosophiæ, & declaratum est in posterioribus analiticis, quòd impossibile est aliquam scientiam declarare suum subiectum esse. Sed concedit ipsum esse, aut quia manifestum est per se, aut quia demonstratum est in alia scientia. Vnde maxime peccauit Auicenna cum dixit, quòd primus philosophus demonstrat primum principium esse.

Refelluntur omnes præfatæ opiniones.

Omnes autem hæ opiniones hac prima ratione refelli possunt. Quia illud duntaxat ponendum est adæquatum Metaphysicæ subiectum, ad quod naturaliter consequuntur passiones cum ipso conuertibiles, sicut sunt, vnum, verum, bonum, res, aliquid, & cætera id genus, atqui ad nullum prædictorum, neque scilicet, ad causam vt primam in vnoquoque genere, neque ad Deum, & diuina, neque ad genus abstractorum, consequuntur prædictæ passiones conuertibiliter, vt patet, igitur nullum illorum potest esse adæquatum Metaphysicæ subiectum. Reprobantur & hac secunda ratione. Quoniam partes subiectiuæ cumplures de quibus multa demonstrantur in scientia Metaphysicæ reduci nequeunt ad aliquod prędictorum, sicut ad commune de ipsis prędicatum, qualiscunque sit illa communitas, igitur idem quod prius. Consequentia patet. Antecedens vero probatur quia vt Magnus inquit Albertus vbi supra certo certius constat substantiam, & qualitatem, & huiusmodi nequaquam reduci, ad ipsam primam causam in vnoquoque genere, vt ad commune de eis prædicatum, similiter de Deo ac diuinis, & de genere abstractorum dicitur vt liquet, quare antecedens præfatum, veritate gaudet. Veritatem autem præfatæ opiniones habere possunt si loquamur non de adæquato, sed de principali, seu digniori, præstantiori, ac nobiliori subiecto, sub adæquato tamen

Quam veritatē habere possint opiniones dictæ.

contento, quoniam nil his dignius in prima philosophia contemplatur, & propterea Aristoteles libro xij. de talibus entibus agit, dum de substantijs separatis, nempe de Deo, ac cæteris intelligentijs tractat. Aduertendum est autem circa tertiam opinionem, ipsi Commentatori à nonnullis (vti præfatum est) attributam. quod si tales de adæquato subiecto loquantur, falsum eidem Commentatori imponunt, quoniam saluare minime possent, quin sibi ipsi contradiceret, etiam in eodem commento, quia præmisit paulò superius, quòd Metaphysica quæ de formis simplicibus à materia abstractis considerat est de ente simpliciter vt de subiecto, quod corroborat iij. Metaphys. com. j. & xij. eiusdem commento similiter primo. Cum autem affirmandum minime sit ipsum contradictoria effari, interpretandum est & intelligendum illud dictum eo modo, quo nos supra interpretati sumus. Nec obstant illa verba quibus ait, Nullam scientiam probare suum subiectum esse, quoniam ipse sensit nullam scientiam sui subiecti adæquati, vel principalis, sub adæquato contenti, existentiam probare. Hisce igitur explosis opinionibus vnum annotandum est, à magno tractum Alberto, primo Metaphys. cap. ij. vbi ait; Latinorum quosdam iccirco posuisse Deum esse Metaph. subiectum, eo quòd nobilissimæ scientiæ debetur nobilissimum subiectum, & primæ scientiæ, primum subiectum, ac diuinum, diuinæ, & altissimæ, altissimum, astruxisque insuper scientiæ subiectum trifariam dici posse, aut quia communius in scientia est, aut quia certius, aut quia dignius, & ratione quidem primi, ens in scientia Metaphysica esse subiectum, ratione secundi, causam ipsam, & ratione tertij, ipsum Deum, & proinde non à toto, at à quadam sui parte dignissima, scientiam prædictam vocari diuinam. Ipse autem Albertus distinctionem hanc, minime approbat, vultque non ab aliqua sui parte, at à toto scientiam

Notandū

Distinctionem præfatam non accepta Magnus Albertus.

tiam hanc, honorabilissimam, diuinissimam, ac nobilissimam; denominari, hac motus ratione, quia (inquit) omnia apud naturam, omnium rerum manifestissima, qualia sunt ens, & entis partes, ac principia, diuinissima sunt, ac nobilissima, & omnibus priora, & propterea cum scientia hæc, speculetur omnia, omnium rerum, manifestissima secundum naturam, & non in vna duntaxat parte, à toto honorabilissima, certissima, ac diuinissima denominabitur, & ob hoc, (subdit) meritò prima vocitatur philosophia. Verú Doctor sanctus prohemio Metaphysices huic Alberti opinioni contradicere videtur, dum ibi declarat scientiam hanc, tria sortitam fuisse nomina, nempe, vt diuina, siue theologia, Metaphysica, & prima philosophia, vocetur, vulq́ue diuinam dici scientiam, quia substantias separatas Deumq́ue considerat, Metaphysicam vero, quatenus ens commune, speculatur, & ea quæ ipsum consequuntur, quæ sanè cuncta naturalia transcendunt, primam postremo philosophiam quatenus rerum causas primas, ac vniuersales rimatur. Et hæc D. Thom. rationabilior videtur opinio, cum incongruum minime sit, à partibus præsertim dignioribus, totum denominari. Cũ itaque de his omnibus antedictis in hac scientia tractetur, poterit iuxta tractatarũ rerum diuersitatem, diuersa sortiri nomina, nec potest secundum se totã, scientia hæc, dici diuina, vt inquit Albertus, atqui solum ratione diuinarum rerum, xij. lib. tractatarum, & non alibi. Nam libro præfato, de Deo, cæterisq. intelligentijs diffuse pertractat Aristoteles, quæ reuera maxima diuinitate gaudent. Et ob id solum videtur ipsemet Aristoteles prohemio Metaphysicæ scientiam hanc, & sapientiam, & maxime diuinam, appellitare, sapientiam quidem, quoniam altissimas contemplatur causas, omnium effectrices, diuinam vero, quia diuina rimatur, qualia sunt Deus, & Intelligentiæ. Si quis tamen vellet, Albertum sustinere,

D. Thom. Alberti opinioni contradicit & rationabilior.

dicere posset, quòd scientia hæc se tota diuina nuncupari posset quoniam est de ente diuino, nempe abstracto ab omni materia sensibili, & intelligibili, secundum esse, ac secundum rationem, quam abstractionem nullà scientiarum speculatiuarum habere dignoscitur.

Quo ad quartum ac vltimum nonnulla in mediũ afferenda sunt argumenta, veritatem determinatam impugnantia. Et duo quidem prima, quæ validiora sunt, super duobus D. Thom. dictis fundari videntur. Quorum primum habetur ex eiusdem D. Th. commentarijs super Boëtio, de Trinitate quæst. v. ar. iij. in quo de scientiarum speculatiuarum agitur distinctione, & ibidem discrimen ponens inter Theologiam naturalem, naturali, scilicet, lumine, acquisitam, & Theologiam supernaturalem, supernaturali lumine habitam, ait. Duplex est Theologia, siue scientia diuina, altera in qua considerantur res diuinæ, non quidem tanquam scientiæ subiectum, at solum tanquam subiecti principia, quam Philosophi prosequuntur, quanquo Metaphysicam appellant, altera vero quæ res speculatur diuinas, propter seipsas, vti scientiæ subiectum, & hæc est Theologia, quæ sacra scriptura dicitur. Et subdens dicit, quòd Theologia naturalis, de separatis determinat veluti de principijs subiecti, Theologia autem sacræ scripturæ, de separatis contemplatur, vt de subiecto.

Theologia duplex secũdũ D. Th.

Ex hoc autem D. Thom. dicto, sic argumentantur. Principia subiecti scientiæ, non continentur sub subiecto, at substantiæ separatæ sunt principia subiecti Metaphysicæ igitur non continentur sub subiecto. Maior ex eo liquet, quia nulla causa, effectus productiua, sub tali suo effectu, contineri valet. Minor vero elucet, ex iam adducto D. Thom. dicto. Secundum vero eiusdem D. Thom. dictum, super quo secundum fundatur argumentum desumitur ex prohemio Metaphysica, vbi ait. Substantias separatas

Argumentum primum Flãdrensis.

tas esse vniuersales,& primas essendi causas,Et paulu lum infra subdit, ad eandem scientiam pertinere sub stantiarum separatarum speculationem,& ipsius entis communis,quod est genus,scilicet,subiectum, cu ius prædictæ substantiæ sunt communes, ac vniuersa les causæ.

Tunc ex hoc clarissimo dicto,tale construant argumentum. Illud ens commune est adæquatum Metaphysicæ subiectum, cuius causæ, & principia sunt substantiæ separatæ,atqui entis communis Deo & creaturis,substantiæ separatæ,causæ minime sunt, nec principia,igitur tale ens,Deo creaturisque commune, adæquatum Metaphysicæ subiectum esse nequit. Maior est D. Thom. loco supra citato. Minor vero ex se extat clarissima,quoniam aliter sequeretur quòd Deus esset suimet causa, pariter & cæterę intelligentiæ, quod prorius impossibile est. Hæc duo argumenta alijs sunt validiora,vtpote, super do ctrinam D.Thom.fundata, quibus vt arbitror præfati viri,ob ingenij sui imbecillitatem respondere nescientes,ea ipsa,veluti duas demonstrationes,concludere,opinati sunt. Verum quàm isti aberrent,quanquam hallucinentur,& ab D.Thomæ præclarissimo rumque philosophorum sententia, discedant, & in meridiana luce, cecutiant, ex prædictis facile constat,& ex dicendis clarius constabit.

Vt itaque ostendamus hæc argumenta determinatæ veritati nihil officiere,ad eorum solutionem accedamus,nonnullas præmittendo distinctiones, quibus perspicua primi argumenti dissolutio clarescat. Harum autem prima hæc est. Principia subiecti scitiæ,in duplici sunt differentia, quædam enim à subiecto sunt penitus extrinseca, vt primus motor,respectu entis mobilis, naturalis philosophiæ subiecti, quædam vero intrinsica sunt, vel vt partes essentiales,ipsius subiecti,vt materia, & forma,respectu eiusdem entis mobilis, vel vt inclusa omnino sub ipso

Principia subiecti scientiæ sunt duplicia.

subiecto, de quibus vti de partibus subiectiuis; subiectum ipsum, in recto prædicatur, Secunda est, principia subiecti scientiæ quædam productiua, & effectiua sunt, quædam non productiua, at formalia solum existunt, quibus adæquatæ passiones de suo adæquato subiecto demonstrantur. Postrema est. Subiectum duplex, adæquatum, scilicet, & inadæquatum. Adæquatum est illud quod speculata in ipsa scientia, minime excedit, nec ab eisdem vllatenus exceditur. Inadæquatum vero illud est, quod à tractatis in scientia semper exceditur.

Ad primũ argumentum respõsio.

His sic prælibatis ad primum dicitur argumentũ, Et ad maiorem quidem, cum dicebatur. Principia subiecti scientiæ non continentur sub subiecto, Respondetur, quòd si de principijs omnino extrinsecis à subiecto sermo sit, ipsa conceditur, at tunc minor subsumpta, nempe Deus, & Intelligentiæ sunt principiæ subiecti extrinseca, id est, non contenta sub ipso, falsissima est, quandoquidem intrinseca asserantur non ea quidem ratione, vt intrinsecæ partes essentiales, quæ subiectum ipsum constituant, at quia eius amplitudinem continentiam, & prædicationem in recto, minime euadunt, quoniam verissime autumamus, Deum & substantias separatas esse ens reale, quod Metaphys. subiectum ponimus. Et propterea inquiebat Capreolus, dist. xxxv. j. sent. q. ij. ad tertium contra primam conclusionem, Quòd obiectũ intellectus angelici, quod ens ponitur, est vniuersalius secundum prædicationem, obiecto intellectus diuini, quod est diuina ipsa essentia; Et in responso ad quintum aiebat, quòd obiectum diuinæ scientiæ claudit secundum prædicationem sub ente communi, licet ens commune perfectiori modo in diuinitate, vtpote, in summa, & infinita actualitate claudatur, virtualiter, ac eminenter, omne ens, continente. Si vero in eadem maiori sermo fit de principijs scientiæ productiuis, ac effectiuis, hocque modo argumentum

Obiectũ intellectus angelici, secundum prædicationem cõmuni⁹ est obiecto intellectus diuini secundum perfectionem vero econtra.

gumentum formetur. Principia productiua, & effectiua subiecti adæquati scientiæ, (de hoc enim solum loquimur) non continentur sub tali adæquato subiecto, quàm libentissime conceditur, atqui cum subsumitur Deus, & substantiæ separatæ, sunt vniuersales causæ, & principia productiua, seu effectiua subiecti adæquati scientiæ Metaphysicæ, hæc vti falsissima, negatur, quoniam nec substantiæ separatæ, nec Deus ipse, sunt causæ seu principia productiua entis realis communis, secundum totam eius amplitudinem, & latitudinem, quoniam si sic esset, Deus sui ipsius causa existeret, & similiter ceteræ intelligentiæ, quod est penitus impossibile, nec in hoc sensu, vt veram asseruit D. Thom. Non enim cum dicitur vel Deum ipsum, vel substantias separatas esse causam effectiuam, vel principium productiuum entis, inquantum entis, intelligitur quòd causa sint, & principium productiuum ipsius entis vel esse, in quocunq; simpliciter reperitur, at solum ipsius in quocunque inuenitur secundum eandem rationem, quæ in causatis perspicitur, quoniam necessum est minimè vt causent & producant ens ipsum in quocunque analogice reperitur. Liquet qppe Deum causam per se entis inquantum entis esse, non tamen dicitur eum ipsum esse causam entitatis in seipso existentis, at solum entis in quocunque inuenitur secundum eandem rationem, qua in causatis reperitur, vt dicebatur, nempe entis per participationem, non entis per essentiam, quale est ipse Deus. Itidem dicitur de substantijs separatis, quoniam causæ sunt entis communis, seu entis inquantum entis, in quocunque reperitur, pariter secundum eandem rationem. Et quia non inuenitur in ipsis ens secundum eandem rationem quæ inuenitur in rebus ab eisdem productis, sicuti patet, quia in ipsis incorruptibiliter, in omnibus vero alijs ab eisdem causatis, corruptibiliter proinde non sequitur, quòd suæ entitatis causa sint

Deum esse principiũ effectiuũ entis in quantum entis quis sensus.

Quæ intelligẽtiæ sunt causæ entis inquantũ entis.

productiua. Non igitur Deus, ac substantiæ separatæ sunt causa productiua entis realis communis, seu entis, inquantum entis, secundum totam suam latitudinem, vti declaratum est, at entis inquantum entis, ab eisdem producibilis. Et si inferatur, igitur ens reale, & producibile solum erit adæquatum Metaphysicæ subiectum, negatur consequentia, quoniã cum ens Metaphysicæ subiectum analogum sit, non eodem modo, in causis, & causatis reperitur, quia nõ secundum eandem rationem, sicuti patet. Et ad hũc sensum pulcherrime verificatur D. Thom. dictum.

Potest quoque & aliud facillimum afferri responsum, aperta veritate gaudens, maiorem, scilicet assumptam sic modificando, principia subiecti scientiæ nõ continentur sub subiecto, eo scilicet modo, quo principia eius sunt, cumque subsumitur, Deus & substantiæ separatæ sunt principia subiecti Metaphysicæ admittatur, & cum concluditur, igitur non continentur sub tali subiecto eo modo quo eius principia sunt, optime sequitur, argumentumque pulcherrime concludit, & veritatem affert, at non aduersus conclusionem supra declaratam. Concludit enim solum, quòd Deus ac substantiæ separatæ non continentur sub subiecto vt ab ipsis producibili, quod vlla absque controuersia conceditur. Non tamen ob id sequitur quòd ens reale Deo creaturisque commune, nõ sit adæquatum Metaphysicæ subiectum. Si autem sermo sit de principijs, non quidem effectiuis, at formalibus duntaxat, maior propositio in argumento assumpta falsissima est, quandoquidem principium formale subiecti ipsius scientiæ sit eiusdem subiecti quidditas quæ sub ipso continetur, veluti distinctum sub confuso, seu explicitum sub implicito. Et talis subiecti quidditas, quæ, alio nomine, definitio dicitur, est verum medium, ad demonstrandum primam & adæquatam passionem de suo subiecto, vt Aristoteles ac D. Thom. ij. Posteriorum clare edocent. Ex

his

his itaque facile constare arbitror primum hoc argumentum nullius esse roboris, vel momenti, nisi apud propriam vocem, ac germanam terminorum significationem ignorantes.

Ad secundum facillime respondetur maiorem, quæ est D. Thom. in prohemio Metaphysicæ, vt dictum est, interpretando, eique verum sensum reddendo. Cum enim sic arguitur. Illud ens commune est adæquatum Metaphysicæ subiectum, cuius substantiæ separatæ, vniuersales sunt, communesque causæ productiuæ, sic est modificanda, cuius, videlicet, substantiæ separatæ, causæ sunt non vniuoce, at analoge, id est, productiue entis communis quidem, at non quòd eiusdem sit rationis simpliciter, sed solum proportionaliter cum eute in ipsis reperto. Non enim oportet causas analogas entis communis productiuas, ita illud producere, vt in se est, & vti tali amplitudine, ac communicate gaudet, quoniam tunc essent etiam entis in ipsis reperti productiue, quod est impossibile, atqui productiue dicuntur entis communis, quia entis quod est aliud à seipsis, quodque saluatur, ac reperitur in aliquibus suis partibus subiectiuis. Cumque subsumitur. Substantiæ separatæ non sunt causæ analogæ entis communis, Deo & creaturis, seu entis, inquantum entis, hæc vti falsa neganda est, quoniam cum ens, de Deo ipso, ac creaturis prædicatum, sit analogum, per priusquam de Deo, vti de ente per essentiam cui produci, ac causari minimè competit, quinimò sibi repugnat; de creaturis vero, vti de ente per participationem, cui produci, optime conuenit, prædicetur: hinc fit vt cum dicimus, Deum esse productiuum entis, ipsi, creaturisque communis, intelligatur, productiuum esse entis quidem taliter dicti, & vt sibi produci conuenit, quod pariter asserendum est de alijs substantijs separatis. Hinc quoque fit, vt cum dicitur substantias separatas esse causas productiuas entis in quantum entis,

Quomodo propositio D. Th. Prohemio Metaphysicæ assumpta sit modificanda.

entis, ly inquantum teneatur specificatiuè, non reduplicatiuè, à specificatiua autem, ad vniuersalem consequentia minime valet, formaliter loquendo, etiam cum specificationis nota. Sicut enim non rectè infertur, homo inquantum capillatus est crispus, igitur, omnis capillatus est crispus; ita etiam nec hic sequitur substantiæ separatæ sunt productiue, ac effectiue entis, inquantum entis, igitur sunt productiuę omnis entis, quoniam, ly, inquantum specificat, & restringit terminum cui apponitur, vt ipsum non relinquat in sua ratione formali absolute sumpta, & propterea sensus propositionis est, substantiæ separatæ sunt productiuę entis, inquantum entis, quia non solum ens habet causam secundum speciales essendi rationes, puta secundum tale esse, humanum, leoninum, & huiusmodi: ac etiam secundum ipsam entis rationem, tametsi non in quolibet, vt præfatum est. Sunt enim separatæ substantiæ, potissimum prima, causæ productiuæ hominis, non solum quatenus homo est, sed etiam quatenus animal, viuens, corpus, substantia, & ens est, siue existit. Et nisi sic hoc D. Thom. dictum interpretetur, quæ nihilominus interpretatio veritati omnino consentanea est, facile talis argumentatio retorqueri potest aduersus Flandrensem, & quoscunque tenentes ens prædicamentale, non ens Deo, creaturisque commune, adæquatum esse Metaphysicæ subiectum, sic arguendo.

Retorquetur argumentum aduersariorum in seipsos.

Illud ens commune est adæquatum Metaphysicæ subiectum, cuius substantiæ separatæ, effectiuæ sunt causæ, atqui entis prædicamentalis substantiæ separatæ (generaliter loquendo,) non sunt effectiuæ causæ, igitur ens prædicamentale non est adæquatum Metaphysicæ subiectum, quod est contra illorum opinionem. Maior est D. Thom. Minor vero probatur. Quia si substantiæ separatæ essent entis prędicamentalis effectiuæ causæ, cum omnes citra primam, in prædicamento substantiæ reponantur, vt

ab

ab omnibus veris admittitur philosophis, optime se quetur, quòd ipsarummet causæ existant quod affirmare prorsus falsum est.

Atqui nonnulli hebetis ingenij hoc inconueniens effugere mollientes aiunt, substantias separatas esse equidem causas entis prædicamentalis effectiuas, haud tamen ipsarummet, quandoquidem ipse sub subiecto Metaphysicæ minimè contineantur. Inquiunt enim eos omnes, tum à ratione, tum ab D. Thom. ac Aristotelis auctoritate deuiare, qui eas ipsas, sub prædicto adæquato Metaphysicæ subiecto reponunt. Verum hac in re q̃ isti delirent, & quàm à veritatis tramite, quanquam postremo ab Aristotelis ac D. Thom. lucidissima doctrina recedant, facile commonstratur. Ratio quippe ipsa suadet vt limitatum ens omne, & participatum, in aliquo decem prædicamẽtorum reponatur ab idque sub ente Deo creaturisque communi, cumque substantiæ separatę, citra primam, limitata sint entia, ac participata, quandoquidem earundem esse existentiæ in sua recipiatur essentia, vti actus in potentia, ob id vt in genere substantiæ reponantur necessum est. Huic accedit, quòd quia omne habens definitionem ex genere, & differentia constantem, in genere necessario collocatur, ea propter cum substantiæ separatæ huiusmodi definitionem habeant nempe ex immaterialitate vt genere determinabili, & tali immaterialitatis gradu perfectionali, per recessum à potentialitate, & accessum ad actum purum, vt differentia determinante constitutam, sanè sequitur vt in genere, scilicet substantiæ collocentur. Hoc clarè docet Aristot. in lib. Diuinorum vbi postquam libro v. tex. com. xiiij. & vj. tex. com. iiij. & vij. tex. com. j. ens ipsum commune, in decem secuit prædicamenta, subdit, eodem lib. vij. tex. com. ij. & iiij. quòd cum substantia ens sit simpliciter & per se, accidentia vero entia secundum quid, principaliter de ipsa, à Metaphysica speculandum

Quorundam opinio falsa.

Præfata refellitur opinio.

Substantias separatas, sub prædicamẽto substantiæ cõtineri docet Arist.

dum est. Cum igitur substantiæ separatæ maxime entia per se, ac simpliciter sint, potissimum ad Metaphysicam spectabunt considerationem, & vt entis generabilis ac corruptibilis principia sunt, & vt sub prædicamento substantiæ continentur. Quod facile liquebit si perspexerimus Aristot. xij. lib. tex. comm. xxix. eandem substantiam secantem in mobilem, & immobilem, siue intellectualem, quarum primam Physicam appellat, & Metaphysicam alteram, quam longo prosequitur processu. Et quia substantia talis immobilis, genus substantiarum separatarum ostendit, de eoque maxime à Metaphysica tractatur, substantiæque vti nobilioris partis entis prædicationem perpulchræ suscipiant, hinc fit, vt necessario ipsius entis in decem genera desecti in recto prædicationem accipiant. Et hinc quoque merito sequitur, vt sub ente Metaphysicæ subiecto, siue ponatur ens prædicamentale, siue ens Deo creaturisque cõmune, prædictæ substantiæ contineantur, quod probandũ erat. Id quoque ex nono Metaphys. confirmatur, vbi Aristot. volens de ente in actum, & potentiam diuiso, tractatum facere, inquit. Non solum velle se de potentia ipsa, ac actu determinare prout in rebus mobilibus sunt, verum etiam prout in rebus immobilibus, seu intellectualibus (vt D. Thom. interpretatur) reperiuntur. Tales autem res immobiles, substantiæ sunt separatæ, actus & potentiæ compositionem habentes, præter, primam, quæ simplicissima est, quæque infinitate gaudet, & propterea à nullo clauditur genere, quemadmodum prædictæ omnes sub ipso claudũtur.

Easdem substãtias separatas in prædicamento reponi, clare edocet D. Th.

Veritatem autem hanc quam apertissime D. Sanctus docet, in opusculo de natura generis cap. iij. vbi sic ait, Deus in genere non est, cum in eo non sit potentia, & actus, id autem omne in genere est, in quo potentia, & actus reperitur. Et parum infra sic concludens inquit. Cum igitur in omnibus citra primum

mum ſit potentia,& actus,omnia præter ipſum erũt in genere, & ſubdit, quòd licet ens quod eſt ſubiectum primæ philoſophiæ non ſit genus nec in genere, tamen nobiliores entis partes,ſubſtantiæ, ſcilicet ſeparatæ neceſſario erunt in genere. Quo, quid clarius dici poterat? Hoc idem aſſerit iiij. cap. de ente, & eſſentia ſecundum diuiſionem opuſculorum, vel cap.vj. ſecundum partitionem Caietani, inquiens. Quod quia Deus habet eſſentiam quæ eſt ſuummet eſſe, ex hoc ſequitur quòd non ſit in genere, quia omne quod in genere eſt, oportet habere quidditatem, præter ſuum eſſe: Et infra circa medium, inquit. Et quia in ipſis ſubſtantijs ſeparatis quidditas non eſt idem quod eſſe,ideo ſunt ordinabiles in prædicamento. Et propter hoc ſubdit. Inuenitur in eis genus, & ſpecies, & differentia, quamuis earum differentiæ propriæ ſint nobis occulte. Itidem habetur, prima quæſt.lxxxix. ar.ij. ad iiij. vbi ait,quòd ſubſtantiæ immateriales ſunt in prædicamento ſubſtantiæ,cum earum quidditas,non ſit earum eſſe. Et poſtremo diſtinct.iij. ſecundi ſen. q. prima ar. v. in corp. inquit. Reſpondeo, dicendum, quòd ſecundum Auicennam omne id quod habet eſſe aliud à ſua quidditate,oportet quòd ſit in genere,& ita oportet & omnes Angeli ponantur in prædicamento ſubſtantiæ. Ex his clariſſimis D. Thom. dictis, conſtare arbitror ſubſtantias ſeparatas, præter primam omnes in prædicamento ſubſtantiæ reponi. Et ſic ſub ente prædicamentali, tale autem ens ſub ente concludi, Deo creaturisque communi. Quo fit vt ſiue ponatur ens prædicamentale, ſiue ens commune prædictum, euadi non poteſt, quin præfatæ ſubſtantiæ reponantur ſub adæquato Metaph ſubiecto. Velle autem aſtruere prædictas ſubſtantias non contineri ſub Metaphyſicæ ſubiecto, quia oportet omnia ſub ipſo ſcientiæ ſubiecto contenta, eſſe à nobis

quid

quidditatiue cognoscibilia, hoc factuum est dicere, nec improbatione eget, quoniam quoduis prædictorum duorum entium ponatur adæquatum Metaphysicæ subiectum, impossibile est omnia sub tali subiecto contenta, quidditatiue dignosci, quandoquidem substantiæ ipsæ separatæ, quæ sub ente prædicamentali contineantur, & tamen quidditatiue à nobis minime cognoscantur.

Argumentum aduersus cõclusionẽ.

Amplius argumentatur. Quia si ens commune, quale præfatum est, poneretur subiectum, operæprecium foret, vt de ipso aliquid ab eo realiter diuersum demonstraretur, at nihil potest esse à tali ente communi, realiter diuersum, quod demonstrari queat, igitur nequit esse subiectum. Ad hoc facillime respondetur, & primo, per maioris interremptionem, quoniam ad hoc quod aliquid de aliquo sit demonstrabile, non exigitur necessario realis diuersitas ab eo, sed sufficit, quòd quendam additionis modum ad ipsum habeat. Et quia huiusmodi sunt transcendentia omnia respectu entis Metaphysicæ subiecti, quia supra ipsum aliquam rationem formalem addunt; Hinc fit vt de ipso demonstrabilia sint. Potest & secundo responderi, quòd etsi enti secundum se nihil realiter diuersum ineſſe possit, enti tamen in suis partibus recepto complura ab ipso realiter distincta ineſſe possunt, & demonstrari, dum tamen illa non exeant rationem formalem Metaphysices, & ita de ente substantiali plurima demonstrantur ab ipso realiter distincta, & id sufficit, propterea minor hoc in sensu, falsa est, nempe, quòd nihil ab ente vt in suis partibus recepto, sit ab eo realiter diuersum.

Ad argumentum responsio duplex.

Argumentum aliud.

Rursus instatur. si ens Deo, creaturisque commune est huiusce scientiæ subiectum, eadem ratione, & ens commune enti reali, & enti rationis, subiectum poni posset, cum vtrunque sub ente vt ens est, conti

contineatur; & nihilominus id tallum esse constat, quandoquidem de ente rationis, quod teste D. Th. iiij. Metaphys. tex. comm. quinti, est logicæ subiectum, dialecticus, solum consideret, & hac de re, idipsum à Metaphysice consideratione, ab Aristotele vj. Metaphysicæ tex. commenti octaui, secluditur. Huic argumento facilis adest responsio, per interitum consequentiæ, Non enim est æqua ratio de vtroque ente, quoniam cum scientia Metaphysica realissima sit, subiectum exigit realissimum, quale ens est, Deo creaturisque commune & non ens commune enti reali, & enti rationis, cum tale modo quodam, ab vtroque abstrahat. Si postremo arguere-tur quòd omnes conditiones subiecti adæquati, ita attribui possunt enti prædicamentali, sicuti enti Deo creaturisque communi; hoc assumptum inficiendum est, quoniam nulla talium conditionum adæquato subiecto conuenientium, enti prædicamentali conuenire potest. Non quidem prima, quæ est vniuersalitas, quia vniuersalitas talis, siue continentia, adæquationem dicit, quæ in ente prædicamentali respectu rerum, ab ipso Metaphysico tractatarum reperiri nequit, quandoquidem tale ens, à speculatis in Metaphys. scientia, omnino excedatur, vt patet. Non secunda, quia illud principaliter in scientia consideratur, cuius primo ac per se cognitio intenditur in ipsa scientia, ita vt nil aliud principalius sit consideratum. Tale autem est ens inquantum ens, & non ens prædicamentale quod est pars entis communis, vt liquet. Si enim de hoc ente prædicamentali principalius cognitio intenderetur, cum Deus sub tali ente minimè comprehendatur, nullatenus de eo in Metaphysica cognitio haberetur, quod ex duodecimo Metaphysicæ falsum penitus comprobatur. Non denique tertium quoniam scientiæ speculatiuæ ab inuicem distinguuntur, non penes

Responsio

nes

nes materialia, at formalia, & adæquata subiecta, tale autem est ens inquantum ens, & non ens prædicamentale, vt ex dictis liquido constat.

Et sic præfata conclusio remanet inconcussa. Hæc de præsenti quæstione.

Quæstio de Indiuiduationis principio, rerum materialium, & immaterialium, ac accidentium.

VAERITVR generaliter,& vniuersaliter quid sit indiuiduationis principium in cunctis rebus. Et primo, quidem in rebus materialibus,deinde in rebus immaterialibus, postremo in accidentibus.

Et quoad primum quidem quæsitum sic procedemus, quoniam prius quæsiti declarabuntur termini, deinde adducetur Scoti,ac eius sectatorum opinio, suis cum fundamentis, & solluentur: postea aduersus hanc suam opinionem argumentabitur, tanquam falsam ac erroneam, postremo,declarabitur,quæ sit D.Thom.opinio,quam veram esse arbitramur, circa hanc rerum materialiũ indiuiduationem.

Indiuiduum quodlibet duo dicit.

Pro notitia igitur terminorum in quæsito positorum, sciendum est, Indiuiduum quodlibet duo dicere,indistinctionem, scilicet à se, & in se, & distinctionem,ab alijs,& propterea quærere, quid nam sit tale indiuiduationis principium, & intrinsecum (de hoc quippe solum est sermo) est quærere, per quid primo natura specifica, quæ communis, ac vniuersalis est,reddatur singularis, & incommunicabilis,& ita quidem vt sibi repugnet pluribus communicari, veluti superius,suis communicatur inferior bus, per quidque indiuiduum hoc,à cæteris indiuiduis eiusdem speciei, in ipsis rebus materialibus, realiter seiungatur. Et hinc fit, vt duo quærantur ad indiuiduationem ipsam necessario concurrentia, scilicet,

quo primo, natura ipia specifica, incommunicabilis, reddatur, & quo primo, à ceteris indiuiduis eiusdem speciei, secernatur. His enucleatis terminis sciendū est secundo, quòd hæc quæstio à diuersis, tum Theologis, tum Philosophis, diuersis in locis, agitatur; & à Scoto quidem tertia dist. ij. sen. q. vj. & vij. Metaph. q. xiij. A diuo aut Thom. j. par. q. xxix. ar. j. & q. iij. ar. iij. q. xj. ar. iij. ac q. xiij. ar. ix. Item iij. par. q. ij. ar. ij. & q. lxxvij. ar. j. ac iiij. sent. dist. xij. q. j. ar. j. quæstiuncula iij. ad tertium, & pluribus alijs in locis. A Capreolo, & quamdiffusissime iij. dist. ij. sent. q. j. Ab Herueo, quol. iij. q. ix. & à Reuerend. Caietano simul & D. Thom. de Ente, & essentia, cap. ij. A magistro Francisco Ferrarensi primo Contra Gent. cap. xxj. & postremo à magistro Chrisostomo, & alijs philosophis, v. Metaph. super tex. xij. Est itaque Scoti opinio, naturam specificam indiuiduari per entitatem quandam, positiuam, per se, illam contrahentem, incommunicabilemque simpliciter reddentem, quam entitatem positiuam, Hecheitatem vocat, quæ quidem Hecheitas non materia, non forma, neque ex his compositum, est, ac horum omnium modus, hæc ipsa modificans, qui modus, vltima est realitas prædictorum, non tamen ab eis realiter distincta, & vocatur à Scotistis, differentia indiuidualis, per quā vnumquodque indiuiduum, in esse incommunicabili, ac simpliciter indiuisibili, constituitur. Comparaturque indiuidualis hæc differentia, ad naturam specificam, sicut actus ad potentiam, quam reddit penitus incommunicabilem, ac indiuisibilem. Videturque sumi prædicta indiuidualis differentia, non ab ipsa materia signata, seu sub certis dimensionibus accepta, vt D. Thomæ, ac Thomistis placet, at ab ipsa forma, vel realitate formæ vltima, habente conceptum simpliciter simplicem, quæ est primo diuersa ab omni alia differentia. Et hinc fit vt cum hæc differentia indiuidualis, ab vltima realitate formę sumatur,

Quibus in locis hæc quæstio à doctoribus tractetur.

Scoti opinio.

Hecheitas secundum Scotum quid sit.

tur, sit indiuiduationis principium, non solum in rebus materialibus, verum etiam in immaterialibus, nempe intelligentijs.

Probat autem Scotus positionem hanc suam, ratione duplici, quarum prima hæc est. *Rõne duplici probat Scot. positionẽ suam.*

Id, ad quod primo sequitur vnitas numeralis, est principium indiuiduationis, patet hæc, quoniam vnitas proportionaliter ens sequitur; sed hecceitas est id, ad quod primo sequitur vnitas numeralis, quia non sequitur hæc vnitas, quidditatem specificam, nec aliquod accidens, cum quolibet accidente, prior sit, Igitur hecceitas est indiuiduationis principium.

Secunda vero ratione, sic probat. Quoniam indiuidua proprie inter se differunt, ergo differentijs primo, & per se diuersis; sed tales non sunt nisi hecceitates, cum non sint ipsorum naturæ, nec priuationes, vt patet, nec accidentia aliqua. Quod probatur. Quia si accidentia forent, potissimum esset ipsa quantitas, sed hæc esse nequit, quia quantitas ab alia quantitate, non seipsa, sed situ distinguitur, non situ quidem, qui est speciale prædicamentum, at situ qui est quantitatis differentia: tunc quæritur, quonam distinguantur tales situs, si aliquo alio, erit in infinitum abire, cum igitur, hoc impossibile sit, hecceitatibus ipsis distinguentur, quod erat probandum. Postremo hac ratione Antonius Trombeta prædictam firmat positionem. Illud quod se toto, primo constituit aliquod singulare in sua entitate singulari, & vnitatem hanc ipsam consequente, est indiuiduationis principium, at hecceitas est huiusmodi ergo. Minor probatur. Quia hecceitati primo, repugnat diuidi diuisione opposita illi vnitati. *Antonij Trõbetæ confirmatio.*

Ad hasce tres rationes facillime respondetur. Et ad primam quidem dicitur, falsam esse minorem, quoniam non ad hecceitatem ipsam primo sequitur vnitas numeralis, at ad materiam signatam, vti D. Thom. ponit, quoniam materia signata, essentiale *Ad rõnes Scoti & Antonij Trombetæ responsio.*

est principium talis hecheitatis, seu differentiæ indiuidualis, in rebus materialibus. Sicuti enim Anima intellectiua est essentiale principium differentiæ essentialis hominis, nempe rationalis, ita materia signata, est essentiale principium differentiæ indiuidualis, si hecheitatem ipsam, appellare licet. Hæc enim duo adinuicem sic comparantur, vt sicuti homo, in esse hominis, per rationale quod est essentialis differentia, constituitur, tanquam per totale, formaleque principium, & per animam intellectiuam, tanquam per partiale formaleque intrinsecum principium, à quo rationale causatur; ita indiuiduum, puta Sortes est hic homo per differentiam indiuidualem tanquam per principium totale ipsum denominans, & per materiam signatam, tanquam per principium intrinsecum, & essentiale, veluti priorem causam intrinsecam, à qua differentia ipsa indiuidualis, emanat. Et hæc est inter nos, & Scotum, diuersitas & controuersia, quoniam ipse ponit has differentias indiuiduales, absque essentiali ordine, seu dependentia ad materiam signatam, multiplicatas. Nos autem ponimus hasce differentias, seu proprietates indiuiduales multiplicari non nisi per multiplicationem materiarum signatarum, vti per causas priores, & intrinsecas.

Discrimē inter Scoti ac D. Thom. positionem.

Ad secundam vero dicitur, negando, quòd hecheitates sint differentiæ illæ, quibus indiuidua eiusdem speciei, primo differunt: at tales differentiæ reducuntur ad ipsam quantitatem, quoniam materia sub tali quantitate, est id quo primo ipsa indiuidua, adinuicem discriminantur, ita quod quantitas hæc, materiam hanc signans, erit id, à quo, sumitur ratio formalis distinctiua indiuiduorum, distinctione numerali, non transcendenti. Et cum instatur, quia quantitates differunt proprijs suis sitibus, admittitur, eumque infertur, sed sitas distinguuntur aliquo alio, & illud aliud, aliquo alio, & sic in infinitum, negatur

gatur assumptum, quoniam situs non distinguuntur nisi proprijs ordinibus partium in toto, qui quidem ordo est de ipsius ratione, ac quidditate, ordines vero seipsis distinguuntur,& non alio quopiam, quandoquidem in ordinis definitione necessario cadat ipsa distinctio, talisque ordo partium in toto, vt materiale quid ponitur in ipsa quantitate.

Situs de genere quantitatis, quo primo ab alio distingua tur situs.

Ad tertiam postremo Antonij Trombetæ rationem dicitur per interremptionem minoris. Materia quippe signata est id quo primo indiuiduum in entitate, & vnitate numerali constituitur, & paritet ab alijs eiusdem speciei seiungitur indiuiduis, & est cui primo, repugnat diuidi vt vniuersale in singularia ipsa, vti ex dictis constare potest,& infra fusius, pulchriusque declarabitur. Hæc quo ad primum articulum. Articulus secundus.

QVO ad secundum arguendum est aduersus hanc scoticã positionem vti erroneam,& Arist. contrariam, vt arguit. Reuerendissimus Caietanus, & optime quidem, quoniam inquit ipse, Actus singularis omnis, potentiam præexigit singularem, cum vnusquisque actus, in propria recipiatur potentia, vt testatur Aristoteles ij. de Anima, tex. comm. xxvj. & via generationis semper potentia, actum præcedat, cum eiusdem sit receptiua, prius quippe intellige re oportet receptibile esse, quàm sit ipsum receptum, & si non semper tempore prius, semper tamen natura: at hecceitas ipsa est actus singularis, ergo præexigit potentiam singularem; at talis potentia est natura, seu in natura indiuidui; igitur natura indiuidui erit singularis, ante hecceitatis aduentum, & ita hecceitas non erit primum indiuiduationis principiũ. Ambe propositiones assumptæ sunt Scoti, quæ & si suæ minime essent, eas ipsas inficiari nequiret, quandoquidem ex ipso Aristotele veritatem trahant, præcipue maior, vti prætactum fuit, & etiam elici potest, ex ij. Physicorum tex. commen. xxxviij. vbi causa-

Arguitur aduersus Scoti positionem rõ neduplicõ

rum comparationem tradit, & docet.

Argumentatur deinde. Quia quod conuenit vni indiuiduo, & repugnat alteri, eiusdem speciei, necessario præexigit illorum distinctionem: at hecceitas puta sorteitas, ipsi conuenit sorti, Platoniq́ue repugnat, igitur præexigit distinctionem sortis à Platone, & ob id non erit id quo primo sortes à Platone disiungitur. Discursus hic bonus, & conclusio secundum Scotum, est falsa, ergo altera præmissarum, falsa est, atqui non minor secundum ipsum, igitur maior, quæ est eiusdem Scoti, in quolib. q. ij.

Arguitur contra eũdem Scotum. pluribus Aristotelis auctoritatibus.

Amplius omnino conuincitur opinio hæc falsa esse, ex Aristotelis dictis. Nam vbique ipse docet pluralitatem numeralem ex materia oriri, & numeralem distinctionem, ex quantitate ipsa. hic enim idem Aristoteles xij. Metaphys. tex. comm. xxix. ait, quòd si primum cœlum id est primum principium, est vnum specie, & plura numero, necessario sequitur, idipsum, materiam habere. Idem confirmat Commentator super eodem, textu, quæ sanè Aristotelis & Commentatoris, consequentia nulla est, si ponatur hecceitas distinctionem causare numeralẽ, quoniam hecceitas ipsa nequit materia dici. Nec vera est Scoti interpretatio, interpretantis per materiã indiuidualem, hanc differentiam, seu proprietatem, quoniam hæc interpretatio, textus est destructiua, nam vt inquit ibidem Commentator, declaratum est quòd primum principium, non habet materiam, & clare liquet Aristotelem in tex. xxx. eiusdem xij. A primo principio, & etiam ab omnibus intelligentijs remouisse materiam, quæ est altera pars compositi, & nullatenus loqui de hac indiuiduali differentia, seu proprietate. Clarissimum quoque euadit inuentionem hanc hecceitatum puram esse fictionẽ, ex ipsomet Aristot. j. Cœli, tex. com. xcij. & xciij. vbi edocet vniratem, pluralitatemq́ue omnium indiuiduorum materialium, in eadem specie, ex materia

Male Scotus Arist. interpretatur.

Ponere hecceitatem indiuiduationis principiũ est pluribus Arist. auctoritatibus repugnare.

ria oriri; Quòdque hæc distinctio talium indiuiduorum clarè eliciatur ex iij. Metaph. tex. com. xij. patet, vbi inquit Aristot. quòd omnis multitudo, aut est rerum differentium secundum formam, aut secundum quantitatem; & j. Physicorum, tex. com. xv. ipsi quantitati diuisionem attribuit: rursus. v. Metaphys. tex. com. xij. ait, illa sunt vnum numero, quorum materia est vna, & septimo eiusdem Metaphys. tex. com. xxviij. ait. Sortes differt à Calia, per materiam, & tex. com. xxxv. inquit. Singulare ex vltima materia est. Nequit igitur hæc Scoti positio ad aures Arist. sustineri. Articulus tertius.

QVO ad tertium declaranda est. D. Th. opinio, quam & certo arbitramur esse Arist. opinionē, vt iam ex nunc dictis patere potest. D. autem Th. vt, ex locis supra citatis, & alijs complurib⁹, liquet ponit materiam, non qualitercunque sumptam, quoniam non vniuersalem speciei partem, at materiam signatam, indiuiduationis esse principium intrinsecum. Sic enim declarans hanc materiam signatam ait. ij. cap. de Ente, & essentia. Dico autem materiam signatam quę sub certis dimensionibus consideratur; hæc autem materia in diffinitione hominis non ponitur, sed poneretur in diffinitione Socratis, si Socrates diffinitionem haberet. Conueniunt autem Thomistæ omnes, in hoc, quòd ponunt materiam signatam indiuiduationis intrinsecum esse principium, at in eiusdem declaratione maxime discrepare videntur. Et Herueus quidem verè Doctor subtilissimus, vult quolib. iij. q. ix. art. iij. principium intrinsecum, intraneum, & essentiale distinctionis numeralis in vnoquoque indiuiduo materiali, esse hanc materiā, at non solum ipsam, verum etiam, & hanc formam, ex quibus essentia indiuidui constituitur, & propterea, inquit quòd vnumquodque indiuiduum, formaliter & intranee, distinguitur ab alio eiusdem speciei, per essentiam suam. Et rursus ait indiuidua

D. Thom. opinio vera.

Heruei positio.

Indiuidua eiusdem speciei ab inuicem distinguuntur per essentiã suã secũdum Heruæum per quantitatẽ vero vt per extrinsecum principium.

substantiæ, vnitatem habere, & distinctionem quantum ad id quod sunt, per essentiam suam, quoniam vnumquodque est ens per essentiam suam, & similiter vnum. Claret autem, quòd essentia indiuidui, non solum est hæc materia, verum & hæc forma, & propterea apud ipsum, vtrunque concurrit, ad præfatum intrinsecum indiuiduationis principium, quantitas vero concurrit secundum eundem vt principiũ extrinsecum, & dispositiuum solummodo substantiæ. Sic enim ait vbi supra pluralitas substantiæ, siue subiecti, est causa subiectiua pluralitatis quantitatis, quantitas autem est causa dispositiua pluralitatis in subiecto, quia quantitas plurificat dispositiue substantiam; Et rursum ait, quòd indiuidua habent entitatem, & pluralitatem extrinsecæ ab alio à se, à quantitate, scilicet dispositiue. Hæc est summa positionis Heruei in hac materia. Et licet ista positio videatur apparentiam aliqualem habere, non tamen est doctrinæ D. Thom. consona, quoniam non tangit primum indiuiduationis principium, nec etiam in se vera est. Quod pulcherrime declaratur. Nam habet D. Thom. super Boëtium de Trinitate in illa quæstione qua quærit, num varietas accidentium possit esse causa distinctionis secundum numerum, quòd nulla forma inquantum huiusmodi, est hæc seipsa vnde parum infra sic concludendo subdit. Vnde forma fit hæc, per hoc quòd recipitur in materia, sed cum materia ipsa secundum se considerata, sit indistincta, non potest esse, quòd formam in se receptam, indiuiduet, nisi secundum quod distinguibilis est, non enim forma indiuiduatur per hoc quòd recipitur in materia, nisi quatenus recipitur in hac vel in illa, distincta & determinata ad hic, & nunc; materia autem non est diuisibilis nisi per quantitatem. Vnde philosophus dicit, primo Physic. quòd semota quantitate substantia est indiuisibilis, & ideo efficitur hæc & signata, secundum quod est sub dimensionibus,

Reprobatur præfata Heruei positio.

bus,Hæc D.Th. Ex quibus clarissime patet formam ipsam esse hanc, quia recipitur in hac materia: materia autem est hæc, quia est sub dimensionibus ipsam signantibus, & determinantibus ad hic & nunc: & idcirco nec materia sola, nec materia sub forma possunt esse principium distinctionis numeralis in vnoquoque indiuiduo materiali,sed tale primum distinctiuum ad quantitatem reduci necesse est,quę secundum se,seu proprijs siribus,distinguitur ab alia quauis quantitate. Et quod dictum est confirmatur ex his quæ dicuntur in quæstione eadem, in responsione ad quartum vbi ait. Illa quæ differunt numero in genere substantiæ,non solum differunt accidentibus, sed materia, & forma. Sed si quæratur quare ista forma differt ab alia particulari, dicendum est, quòd nulla alia est ratio, nisi quia est in alia materia signata, nec inuenitur alia ratio quare hæc materia sit diuisa ab alia, nisi propter quantitatem, & ideo materia subiecta dimensioni, intelligitur esse intrinsecum principium huius diuersitatis. Et his quoque conuincitur Commentistarum opinio esse falsa, tenentium formam ipsam esse indiuiduationis principium, cui opinioni presertim assentit Ioannes Bachon,iij. sent. dist. xj. q.ij. ar.ij. Non enim ex eo q̃ forma dat esse, neque ex eo quòd forma est actus,& actus est qui distinguit & separat,vt habetur vij.Metaphys. tex.com.xlix. & alijs huiusmodi, forma dicitur esse distinctiuum primum numerale indiuiduorum, posset equidem dici primum distinctiuum, talium indiuiduorum,materialium in eadem specie, distinctione essentiali,& formali, ac transcendenti,seu consideratis ipsis solum præcise,vt primæ substantiæ sunt; at quòd forma det formaliter distinctionem numeralem,qua sortes & Plato,ac cætera indiuidua ab inuicem distinguuntur, & sunt, hic, & nunc, inficiamur,quandoquidem talis distinctio à sola quantitate, vt à prima radice oriatur. Non enim indiuiduum

Ex dictis & dicendis refellitur Ioan. Bachonis opinio.

duum aliquod materiale habet esse determinatum, & distinctum ab alio, & vt hic, & nunc, demonstrari possit, nisi ex quantitate quæ qualitatum sensibilium subiectum esse dicitur, & iccirco inquiebat D. Th. vbi supra, quòd per certas dimensiones monstratur indiuiduum esse hic, & nunc sicut per signum proprium indiuidui, & inseparabile. Posset igitur tueri quidem quòd materia, vtpote primum subiectum in genere substantiæ, est causa incommunicabilitatis indiuiduorum, in genere causæ materialis, & quòd forma, in ipsa particulari materia recepta, est eiusdē incommunicabilitatis, causa in genere causæ formalis, vel vtraque simul, vt inquit Herueus, verum & ambo, vel alterum istorum ex se sit causa distinctionis numeralis, qua vnumquodque indiuiduum ab alio distinguitur, & determinatur ad hic, & nunc, vt iam diximus, hoc est impossibile. Et propterea tenet Capreolus. j. sent. dist. vij q. ij. ad primum, & tertium Aureoli, contra secundam conclusionem. Et. ij. sen. dist. iij. ac Magister Franciscus Ferrarensis primo Contra Gentiles, complures que alij Thomistæ. v. Metaphys. vt iam prætactum fuit, quòd in indiuiduo quolibet materiali, duo sunt, alterum, incommunicabilitas, quæ opponitur communicabilitati, qua superius, siue vniuersale communicatur suis inferioribus, vel partibus subiectiuis, alterum, est distinctio numeralis, & quantitatiua, qua vnumquodque indiuiduum distinguitur ab alio eiusdem speciei, & ita aiunt, hæc duo necessario concurrere ad indiuiduationis principium, vt neutrum horum seorsum possit esse, completum, & totale, præfatæ indiuiduationis intrinsecum principium. Et incommunicabilitatem quidem habet indiuiduum à materia, distinctionem vero ab ipsa quantitate, & sic ambo integratur completum ac totale indiuiduationis principium, principale tamen quod ad huiusmodi indiuiduationem concurrit, est materia, secundarium vero

Capreoli opinio, et vera.

Indiuiduum materiale incõmunicabilitatẽ habet à materia, & distinctionẽ à quãtitate.

est

est quantitas ipsa, siue dimensio. Et hanc quidem positionem quamplurimis D. Thom. dictis ac auctoritatibus muniunt, quas in medium afferre operæpreciũ minime censui. Si quispiam tamen optaret eas omnes percurrere, posset apud Capreolum ipsum, eas ipsas inspicere.

Annotandum est tamen propter aduersariorum argumenta, quòd licet prima substantia præcedat omne accidens, & ob id, naturaliter omnem antecedat quantitatem, in esse substantiæ, & propterea non videatur trahere nec mendicare suam, à quantitate, indiuiduationem, nihilominus negandum est, quòd quo ad omnia, quæ concurrunt ad completam, & totalem indiuiduationem, ipsa prima substantia, omne accidens præcedat, quinimò quantum ad vltimum indiuiduationis complementum, quantitas ipsa, præcedit, quoniam substantia prima, nequit numeraliter & quantitatiue distingui, neque demonstrari, neque etiam determinari ad hic, & nunc, nisi per quantitatem ipsam. *Notandũ primum.*

Annotandum quoque est, quòd licet prima substantia sit sub quantitate, vt completam perfectamque indiuiduationem habet, non tamen est ens per accidens, quoniam hæc ipsa non dicit accidens in recto, at in obliquo, nec etiam in obliquo tanquã partem suæ essentiæ, sed quasi determinatiuum eiusdem essentiæ, nec etiam ex principali at secundario significato. Et admisso etiam quòd res diuersorum generum, ex suo significato principali importaret, non tamen ens per accidens existeret, quoniam quoties naturalis ordo inter aliqua duo reperitur, & inseparabilitas ac coexigitio vnius ad aliud, vt in entibus naturalibus conspicitur materiam qualitatibus sensibilibus affectam habentibus, tale ex illis duobus aggregatum, ens per accidens dici nequit. Id enim solum ens per accidẽs merito nominatur, quod duo includit nullum inter se ordinem habentia, vt albũ musicum. *Notandũ secundũ.*

muſicum. Nullum quippe hæc duò ordinem inter ſe, & per ſe habent, & ob id per accidens coniungi dicuntur. Materia vero ſub quantitate, & ſenſibili qualitate, cum ad hæc perfectatem aliquam habeat, ens per accidens dici nequit, aliter ſequeretur quòd omnia entia naturalia per accidens, entia forent, quod abſurdum eſt dicere.

Sciendum eſt amplius, quòd licet ſubſtantia prima, ſit prior natura quolibet ſuo accidente, & ea ipſa vtpote, compoſitum ſubſtantiale, prius, prioritate, non temporis, at naturæ, terminare poſſit actum generationis dum generatur, & vt ſic habere vnitatem tranſcendentem, ſingularitatemque, & indiuiduationem, qua in ſe eſt indiuiſa, & eſſentialiter diſtincta à qualibet alia eiuſdem ſpeciei, & reddita ſit incommunicabilis, antequam intelligatur quantitatem ipſam cum cæteris accidentibus habere, non tamen ob id dicitur diſtinctionem conſequi, qua numeraliter diſtinguitur à quolibet alio, eiuſdem ſpeciei indiuiduo. nec determinationem ac limitationem ad hic, & nunc, quoniam id non ab alio, quàm à quantitate ipſa ſortiri dignoſcitur. Et propterea licet tota coordinatio ſubſtantialis, quantitatem ipſam, ſecundum intelligentiam præcedat, & prima ſubſtantia non niſi per aliquid ſui generis, nempe per materiam indiuiduetur, incommunicabilisque reddatur, quę qui dem incommunicabilitas eſt principale concurrens ad ipſarum rerum materialium, indiuiduationem, indiuiduatur tamen per aliquid alterius generis per quantitatem, ſcilicet, quo ad ſecundum neceſſario concurrens, nempe numeralem diſtinctionem, qua ipſa ab omnibus alijs primis ſubſtantijs ſecernitur, & ſignatur, atque ad hic, & nunc, determinatur. Et ita fit vt aſſeramus nec materiam abſque quantitate, nec quantitatem abſque materia, completam, perfectam, totalemque indiuiduationem poſſe perficere, ac conſtituere.

Nec materia ſine quantitate, nec quantitate materia poteſt eſſe completum, et perfectũ indiuiduationis principiũ

Sciendum

Sciendum est postremo, quòd licet contractiuum speciei, quod materia est signata, seu materia sub quãtate non per se, at per accidens se habeat ad speciei naturam, per se tamen eam ipsam se habere ad rationem indiuidui, quatenus indiuiduum est, haud immerito dicimus.

Ex his diligenter sic annotatis astruimus Scoti argumenta, quibus probare conatur quantitatem non esse indiuiduationis principium, & similiter ea quibus ijdem Scotus ac Durandus destruere nituntur, materiam, haud esse eiusdem indiuiduationis principium, pulcherrime facillimeque posse dissolui. Ad hoc nanque tendunt omnia præfata argumẽta, quòd nec materia sola, nec quantitas sola, sunt prædictæ in diuiduationis initium, siue principium, quod sanè concedimus. Non enim hæc nostram impugnant positionem. Quare ipsa adducenda in medium non esse, merito censuimus. Hinc enim eo solidior euadit nostra positio, quò ex iactis fundamentis ambiguitates omnes aduersæque rationes perpulchre solu untur. Aureoli quoque ex his iacula reijciuntur.

Nunc vero & Reuerendissimi Cardinalis Caietani positionem in medium afferamus cap. ij. de Ente, & essentia. q. v. declaratam. Ait enim aduersus Capreolum, intrinsecum indiuiduationis principium, & quo ad incommunicabilitatem, & quo ad distinctionem vnius indiuidui ab alijs eiusdem speciei, materiam esse signatam, hancque esse D. Thom. doctrinam affirmat. Declarans autem quid nomine signatæ materię intelligendum sit, inquit. Materia signata, nil aliud est, quàm materia capax, ita huius quantitatis, quòd non alterius, talemque asserit Sorti, seu cuiuis singulari, intraneam, intrinsecam ue esse vt si quiret sortes definiri, ea ipsa in eius definitione poneretur. Capacitatem vero hanc fieri astruit, ex eo quòd particulare agens virtute humani seminis, continue materiam ipsam disponendo ad animã hanc,

Caietani opinio.

hanc, appropriat humanam, & in primo temporis instanti, quo Sortes primum sui esse acquirit, & primum non esse formæ præcedentis, ac accidentium abest, primo ordine naturæ fit particulare compositum, generationem ipsam terminans. Deinde naturali ordine accidentia ipsa sequuntur. In tali autem instanti priori secundum naturam, quo præfatum substantiale compositum & particulare, generationem terminat substantialem, materia quæ pars est Sortis intrinseca, ita est ab agente particulari, ipsi appropriata Sorti, vt nullius alterius quantitatis, quàm eius quæ est ipsius Sortis, capax sit, subditque materiam hanc signatam, nil aliud supra materiam ipsam addere, quàm capacitatem ita huius, quòd non illius quantitatis, quæ non aliud quidpiam personare asseuerat, quàm potentiam ita huius, quòd non illius quantitatis receptiuam, quam quidem potentiam nihil realiter distinctum in recto ab ipsa materia superaddere astruit, sicut nec materia appropriata aliquid realiter distinctum, supra materiam addit, licet reale aliquid exprimat quod materia secundum se minimè explicat. Concluditque materiam talem signatam materiam in recto dicere, quantitatem verò in obliquo, veluti potentia materiæ, ipsam materiam in recto significat, in obliquo verò actum quem respicit, perquemque diffinibilis est, hæc ipse vbi supra.

Caietanꝰ hoc in loco quo ad vnum se retractat nempe quo ad declarationem materiæ signatæ.

Verum prima q xxix. art. j. quo ad vnum in hac opinione positum se retractat, nempe quò ad declarationem ipsius materiæ signatæ, in qua astruxit per materiam signatam, se intelligere, potentiam receptiuam ita huius quantitatis, quòd non alterius. Inquit enim per materiam autem sub certis dimensionibus non intelligo vt olim exposui in commentarijs de Ente, & essentia materiam cum potentia ad quantitatem, quoniam potentia illa vt patet xij Metaphysicæ in tract. de principijs prædicamentorum,

est

est in genere quantitatis, & sic Sortes non esset vnũ per se. Declarans autem quid per talem materiam intelligat, subinculcando inquit. Sed intelligo materiam distinctam numero, non vt subiectum quantitatis, sed vt prius natura ipsius fundamentum, radix, & causa, ita quòd ipsa materia, est prius sic distincta, quàm quanta, vt sic effectus proportionetur causæ. Distinctio enim numeralis, qua Sortes distinguitur à Platone, inquantum sunt isti homines, non est distinctio quantitatiua, sed fundamentum quantitatiuæ distinctionis, & similiter principium distinctiuum huius hominis, ab illo, vt sic est radix, & fundamentum quantitatis, & consequenter distinctionis sequentis ipsam. Hoc autem est materia quæ est altera pars compositi, primo terminantis generationẽ substantialem, in rerum natura, in primo instanti naturæ ante adhæsionem accidentium.

Hæc præcise verba sunt eiusdem Reuerendissimi Caietani vbi supra. In quibus & etiam supra dictis de Ente, & essentia, nonnulla sunt quæ veritati consentanea minime esse videntur. Et primo quidem quo ad retractationem ipsam cunctis, Aristotelica, ac Thomistica doctrina, pollentibus, facile videbitur, seipsum falsò se retractasse. Nam cum ipse prima parte, inquit, quòd si materia signata, capacitatem, seu potentiam receptiuam ita huius quantitatis, quòd non alterius importaret, tunc Sortes non esset vnum per se, consequentiam inficiamur. Et cum ab ipso probatur, quoniam cum potentia, & actus, eiusdem omnino sint generis, quantitasque actus sit accidentalis, oportet & potentiam ipsam, talem quantitatem, vtpote eius actum respicientem, esse in quantitatis genere. Dicitur quòd prima parte male interpretatus est Arist. propositionem maximam, quoniam actum, & potentiam, esse in eodem genere, intelligendum est de potentia, & actu, per se primo, & mutuo sese respicientibus, & non per accidens

Quæ Caietani dicta à veritate dissonent, & in quibus male se retractauit.

dens seu secundarie modo cum potentia materiæ, secundum ipsum non sit ab ipsa realiter seiuncta, per se primo, non quantitatem hanc, at formam hãc substantialem respicit, ad quam sequitur ipsa quantitas, & sic quantitas hæc, secundario ab ipsa materiæ potentia, respicitur, propterea nimirum si non sit ipsa potentia, in quantitatis genere. Si nanque meminisset eius interpretationis, quam ipsemet prima parte q. lxxvij. art. j. huic propositioni pulcherrime dedit, profecto non ita affatus fuisset. Hoc quippe loco ait propositionem hanc intelligi debere de potentia essentialiter, non accidentaliter ad actum ordinata, quod certe dictu est, per se primo ordinata. Et hinc patet retractationem ipsam super propositione falso interpretata, fuisse fundatam, quare eam ipsam non fuisse faciendam. Aliud vero quod de Ente, & essentia ponere constat, est quòd materia signata capacitatem dicit ita huius quantitatis, quòd non alterius, quæ capacitas potentiam sonat receptiuam ita huius quantitatis, quòd non alterius, & quæ postremo nil addit supra materiam ab ipsa realiter distinctum, sicut nec materia appropriata aliquid addit supra materiam ab eadem realiter seiunctam, at solũ secundum rationem. Quod sanè dictum, non videtur veritate suffultum, quia materia ipsa quæ altera pars est compositi, nec capax, nec appropriata esse valet in illo instanti priori naturæ, nisi per aliquid approprietur, quod in materia recipiatur. Non enim intelligibile est materiam Sortis, huic animæ intellectiuæ esse appropriatam ab agente, nisi per aliquam formam, vel substantialem, vel accidentalem in ipsa existentem. Appropriare quippe aliquid alicui, nil aliud sonare videtur, quàm disponere, coarctare, & determinare id quod suapte natura indeterminatum erat. Cumque materia ipsa ex se indeterminata, & indifferens sit, ad recipiendũ quamcunque formam, si determinari coarctari, &

Reprobatur Caietani dictum.

appro

appropriari debet huic determinatæ formæ, & non alteri, necessum est id fieri, (vti diximus,) per aliquam formam, vel actum, siue substantialem, siue accidentalem in materia existentem, ipsam disponentem, & appropriantem. Nulla enim potentia passiua, vt est potentia materiæ, limitationem, determinationem, ac signationem recipit, nisi per actum aliquē in ipsa receptum, vt clare testatur D. Thom. prima parte q. vij. art. j. Munus siquidem ipsius actus, vel formæ, est limitare ac determinare. Si vero id veritati consonat, operæprecium est, materiam quam signatam appellamus (si formam indiuiduare debet, ex eius receptione) in se aliquem actum habere ab ipsa realiter distinctum. Et sic materia signata, non tantum materiam primam dicet cum exclusione cuiuslibet rei, ab ipsa realiter distincte, at materiam, aliqua cum forma, ipsam limitante, & contrahente. Quare falsum erit materiam signatam, haud aliquid reale supra materiam addere ab ipsa realiter distinctum. Qui enim fieri potest vt aliquid sit appropriatum alicui, absque aliquo sibi intrinseco, idipsum appropriante? Id sanè fieri nequit.

Circa illud quod prima parte asserit in declaratione materiæ signatæ, videlicet, quòd materia signata illa sit quæ est numero distincta, non vt subiectum quantitatis, sed vt prius natura ipsius fundamentum, radix, & causa, ita quòd ipsa materia in se sit prius distincta, quàm quanta, quamdiligentissime est annotandum, quoniam verba hæc duplicem sensum habere possunt, alterum quidem verum, alterum vero falsum. Verum inquam, si verba ipsa intelligantur de numerali distinctione transcendenti, quæ veritati, cum entitate conuertibili, opponitur, & de principio indiuiduationis radicali seu fundamentali, & de causa virtuali, quoniam vere asseri potest materiam ipsam esse radicem, & causam virtualem distinctionis numeralis ad hunc quidem sensum, quia cum

Caietani verba duplicē sensum habere possunt verum, et falsum.

ipsa materia, radix sit, fundamentum, & causa materialis, ipsius formæ, de ipsius potentia eductæ, & ipsius quantitatis, vnionem eiusdem formæ cum materia, sequentis, principium indiuiduationis intrinsecum, radicale, fundamentale, ac virtuale dici potest, cum ad materiã ipsam, forma substantialis, & ad hãc, quantitas, sequantur, vtpote, educte de ipsius materiæ potentia. Si enim forma vel quantitas distinguunt, hanc distinctionem à materia ipsa vti à radice tum ipsius formæ, tum quantitatis trahunt, & distinctio hæc indiuiduorum ad inuicem in eadem specie, virtualis duntaxat, & radicalis, non actualis, dici debet; Falsum vero sensum, habere noscuntur, si de distinctione reali ac in rerum natura existente sermo sit, de qua reuera debet esse quæstio. Non enim quærimus de distinctione secundum intellectum duntaxat, neque de distinctione virtuali sic communiter sumpta, at de distinctione actuali & reali, & in rerum natura existente, solum quæstio est. Quærimus enim quod sit indiuiduationis distinctiuũ principium, intrinsecum, vnius indiuidui realiter producti, à cæteris eiusdem speciei indiuiduis, realiter existentibus. Tale enim distinctiuum principium reale esse debet, ac in rerum natura actu existens; & de isto loquendo falsum est, materiam esse numero distinctam ante quantitatis aduentum, quia si indiuiduorum distinctio, & in actu & realis est, oportet, principia distinctiua actu esse & realia, cum effectus, causa, non sit potior. Nec dicendum est vt Magister Chrisostomus. v. Metaph. q. xv. asserit, inquiens, sufficere ad distinctionem actualem, seu ad effectum in actu positum; principium formale, & distinctiuum, & causam, esse solum in radice sua, & non actu in se, quoniam id Aristoteli repugnat. ij. Physic. tex. com. xxxviij. inquienti, effectus in actu, causas in actu, necessario exigere. Si enim distinctio numeralis, actualis est, & realis, & similiter materiæ signatio,

Quid verũ sit prius, & hac in re, quæsitum

tio,actu est,& principium talis distinctionis, & signationis, actu esse oportet. Nec oppositum intelligibile est, nempe, quòd sit numeralis distinctio actualis,& non sit actuale ac numerale distinctiuum, & quòd effectus in actu sit, absque actuali causa,etiã de formali causa loquendo, vel etiam tali ratione formali. Eadem quippe ratio est,quoniam si actualis & numeralis distinctio est,& in rerum natura existens, oportet & formam,seu rationem formalem, sine qua talis distinctio non est (vt ipse testatur) in actu esse; aliter poneretur effectus in natura, & non poneretur actu, sua causa, quod absonum maxime est. Et propterea vt effectus simul cum sua causa ponatur, necessum est dicere, materiam ipsam sub quantitate existere, ad hoc vt ipsa sit naturaliter distincta. Non attruo tamen quantitatem inesse actualiter ipsi materiæ absque substantiali forma quoniam id impossibile est; at assero quòd in quocunq; temporis instanti est quantitas in materia est etiam substantialis forma. Et licet secũdum doctrinam D. Thom. forma, materiæ nude, aduenias, & vt sic videatur compositum substantiale præcedere quantitatem, dum terminat generationem substantialem, nihilominus dicimus, quòd quia in eodem instanti temporis introducitur quantitas cum ipsa substantiali forma, iccirco nequit in rerum natura indiuiduum esse,ab alijs eiusdem speciei indiuiduis, numeraliter distinctum, sine actuali quantitate. Indiuiduum quippe est hoc, & signatum, quia est hæc forma,in hac materia recepta,ex cuius receptione,substantiale compositum constituitur,Est autem hęc materia,& non illa,seu alia,per solam quantitatem,cum quantitas & materierum diuersitatem,& indiuiduorum numeralẽ distinctionem causet, & efficiat, vt ad hic,& nunc,indiuiduum sit determinatum, vt supra, diximus. Hinc fit, vt nec etiam in illo priori instanti naturæ,possit intelligi indiuiduum,& quoad incom-

 municа

municabilitatem,& quo ad numeralem,seu situalem distinctionem ipsius,à quocunque alio,absque quantitate,quoniam hæc numeralis, & situalis distinctio, à sola peroritur quantitate,hinc fit vt ipsemet Reuerendissimus Caietanus, prima q.xl. art. ij. falso astruat,quantitatem non debere poni intrinsecum distinctiuum Sortis,à Platone; Et quoniam clare tum ex Aristotelis tum ex D.Thom. dictis, habetur hæc maxima, nempe quòd numeralis distinctio primo quantitati conuenit,& per ipsam omnibus alijs, iuxta regulam eiusdem Aristotelis. j. Poster. cap. v. ob id Reuerend. Caietanus prima parte vbi supra, post firmatam positionem suam, inquit, non propterea negare supradictam maximam, quoniam asserit se declarasse primo Posteriorum supradicto cap. posse prædicatum aliquid primo, & adæquate alicui subiecto conueniens, saluari, & inueniri, vbi eius subiectum,non formaliter,sed participatiue tantum reperitur, sicuti sunt perfectiones Deo & creaturis,communes, quoniam tales Deo formaliter conueniunt & per ipsius participationem formaliter insunt alijs,in quibus constat non formaliter, at participatiue tantum,diuinam reperiri naturam, hincque deducit quòd licet numeralis distinctio primo, & per se quantitati, & per ipsam cæteris conueniat, haud tamen necessarium esse vt vbicunque reperitur talis distinctio,illud quantitatem habeat formaliter,at sufficit quòd ipsa participet, vel quod magis est, ipsam quasi præhabeat,vti cernitur, materiam ipsam signatam,quantitatem quasi præhabere, & sic concludit talem distinctionem numeralem, formaliter reperiri, in quo solum quantitas præfato modo saluatur.

Reprobatur interpretatio Caietani, quam dat ad posterioristicã Aristotelis regulã

Verum mihi videtur,saluo semper saniori giudicio, deductionem hanc quam facit, non rectè fore collectam, quoniam perfectiones in Deo existentes,non ipsi conueniunt adæquate,id est conuertibiliter, nec eidem vt subiecto de multis formaliter prædicabili,

quem

quemadmodum intelligit ibidem Aristoteles vt ex eiusdem exemplis clarissime patet,& contradictionē implicat, vt diuina natura,formaliter in creaturis reperiatur, & propterea non nisi participatiue in ipsis inuenitur,secus est de ipsa quantitate distinctionem numeralem formaliter causante. Nam cum distinctio hæc numeralis per se primo conueniat quantitati, & per ipsam cæteris, possitque quantitas ipsa, in omnibus substantijs materialibus formaliter reperiri,ob id asserimus necessarium fore, vt vbicunque reperitur formaliter numeralis distinctio, & actualis, ibi quoque causa formalis,& actualis, illam realiter causans reperiatur, quæ quantitas ipsa est, vti supra optime deduximus. Potest secundo dici,quòd prædicta Aristotelis regula ex cap.v.primi Posteriorum desumpta,intelligenda est de prędicatis vniuocis,ita, vt dicatur, quòd quotiescunque prædicatum aliquod,alicui,adæquate, seu per se primo conuenit vt subiecto de multis prædicabili, nisi eidem, vniuoce conueniat,nequibit per ipsum,alijs sub subiecto contentis conuenire, & nisi ipsum primum subiectum vniuersale sit,& vniuocum, & proinde in illis formaliter reperiatur. Et sic intellecta vniuersaliter verificatur, non autem in analogicis prædicatis, in quibus præfata instantia adducta est. Et reuera hic est Aristotelis germanus sensus,vt patet cuilibet textum intuenti. Quem sanè sensum,& Linconiensis,præfato loco primi Posteriorum expresse amplectitur, & vti genuinum his verbis affirmat. Hæ igitur sunt tres causæ, quibus inciditur in errorem, & patet per diuisionem supradictam,quòd non possunt esse plures,quia si fuerit subiectum primum, alicuius passionis,vniuersale, penitus vniuocum,repertum in omnibus, in quibus possibile est per naturam suam reperiri, cuius differentiæ diuisiuæ sunt manifestæ quibus abundant inferiora eius, tunc non est causa occultans diuersitatem vniuersalis ad suum inferius,

Perpulchra Linconiensis interpretatio Aristotelis regule,date

nec ex causa propter quam debeat credi, quòd passio quæ conuenit vniuersali primo, conueniat suo inferiori primo. Non sufficit igitur si distinctio numeralis, & actualis primo conueniens quantitati, in aliquibus realiter, formaliter, & actualiter, inuenitur, quòd solum quantitas in talibus participatiue, seu vt in materia præhabetur, (suis vt vtar verbis) reperiatur, quoniam effectus in actu, & causam in actu expostulat, & oppositum asserere est Aristotelicæ veritati contrariari. Atqui circa conclusionis suę positæ probationem qua asserit illud esse intrinsecum indiuiduationis principium, cui primo, repugnat pluribus communicari per modum quo vniuersale, particulari communicatur, tale vero esse materiam signatam. Aduertendum est rationem hanc non sufficienter probare intentum, quoniam maior propositio assumpta, cum minore subsumpta, nihil aliud probant nisi quòd materia signata suo modo, declarata sit principium indiuiduationis intrinsecum, quoad incommunicabilitatem, non item quo ad distinctionem numeralem actualem, qua indiuiduum à quolibet alio numeraliter distinguitur, Maior igitur assumpta deficit, sicque formari debet. Illud cui primo repugnat pluribus communicari eo modo, quo vniuersale communicatur particulari; & quod est distinctiuum numeraliter vnius indiuidui, à cæteris, est indiuiduationis principium, & tunc minor subsumenda sub hac maiori, nempe, sed materia signata est cui primo repugnat pluribus communicari, vt vniuersale particulari, & est primum distinctiuum numeraliter, ac actualiter vnius indiuidui à ceteris, falsa est quo ad secundam partem, quoniam numeraliter distinctiuum, est quantitas ipsa, non vt in materia præhabita, at vt realiter & actualiter in indiuiduo existens, sicuti superius optime extitit declaratum.

Ratio Caietani ad uersus Capreolum.

Nunc supereſt in medium afferre rationem ipſius

Reueren

Reuerendiſſimi Cardinalis aduerſus Capreolum, ab ipſo De Ente, & eſſentia poſitam, quæ talis eſt. Idem eſt principium diſtinctiuum indiuidui à ſpecie, & ab altero eiuſdem ſpeciei indiuiduo, at materia non quanta, at ſic ſignata, eſt intrinſecum diſtinctiuum in diuidui à ſpecie, ergo materia ſignata, non quanta, eſt intrinſecum principium diſtinctiuum indiuidui, ab altero eiuſdem ſpeciei indiuiduo. Maiorem dicit nonniſi à proteruis poſſe negari, quoniam liquet, quòd quotienſcunque commune aliquod diuiditur in partes ſubiectiuas, ſicut cum diuiditur animal, in hominem, & leonem, per eandem differentia differt homo ab ipſo animali, & à Leone. Hinc fit vt Porphirius tres actus differentiæ attribuat, ſcilicet, ipſum ſuperius diuidere, & inferius conſtituere, & diſtinguere inferius à ſuo ſuperiori, cæteriſque comparibus. Maiorem vero, inquit, eſſe D. Th. in tractatu de indiuiduationis principio.

Huic rationi facile reſpondetur, negando maiorem pariter & minorem. Maiorem quidem, quia hæc ipſa veritatem non habet niſi de diſtinctiuo formali, quod eſt differentia, genus ipſum diuidente, non autem de diſtinctiuo materiali, quo indiuiduum ipſum à ſpecie diſtinguitur, & à cæteris indiuiduis. Nam per hanc materiam, indiuiduum à ſpecie diſtinguitur, per hanc vero quantitatem, ab alijs eiuſdem ſpeciei indiuiduis ſecernitur. Minorem quoque falſam eſſe, aſſerimus, quia materia ſub quantitate, ſeu etiam quanta, non autem materia ſignata eo modo quo ipſe declarat, eſt indiuiduationis principium, quoniam per materiam ſub quantitate, qua indiuiduum quodlibet eſt ad hic, & nunc, determinatum, diſtinctionem habet, & à ſpecie, & etiam à quolibet alio eiuſdem ſpeciei indiuiduo. Nam à materia per quantitatem, ſingularis, effecta, incommunicabilitatem habet, qua à ſpecie diſtinguitur, à quantitate vero numeralem diſtinctionem, vt ſupra fuſius

Ad Caietani prefatam rationem reſponſio.

est proditum. Nec opponium loco citato, nec alicubi asserit D. Thom. si eius dicta claro perspiciantur intellectu. Hæc sat sint de indiuiduationis rerum materialium, principio. Articulus quartus.

QVO ad quartum quid scilicet in substantijs separatis seu rebus immaterialibus sit indiuiduationis principium perueſtigandum est. Ad cuius claritudinem sciendum est, quòd quia secundum peripateticam doctrinam (vt Scoti hecheitatem omittamus) materia ipsa pluralitatis numeralis, principium extat, vti declarauimus, propterea cum substantiæ separatæ omnes, seu intelligentiæ, vt primam etiam includamus, materia ipsa omnino careant, Aristotele teste xij. Metaphys. tex. com. xxx. Impossibile est, eas ipsas per materiam indiuiduari ac pluri ficari. Vnde oportet aliud in ipsis indiuiduationis principium exquirere. Cum autem tales Intelligentiæ sint formæ simplices, nullatenus in materia recepte, vel receptibiles, oportet ipsas ex seipsis indiuiduari. Sunt quippe substantiales formæ, ac per se subsistentes, & ob id ex se indiuiduationem recipiũt, vt plerisque in locis pulcherrime declarat D. Th.

A quo intelligẽtiæ, ẽdiuiduationẽ trahant & sumant.

Nam in quæstione de spiritualibus creaturis, art. viij. ad quartum sic ait, quòd sicut forma quæ est in subiecto, vel materia, indiuiduatur per hoc, quod est esse in hoc, nempe subiecto, siue signata materia, ita forma separata, indiuiduatur per hoc quod non est nata esse in aliquo. Sicut enim esse in hoc (subdit) excludit communitatem vniuersalis, quod prædicatur de multis, ita non posse esse in aliquo; Sicuti ergo huic albedini non prohibetur habere sub se multa indiuidua, ex hoc quod est albedo, quo ad rationem speciei spectat, sed ex hoc quòd est in hoc, scilicet subiecto, quod pertinet ad rationem indiuidui; ita naturæ huius Angeli, non prohibetur, esse in multis, ex eo quòd est natura in tali rerum ordine, quod ad naturam speciei attinet, at ex hoc quòd nõ

est

est natura in aliquo recipi subiecto, quod ad rationem spectat indiuidui. Hoc idem confirmatur ab ipsomet D. Thom. de Ente, & essentia, cap. quinto auctoritate Auicennæ v. Metaphys. cap. quinto inquientis. Quidditas substantiæ simplicis, est ipsummet simplex, quia non est aliquod recipiens ipsum. Et prima. q. iij. art. iij. ait. quòd in his, quæ non sunt composita ex materia, & forma, in quibus indiuiduatio non est per materiam indiuidualem, scilicet per hanc materiam, ipse forme, per se indiuiduãtur. Tertia quoque parte q. ij. art. ij. & . ij. Contra Gentiles, cap. xcviij. idem asserit, dum ponit substantias separatas, esse per se subsistentes formas, ex quo etiam deducit vbi supra . ij. Contra Gentiles, quòd intelligentiæ non sunt plures, in vna eademque specie. Amplius dist. iij. ij. sent. q. j. art. ij. ait, quòd natura in Angelo in se, vel ex se, determinata est ex hoc quod in aliquo, sicut forma determinabilis, recipi non potest, ex hoc ipsoque satis incommunicabilis est, non per determinationem recipientis, sicut & diuinum esse est proprium & determinatum, non per additionem alicuius contrahentis, sed per negationem omnis adhibiti. Vnde dicitur in lib. de Causis, quòd indiuiduatio sua est bonitas pura. Idem astruit in responsione ad primum inquiens, formam non receptibilem in materia, non indigere materia determinante, sed in sua natura determinatam esse. Clariuscule autem id comprobatur eiusdem D. Thom. auctoritate, in tractatu de natura materiæ, vbi dicitur. Primum autem subiectum est quod in alio recipi non potest, & ideo substantiæ separatæ, eo ipso, quòd in alio recipi non possunt habent rationem primi subiecti, & ideo seipsis indiuiduantur, & cum in eis nihil sit nisi forma, erit in eis forma secundum rationem formæ. Cumque in eis idem sit suppositum, & forma, ex quo seipsis indiuiduãtur, inquantũ habent rationem primi subiecti, ad multiplicationẽ

suppositorum multiplicatur in eis forma, secundum rationem formæ, scilicet, secundum se & non per aliud, quia non recipiuntur in alio. Et quia talis multiplicatio, speciei est, hinc pulchre sequitur vt in eis tot sint species, quot sunt indiuidua. Verum ad huiusce rei claritudinem, annotandum est, quòd licet ita sit, vt præfatum est, nihilominus, quia intelligentie ipse, quas per se ipsas indiuiduari posuimus, nequeunt à nobis intelligi, nisi modo rerum compositarum, quod quidem ex intellectus nostri imbecillitate contingit, iccirco intellectus noster eas ipsas intelligit per modum abstracti, & concreti, & per modum vniuersalis, & particularis. Dum enim apprehendit earum naturam, veluti essentiam quandam absolute, ex modo significandi, solum principia essentialia dicentem, & eo precisæ modo, quo materiales essentias, per abstractionem à singularibus, seu principijs indiuiduantibus, intelligit, quæ quidem natura sic abstracta vniuersalis est, ob id talem naturã, essentiam, & quidditatem immaterialem, sic abstracte intellectam, concipit intellectus, vt vniuersalem, quoniam tali naturæ immateriali, vt sic abstracte, & solum esse obiectiuum, in intellectu habenti, non repugnat in pluribus esse, nec vniuersalitatis intentionem recipere, tametsi eidem in rerum naturæ existenti sibi repugnet. Dum quoque speculatur ipsam naturam cum hoc esse existentiæ, ac cæteris quibusque accidentibus naturæ superadditis, non quidem ipsam indiuiduantibus, (cum ex se indiuidua sit) apprehendit præfatam naturam per modum particularis, ac si accidentia ipsa naturam indiuiduarent, cum tamen non indiuiduent. Nec tamen ob id, vlla interuenit falsitas, quoniam abstraentium non est mendatium, vt inquit Arist. ij. Physic. tex. com. xviij. & iste intelligendi modus, non ex parte rei, at solum ex parte intellectus est, Nec necesse est, eundem esse modum intelligendi, ex parte intellectus, & modum

Notandũ

Qũe in intelligentijs reperiũtur abstractum & cõcretum vniuersale, & singulare.

essendi

essendi ex parte rei, cum cōtet intellectum nostrum materialia immaterialiter, compositaque diuersim intelligere. Hæc quo ad Intelligentiarum indiuiduationem.

Articulus quintus.

QVO ad quintum quonam modo accidentia ipsa, indiuiduentur, breuibus est aperiendum. Nam ex D. Thom. doctrina, prima. q. xxix. art. j. dicitur, quòd accidentia cum à subiecto, siue substantia in esse dependeant, illique inhæreant, nec valeant naturaliter per se subsistere, quandoquidem hoc substantiæ sit proprium, propterea per substantiam indiuiduātur. Nam non alia ratione, hęc albedo est hęc, nisi quia est in hoc subiecto, hr dist. ix. j. sent. q. j. art. ij. ponens differimen inter multiplicationem substantiarum, particularium, & accidentium, inquit, quòd species substantiarum multiplicantur per indiuidua, penes diuisionem materiæ, sed accidens multiplicatur secundum diuisionem subiecti in quo est. Vnde exemplificans subiit. Hæc albedo est alia ab illa, inquantum hæc est, huius, & illa, illius subiecti. Hoc idem confirmat, iiij. sen. dist. ii. j. q. j. art. iij. q. ij. vbi sic ait. Accidens numeratur & distinguitur penes materiam, & distinctionem subiecti. Atquispiā fortasse obijciet, hoc vniuersalicer minime verum esse, quoniam quantitas accidens est, & tamen per seipsam indiuiduatur, quandoquidem indiuiduetur per proprios situs, ordinem partium in toto dicentes. Nam imaginatur Mathematicus duas lineas esse distinctas, tametsi à subiecto sint separatæ. Respondetur quòd quantitas ipsa bifariam potest considerari, vno quidem modo, secundum suum esse reale, & Physicum, alio modo secūdum esse Mathematicum, quod est eam ipsam speculari secundum abstractionem à materia, vel subiecto, non quidem secundum esse, at secundū rationem. Et primo quidem modo dicimus quantitatem ipsam vt realiter in rerum natura existentem, distingui ac multiplicari, seu numerari,

Obiectio.

Respōsio.

ri, sicut & alia accidentia, penes subiectorum distinctionem, ac multiplicationem. Est enim hæc quantitas ab illa realiter seiuncta, quia hæc, in isto, & illa, in illo est subiecto, siue substantia, licet alia accidentia sensibilia, & materialia, sint in subiecto, mediante ipsa quantitate, quæ tamen non subiectum quod, at solum quo, est talium accidentium. Et vere etiam dicitur quòd due quantitates realiter in rerum natura existentes, ex seipsis indiuiduantur, quia proprijs sitibus ordinem partium in toto dicentibus, qui quidem ordo oppositionem necessario includit, ad quam sequitur ipsa distinctio. Si vero secundo modo, considerentur, sic possunt intelligi, ex seipsis secundum rationem distincte, absque alicuius subiecti implicatione, verum hoc est solum, secundum distinctionem mathematicam, quæ à materia abstrahit, non quidem secundum esse, at suum secundum rationem. Et hæc breuiter de articulo quinto.

Quæstio de distinctione suppositi à Natura, in omnibus rebus Creatis, & etiam in Deo.

VARRITVR, num suppositum, à Natura, realiter distinguatur. Et quoniam suppositum, Naturaque nedũ in Creaturis, verumetiam in Deo, pulcherrime reperiuntur, Creaturarum vero aliquæ materiales, nonnullæ immateriales sunt, propterea quadruplex quæsitum, hac in re, discutietur. Et primum quidem, num in materialibus Creaturis, secundum vero num in immaterialibus, vt sunt intelligentiæ, suppositum & Natura, realiter distinguã tur, tertium num in eisdem Creaturis, tum materialibus, tum immaterialibus, suppositum, seu hipostasis, & Natura singularis, puta hic homo, & hæc humanitas, hic Angelus, & sua singularis Natura, re, intrinsecæque differant, quartum postremo nunquid in Deo Optimo Maximo, suppositum, ab ipsa Natura, ratione solum secernatur. Verum quia ab aliquibus etiam quæstio hæc mouetur hisce sub terminis. Nunquid quodquid est sit idem, vel distinguatur, ab eo, cuius est, quæ sanè non eadem est penitus quæstio cum supradicta, tametsi cum ipsa aliqualiter conuenire videatur, ob id, & hæc quoque tractabitur.

Tititula declaratio.

Ad primæ igitur quęstionis, elucidationem, prius declarandi sunt termini in quæstione positi, ne ex eorum ignorantia, in diuersos dilabamur errores. Suppositum nanque & si nomen sit secundę intentionis, sicuti & indiuiduum, haud tamen hoc in loco, secundam significat intentionem, at primam illi subiectam.

ctam. Est enim suppositum res naturæ, quod & hipostasis, alio nomine vocitatur. Potestque sub hisce duobus nominibus, in rebus materialibus, & intelligentijs ac etiam in Deo reperiri. Valet quoque in rebus intellectualibus sub nomine personæ explicari. Deturque propriè suppositum, prima siue individua substantia, naturæ completæ, cui repugnat de pluribus prædicari; Natura vero pro essentia, siue composita, siue simplici substantiali, completa, atque perfecta, sumitur, siue talis essentia communis sit, communitate prædicationis, siue particularis, seu singularis, cui suapte natura, (præter essentiam diuinam) repugnat de pluribus prædicari; Hincque fit vt quæstio hæc sic intellecta vniuersalior sit, ea, qua quæritur, num quodquid est, distinguatur realiter ab eo, cuius est, quoniam quodquid est propriè sumptū est id quod per diffinitionem significatur, quod ex proprio constat genere propriaque differentia, ex vij Metaphysices, quodque genus, quæue differentia, cum in natura diuina minime reperiantur, nec quodquid est tale, de quo Philosophi loquuntur, in Deo reperietur, in quo tamen suppositum ac Natura pulcherrimè inueniuntur. Et confirmatur, quia singularis Natura, siue essentia, vt est humana hæc Natura, nequit verè quodquid est appellari respectu suppositi. Huic accedit, quòd ipsum suppositum, cuius est quodquid est, quandoque specificum, quandoque singulare est, vt Homo, & hic homo, respectu animalis rationalis. Nos vero hac in quæstione solum loquimur de suppositio singulari, singulariter considerato. De suppositio autem specifico in sequenti quæstione loquemur. His sic præliba-tis ac annotatis, quadruplici præfato quæsito, quadruplici conclusione respondetur quarum prima hæc est.

Quid sup positum quidq; na tura sit.

Prima cō clusio. In substantijs omnibus materia affectis, siue ex materia & forma compositis, Natura ac suppositum

in

intrinsecè,& extrinsecè,realiter distinguuntur,& ratione pariter.

Secunda vero est, In intelligentijs seu substantijs separatis omnibus citra Deum secundum philosophos, & semota fide suppositum,& nã,nõ intrinsecè, at extrinsecè solum realiter distinguũtur,& ratione. *Secunda conclusio*

Tertia est. In eisdem substantijs separatis seu intelligentijs, & rebus ex materia formaque compositis, (supposita Filij Dei incarnatione) ad aures D. Thomæ, ponere cogimur,suppositum, hipostasim, siue personam, & naturam singularem, eisdem conuenientem, intrinsecè, realiterque distingui. *Tertia cõclusio.*

Quarta demum est. In Deo Optimo Maximo firmiter tenendum est suppositum, ac naturam, nec intrinsecè, nec extrinsecè, realiter distingui, at sola ratione, nempe ex sola intellectus consideratione, seu ex solo considerandi modo. *Quarta conclusio.*

Quo ad primæ conclusionis, claritudinem, ac trium sequentium,illud imprimis est quàm diligentissime annotandum, videlicet,aliqua duo realiter distingui, bifariam posse intelligi, & primo quidem,vt ea ipsa realiter seiungantur veluti duæ res ab inuicem disparatę,quarum vna,nihil penitus sit alterius, vt Socrates, & Plato, & albedo ac dulcedo, secundo vt ita res vna ab alia secernatur, quòd aliam quidem totam contineat, verum eidem aliquid reale,superaddat. Et hoc secundo modo intelligimus suppositum ac naturam realiter distingui, in tribus primis conclusionibus; In quarta vero nequaquam. Hoc sic enucleato, ad primam accedimus conclusionem manifestandam. Et huiusce quidem veritatis pulcherrimum firmissimumque fundamentum tangitur à D.Thoma,presertim.j.q.iij art.iij. & iij.q.ij.art.ij. ac de ente,& essentia cap.v. & postremo .j. sent. dist. xxiij. q.j. art.j. Et à Capreolo dist.iiij. primi sententiarum,quæst.ij. Conclusione secunda. Natura,& suppositum, secundum rem tantum sumpta, *Aliquare aliter distingui, bifariam contingit*

seu

seu secundum proprias rerum rationes, tum per naturam, tum per suppositum significatas, quod est, ipsa Metaphysicæ speculari, prout à modis significandi abstrahunt, nempe à modis, concreti & abstracti (quod logici est negotij) sic optimè discriminantur intrinsecè quoniam natura ex materia, ac forma cõstituta, atque confecta, ea, duntaxat comprehendit, quæ ad definitionem attinent, veluti dicimus, hominis naturam, siue essentiam, esse id, quod per animal rationale, seu per materiam, & animam intellectiuã absolutè sumptam, vllo absque contrahente, ac limitante, significatur. Suppositum vero naturam ipsam siue essentiam complectitur, at huic addit naturæ, aliquid reale ipsi supposito, intrinsecum, nempe principia indiuiduantia, quæ mehercle accidentia sunt. Nam vti in quæstione de indiuiduationis principio, dictum est, materia non vniuersaliter, at singulariter concepta, quæ & materia signata, seu sub certis dimensionibus, considerata, dicitur, indiuiduationis ex tat principium, vt clarissimè tradit D. Thomas de ente & essentia cap. ij. Hæc autem materia, (vt ibidem subdit) neutiquam in diffinitione hominis quatenus homo, at in Socratis diffinitione poneretur, si eam ipsam haberet. In hominis autem diffinitione, equidem materia ponitur, at non signata, vt caro, & os, & neruus, atqui in descriptione Socratis hæc caro, hoc os, & hic neruus ponitur. Cumque quantitas ipsa, siue dimensio, designatiua materiæ, sit ipsi intrinseca suppositio, quatenus vnum suppositum, ab alio distinguitur, & vt habent esse hic, & nunc, hinc fit, optimeque deducitur, quod suppositum, & natura, realiter, intrinsecèque distinguantur modo superius explanato. Nec huic limpidissimæ obstat veritati id quod affert Gerardus de Carmelo, nempe quòd si indiuiduum de genere substantiæ, seu Socrates includeret accidentia, tunc species ipsa, puta homo, non prædicaretur de Socrate ipso, in primo modo dicẽdi per

Gerardi de Carmelo obiectio.

per se, quod falsissimum extat ex.j. Posteriorum. Probaturque (inquit ipse) consequentia, quonlam substantia, vt homo, non prædicatur per se de accidente, quod per se in Socrate, intrinsecè, includitur. Huic inquam veritati, hæc ratio minime obstat, quo niam consequentia, nulla est, & si fortasse eam ipsam non intelligenti, videatur apparentiam habere. Et cum ipsam probat, quia substantia non prædicatus per se de accidente, dicimus, vtique verum esse, substantiam præcise vt substantiam, secluso quocunque accidente actuali, & potentiali, seu explicitè & implicitè, de accidente non per se prædicari, at falsum omnino asserimus, substantiam continentem implicitè & potentialiter ipsa accidentia, sicuti homo ipse, includit, non posse per se de Socrate, accidentia continente, prædicari. Propterea inquiebat D. Thomas quolibeto. ix. q.ij. art. j. ad primum ponens discrimen inter humanitatem, & hominem, quòd humanitas significatur per modum partis, quia præcisè significat principia essentialia speciei, per quæ, hoc indiuiduum, in tali specie collocatur at homo significatur per modum totius, quia homo dicitur habens humanitatem, vel subsistens in humanitate, sine præcisione quorumcunque aliorum superuenientium essentialibus principijs speciei, quia per hoc quod dico, habens humanitatem, non præscinditur, quin habeat colorem, & quantitatem ac alia huiusmodi. Clare enim ex his verbis patet, ipsam speciem, prout de indiuiduo, seu supposito prædicatur, totum illud significare, (indistinctè tamen) quod essentialiter in indiuiduo continetur. Non officiunt quoque huic candidissimæ veritati, argumenta Aureoli dist. iiij. primi sent. quæst. ij. art. ij. & adducta à Capreolo eadem dist. j. q. ij. aduersus secundam conclusionem, quoniam omnia fundantur super definitione, & definito, vel super supposito, & natura, consideratis per modum abstracti, & concreti, quæ nullatenus ad pro

Præfata soluitur obiectio.

positum sunt, nec enucleatam veritatem impugnãt, quoniam nos loquimur (vti iam diximus) de supposito & natura, secundum rem tantum, seu vt significantur secundum proprias rationes formales ipsius suppositi, & naturæ, vt abstrahunt à modis significandi per modum abstracti, & concreti; Nihilominus Capreolus vbi supra, omnibus respondet, quæ argumenta suis cum responsionibus, in medium adducere, hoc in loco, superuacaneum duxi. Tantum vnicum argumentum quod est quintum, in ordine adducam, quo Aureolus probare videtur quòd definitum puta homo, nullum accidens, nec explicitè, nec implicitè includat, quod sanè contra id quod superius determinatum est, esset. Sic enim arguit. Definitio, nec explicitè, nec implicitè aliquod continet accidens, ergo nec definitum, probatur consequẽtia, quia definitio, & definitum idem sunt, veluti animal rationale, & homo. Ad hoc facillimè respondetur, per interemptionem consequentiæ, & cum probat quia definitio, & definitum idemptificantur, quare si definitio non continet, nec definitum, Dicitur quod licet definitio, & definitum, idem significent, & realiter idemptificentur, loquendo de essentia li definitione, non tamen idem omnino sunt, quoniam conceptibiliter differunt. Nam definitio, conceptum significat distinctum, definitum vero confusum, & rursum definitum, implicitè ipsa accidentia quæ in vnoquoque suo singulari continentur, significat, quæ tamen definitio nec explicitè, nec implicitè exprimit. Significat enim definitum concretiuè sumptum, definitionem sine alicuius extranei, non oppositi, præcisione quod est significare implicitè & in potentia. Annotandum quoque est, quòd suppositum in rebus materialibus vltra accidentia supra naturam communem addita, habet quòd ex se subsistat, & quòd nulli alteri sit vnibile per modum partis. Hanc iupradictam conclusionem, esse, de mente

Quintum Aureoli argumẽtum à Capreolo dist. 4. 1. sent. q. 2. art. 2. adducta.

Ad argumentum responsio.

Arist.

Arist. vij. Metaphys. tex. com. xij. pater, vbi inquit. Quæcunque vero vt materia, aut concepta cum materia non idem. Neque secundum accidens vnum, vt Socrates, & musicum. Hoc idem affirmat. iij. de Anima tex. com. ix. & Commentator eodem in loco. Rursus Commentator. viij. Metaph. com. xvj. itidem asserit. Quòd vero suppositum, à natura, in ipsismet rebus materialibus realiter, ac extrinsecè distinguantur, facillimè probari potest. Quia suppositum, aliquid reale, & extrinsecum includit, quod non includit ipsa natura, esse scilicet actualis existentiæ. Nam cum natura essentiam nominet, essentia autem realiter distinguatur ab esse existentiæ, vt pluribus probat rationibus. D. Thom. ij. Contra Gent. cap. xxxij. & alijs in locis, nec ipsum suapte natura primo & per se, includat, cum tale esse, materiæ, vel formæ, minime actus sit, sed actus sit ipsius suppositi, cui primo & per se generari, seu fieri competit ex. viij. Metaphys. tex. comm. xxvij. sitque ipsum esse, quid extrinsecum à supposito, vtpote non de eius ratione, vt optimè sentit. D. Thom. quolib. ij. art. iiij. ad secundum, ob id, non ab re dicitur, suppositum ipsum, à natura, realiter seiungi per aliquod extrinsecum; Id autem quod asserit Reuerendiss. Caietanus de ente & essentia cap. v. videlicet, quòd tale esse in definitione eiusdem suppositi caderet si diffiniretur, iudicio meo intelligendum est vt additum, seu vt cõnotatum, vel vt vltima actualitas, seu proprius actus ipsius suppositi, vt quod est, non tamen est pars eius essentialis, at extra essentiam. Quod autem ratione distinguantur, clarissimum euadit. Si enim re, intrinsecè, & extrinsecè, secernuntur, cur non & ratione, quæ minima est distinctio? Clarescit iam igitur præfata conclusio quoad omnes suas partes. Nunc ad secundæ declarationem properemus.

Per quid in rebus materialibus suppositum, & natura extrinsecè distinguantur.

Quo ad secundam conclusionem in qua dicebatur quòd in intelligentijs secundum peripateticos,

& semota fide, suppositum & natura, solum extrinsecè & non intrinsecè realiter distinguuntur, & ratione, hoc ex fundamento pulcherrime declaratur. Quia sicuti in causis præcisis & adæquatis, affirmatio, est causa affirmationis, ita negatio, negationis est causa, ex. j. Poster. cap. xiij. Nam quia habere pulmonem, in animalibus, causa est, vt ipsa respirent, non habere etiam pulmonem, causa est, vt ipsa minimè respirent, modo cum habere materiam signatam, siue dimensionibus subiectam, seu habere formam hanc, in hac materia determinata, & principijs indiuiduantibus affecta, sit causa præcisa ac adæquata, & in rebus materię affectis, suppositum, & natura, realiter intrinsecéque distinguatur, non habere etiam huiusmodi materiam, vel non habere formas in materia, principijs indiuiduantibus, affecta, erit in causa quòd talia entia, in quibus suppositum, & natura reperiuntur, intrinsecè ac realiter minime seiungantur. Cumque Intelligentiæ omnes creatæ sint formæ abstractæ, penitus immateriales, & simplices, nullum habentes receptiuum, nec aliquid, naturam specificam, contrahens positiuum, quod vicem gerat intrinsecè differentiæ indiuidualis, ob id nil reale suppositi intrinsecum includent, ipsarum intelligentiarum, supposita, quod non contineat, earundem natura; Indiuiduantur quippe tales intelligentiæ, vtpote formæ simplices ab omni secrete materia, quicquid blacteret Aureolus, per seipsas, eoque fit vt non intrinsecè, vti iam diximus, at extrinsecè solum, nempe per esse existentiæ, in supposito inclusum, ab essentiaque exclusum suppositum & natura, in ipsis realiter seiungantur. Et determinationem hanc ex supra citatis. D. Thomæ locis verissimæ habemus. Quòd autem inter hæc prædicta sit rationis discrimen, nemo est qui ambigat, quandoquidem id luce clarius constet.

Quo ad tertiam suprapositam conclusionem quoniam,

niam;ea,alijs difficilior inspicitur, ob maximum in ter Thomistas inter se, ac alios dissidium, propterea paulò diutius, in hac ipsa,est immorandum,Huiusce vero conclusionis claritas,ex hoc pendet, nempe an quippiam positiuum, & reale, suppositum ipsum, Hipostasis,siue persona, supra naturam singularem, addat. Dixi autem suppositum Hipostasim,siue personam,quoniam & si persona,solum in intellectuali reperiatur natura, tamen de hominibus solum ac Angelis in sequentibus locuturi; in quibus hæc tria æquipollere cernimus, de eisdem indistinctè loquemur, modo vno istorum, modo alio vtentes, prout sermo requiret; Vt autem veritas hæc, quamfacillimè cunctis illucescere possit, hoc ordine procedemus. Nam primo ponemus in quo Capreolus ac Reuerendissimus Caietanus conueniunt,secundo in quo ab inuicem discriminantur,tertio examinabitur quænam istarum opinionum, magis sit. D. Th. consentanea, quarto adducemus fundamenta tum Scoti,tum Aureoli, quibus probare contendunt suppositum ipsum, siue personam, nullam entitatem positiuam addere supra indiuiduam naturam, Conueniunt igitur in hoc præfati Thomistæ, quòd suppositum sit primum subiectum actus essendi, seu esse existentiæ,natura autem hęc,minime,secundo quòd suppositum, subiectum sit filiationis realis, natura vero nequaquam,adeo quòd si natura hæc, sine suo poneretur suppositò nequiret subiectum actus essendi, vel subiectum filiationis esse, & duorum quidem horum dictorum, alterum expressissimè habetur tertia parte.q.xvij. art.ij.ad primũ vbi habet,quod esse, consequitur naturam, non sicut habentem esse, sed sicut qua aliquid est, personam autem sicut habentẽ esse,alterũ vero ponitur tertia parte.q.xxxv.art.v.ad primum vbi sic legitur. Natiuitas temporalis causaret quidem in Christo temporalem filiationem realem, si esset ibi subiectum huiusmodi filiationis ca-

Dicendorum ordo proponitur.

In quo Capreolus,ac Caietanꝰ conueniãt.

pax. Et intra inquit. Natura autem humana nullo modo potest, esse subiectum filiationis, quia hæc relatio, directè respicit personam. Hoc idem asserit in corpore articuli inquiens, quòd subiectum filiationis non est natura, aut pars naturæ, sed solum persona, vel hipostasis; Discriminantur vero præfati doctores, & Thomistæ in hoc, quoniam Capreolus sicut patet distinctione. v. quæst. tertia. iij. sententiarum, in responsionibus argumentorum Scoti, & Aureoli, aduersus secundam conclusionem sustinere videtur, presertim ad primum Scoti, quòd suppositum Hipostasis, siue persona, naturæ quidem huic singulari, positiuum quippiam addit, at non intrinsecum, sed solum extrinsecum; Sic enim ibi ait. Illud additum naturæ indiuiduæ, seu indiuiduatæ, non est aliquid intrinsecum naturæ tanquam principium formale, vel materiale, constitutiuum naturæ, & pars eius, neque est accidens absolutum, vel relatiuum per se consequens naturam, neque accidens absolutum, vel relatiuum accidentaliter naturę contingens, at est actus naturæ, non per modum formæ substantialis, aut accidentalis, sed per modum quo esse actualis existentiæ dicitur actus essentiæ vt quo, & suppositi vt quod existit, & hoc modo, esse non est pars suppositi; nec ingreditur eius essentiam, sed se habet per modum connotati, importaturque in obliquo, vt quasi dicatur suppositum esse idem quod indiuiduũ habens per se esse, Et hãc positionem suam duobus. D. Thomæ dictis, fulcire contendit, altero quidem dist. v. iij. sent. q. j. art. iij. vbi sic ait. Per se subsistens est de ratione personæ, &. vj. dist. eiusdem. q. ij. art. ij. ponit quòd res subsistens habet per se esse, non autem res non per se subsistens, ita quod esse vel existere, quod est actus entis, non debetur nisi rei subsistenti, Reuerendissimus autem Caietanus. iij. q. iiij. art. ij. &. xvij. q. art. ij. tenet illud quod addit, suppositum siue hipostasis, siue persona, supra hanc naturam

In quo p̃fati doctores, discriminentur.

Capreolus positionẽ suam, D. Th. auctoritatibus confirmat

Caietani positio & vera.

hominis

hominis singularem, esse aliquid positiuum, intrinsecum, de genere substantiæ, constitutiuum eiusdem personæ humanæ. Estque tale constitutiuum vltimus terminus, vltimumque naturæ singularis complementum, personalitatis nomine significatum, eo modo quo punctus est vltimus terminus, vltimumq. complementum lineæ finitæ. Et est prius, prioritate naturæ, intelligere naturam personatam, seu terminatam & compleram, quàm susceptiuam vel esse existentiæ, vel filiationis realis. Quod vt clariusculè etiam exprimatur, dicitur, personalitatem ipsam, realitatem quandam esse intrinsecam ipsius personæ, in esse personali, formaliter constitutiuam, qua primo & per se, recipit actum essendi, seu existendi, quem immediatè à natura hæc singularis, pura hæc humanitas, susципere nequit, quenque si susципiat, non nisi media personalitate susципere potest. Persona quippe est verum & proprium subiectum ac receptiuum, quod, esse existentiæ, vel filiationis realis, hæc vero humanitas, est id, quo, persona ipsa, est prædictorum susceptiua. Et hoc modo intelligenda, interpretandaque essent præfata. D. Thomæ dicta à Capreolo adducta quæ tamen formaliter, citatis in locis, minimè habentur. Diceretur equidem ad mentem Reuerendissimi & admitteretur, quod, esse per se subsistens, tanquam id, cui primo & per se competit esse subiectum, & receptiuum actus essendi, est de ratione personæ, quoniam persona est id quod habet esse, cum hoc tamen astrueretur, personam ipsam, reale quippiam intrinsecum, modo superius declarato, includere, quod non exprimit singularis ipsa natura. Eapropter humanitas hæc, in Christo, persona, dici nequit, quanquam singularis existat quoniam vltimo caret complemento, vltimoque termino, ad personæ constitutionem exacto, eo quòd à verbo diuino, illam ipsam assummente, sit præpedita. Hanc quoque suam opinionem ponit. ij. quæst. ij. artic.

Ad dicta D Tho. à Capreo citata, responsio.

artic.ij. in responsione ad primum dubium. Quę autem horum duorum opinio doctorum, verior sit, ac. D. Thomæ doctrinæ magis conformis, nunc eluci dandum discutiendumque est, ex qua sanè discussione clarescet ipsa conclusio, quæ adhuc extat ambigua.

Quo itaque ad opinionem Capreoli, dicendum omnino videtur, quod si pedem fixerimus in his quę nobis naturali solum lumine, innotescunt, & quæ sola ex naturali philosophia edisceré possumus, quæque etiam ex. D. Thoma, vt naturaliter seu peripateticè solum loquente, semota fide, ac filij Dei fructuosissima incarnatione, non aliter dicere possumus, (de Intelligentijs loquendo) quàm id quod astruit, & docet, ipse Capreolus, quoniam opinio hæc sua, & Aristoteli &. D. Thomæ. vij. Metaphysicæ tex. com. xlj. & iij. de Anima tex. com. ix. & prima. j. quæst. iij. art. iij. conformis est, vbi expresse dicitur in substantijs separatis, suppositum ac naturam realiter intrinsecęque idemptificari, extrinsecè vero realiter distingui, vti prætactum est, Quam etiam positionem pulcherrime sustinet & ipse Reuerendiss. Caietanus vbi supra. j. q. iij. art. iij. & de ente & essentia, cap. v. secus est de materialibus loquendo quoniam omnino falsa censetur hæc opinio; Addit enim suppositum supra naturam singularem, aliquid positiuum reale & intrinsecum, quo ab ipsa realiter intrinsecęque distinguitur, quod ex dicendis clarissimum euadit; Si autem lumini naturali, fidei lumen, adiunxerimus, quo ea quæ nobis naturaliter latent, diuinitus patefiunt, & quæ iamdudum philosophis incognita extitere, isto lumine clarescunt, astruendū est, ad aures. D. Thomæ, & Reuerendissimi Caietani, & in rebus materialibus, & in Intelligentij suppositum, ac naturam singularem non solum extrinsecè, vti docuit Capreolus, verum intrinsecè, realiterque distingui, & inde fieri, vt positiuum aliquod addat

suppo

suppositum supra singularem naturam. Id autem dilucidare pro viribus enitemur. Quæstio enim difficillissima hęc est (vt est auctor Reuerendissimus ipse Caietanus tertia parte.q.iiij.art.ij.) Et licet iam ex dictis patere possit, in materialibus rebus suppositum ipsum, hipostasim, siue personam, ab ipsa singulari natura intrinsecè differre, nihilominus amplius dilucidabitur. Dicimus itaque personam in creatura rationali, repertam, per personalitatem intrinsecè constitui, quæ quidem personalitas, realitas quædam est in genere substantiæ, non quidem directè locatam, at reductiuè, nec propriè loquendo, differentiam esse, at vltimum naturæ substantialis, & singularis terminum, ad cuius positionem, sequuntur capacitates nempe ad actum existendi, ad esse quod est, & quod esse habet & cetera id genus, quæ personæ attribuuntur. Dicimus & personalitatem terminum naturæ vltimum, quoniam naturam singulare personari, nihil aliud est, quàm ipsam terminari, & personare naturam, est terminare, propterea dicimus in Christo, naturam ipsam, per verbum personari, quoniam per ipsius verbi Diuini, personam, terminatur. E contra quoque idem verbum, personare naturam, quoniam eam ipsam terminat. Nec vnquam natura vltimate est terminata (quanquàm singularis existat) quoad, eadem, personetur, quod in Christi humanitate liquet. Nam Christi humanitas singularis, erat, vtpote ex hac anima, & hac materia, constituta, & per personam terminabilis, quæ sanè per eiusdem Verbi Diuini personam, terminata est, & proinde non amplius terminabilis, nisi forte extensiuè, nõ quidem ex sui parte, at ex omnipotentia alterius personæ potentis etiam seipsam illius terminum efficere, sicut dicimus, de persona patris, ac Spiritus sancti, quæ ambæ, vnà, cum persona filij, potuerunt eandẽ numero naturam, assumere, cum id contradictionẽ minime implicet, vt egregiè edocet D. Thomas. iij. parte.

Quæstio difficillima est q̃ hic tracta tur.

parte.q iij. art. vj. licet Scotus huic repugnet veritati, distinctione prima. iij. sent. q. ij. Dicimus postremo, quòd personalitas, & si sit naturam terminans, nullam tamen causalitatem intrinsecam, vel extrinsecam dicit, respectu naturæ terminatæ, veluti nec punctus lineam terminans, dicitur esse linæ causa. Quod autem hæc dicta, sint. D. Thomæ doctrinæ cõformia, patet ex distinct. v. iij. sent. q iij. art. iij. vbi habetur quòd id quod assumitur, trahitur ad aliquid completius, ipsum incompletum existens, & hoc est contra rationem personæ, quæ maximam completionem importat. Hinc profecto clarissimum euadit, naturam singularem, sine personalitate, incompletam esse, personamque ipsam maximam dicere cõpletionem, vtpote, naturam vltimate terminantem, quæ sic terminata, haud amplius terminabilis est, nisi extensiuè, vti dictum est.

Nunc superest videre quonam modo in Intelligentijs suppositum ipsum, & natura ipsa, intrinsecè distinguantur supposita tamen Filij Dei ineffabili in carnatione; Id enim impossibile videtur. Verum si subtiliter. D. Thomæ doctrinam perscrutati fuerimus, intuebimur, id ipsum esse dicendum in Intelligentijs ipsis, quod & in rebus materialibus assertum est; Habet en m. D Thomas, vbi supra. iij q. iij. art. j. ad tertium quòd licet Angelus, qui à Principio suæ creationis est in sua personalitate, perfectus, non posset in vnitatem diuinæ personæ assumi, nisi eius personalitas destrueretur, nec deceat bonitatem assummentis, aliquid perfectionis in creatura corrumpere (vt quidam dixere & pulchrè quidem) poterat tamen Deus, nouam angelicam producendo naturam, eam sibi in vnitatem personæ copulare, in qua sanè copularione nil penitus corruptum fuisset; Hinc clare habetur personalitatem angelicam, perfectionem quandam positiuam supra naturam singularem dicere, aliter astrui minimè posset, ex personæ

Declarat mod' quo suppositii. & natura in intelligentijs in trinsece distinguantur.

angelicæ

angelicæ corruptione aliquid perfectionis corrumpi; Quod etiam colligitur ex responsione ad quartum vbi dicitur quòd perfectio vniuersi non est perfectio vnius personæ vel suppositi. Cum igitur natura hæc angelica à Dei Verbo assumptibilis fuerit, non autem persona, clarum euadit, personam Angeli, perfectionem quandam realem, & intrinsecam dicere, quam non dicit ipsa natura, & ita suppositum personale, siue persona ipsa, in Angelis, ab ipsa singulari natura, realiter intrinsecaque distinguetur, quod ad probandum fuit assumptum. Nec his sanè rectè responderi potest dicendo, personam, supra naturam in Angelo singularem, perfectionem quidem, & realitatem quandam positiuam dicere, at extrinsecam, nempe ipsum esse existentiæ, quoniam cum de assumptibili vel inassumptibili intrinseco, semper sit sermo, esse vero extrinsecum sit naturæ & personæ, propterea cum negamus personam Angeli, esse assumptibilem, intelligimus eam ipsam, quoad intrinseca sibi, & non quo extrinseca, inassumptibilem esse. Repugnat nempe ipsi personalitati, vt pote enti, intrinsecè perfecto, & subsistenti assumptibilitas, quoniam id quod perfectum est, nequit alterius esse pars, quia tunc imperfectum astrueretur, & sic perfectum, simul & imperfectum, affirmaretur, quod contradictionem implicat, Et hinc patet falsitas positionis Scoti, dist. prima. iij. sent. q. j. asserentis, personam nihil positiuum supra naturam singularem addere, at solum negatiuum; Nam si persona solum negatiuum adderet, iam ad corruptionem personæ, non ens aliquod, at nihil prorsus corrumperetur ad mentem ipsius Scoti, quod falsissimum est ad aures. D. Thomæ, & secundum veritatem, vti iam probatum est. Et rursus sequitur ex Scoti positione, quòd dicendo, Dei Verbum, non personam assumpsit, est dictu, nihil assumpsit, quod absonum admodum est; Verum aduersus veritatem hanc adducenda

Impugnatio responsionis falsæ.

Reprobatio positionis Scoticæ

cenda sunt, tum Scoti, tum Aureoli, argumenta & diluenda.

Scoti argumenta aduersus præfatam cõclusionẽ

Scotus enim.iij. sent. dist.j. q.j. sic argumentatur. Quia si persona, aliquam entitatem positiuam addit supra naturam singularem, vti assertum est, sequitur, in humana natura, aliquam entitatem positiuam à Verbo Dei inassumptibilem esse, quod neutiquam dicendum est, tum quia iuxta Damasceni sententiam. Quod est inassumptibile, est incurabile, tum quia entitas quælibet positiua creaturę, æque est in potentia obedientiali, respectu diuinæ personæ.

Rursus sequitur humanitatem à Verbo assumptam, carere illa entitate positiua, quæ tamen vltima ponitur, veluti actualissima, ac determinatissima in tali natura sicque non esset homo vniuoce.

Amplius sequitur, quòd natura hæc, dimitti nequiret, vel esse personata, quia talis realitas haud qua quam naturæ realitas est, nec potest per idemptitatem in aliqua natura contineri quæ non est eadem sibi.

Postremo sequitur naturam intellectualem posse actu fieri existentem, & in nulla persona, quia natura, quæ assummitur prior est se ipsa, vt est sub realitate personalitatis, quæ nec realiter, nec formaliter eadem est ipsi naturæ, & tunc si non assumeretur, at sibi ipsi relinqueretur, neque personalitate creata, neque increata, personata foret.

Scoti argumentis fecrioſe respondetur

His Scoti argumentis prius fiet satis, antequam Aureoli argumenta adducantur, Et ad primum quidem dicitur nullum esse incommodum, vt aliqua entitas siue realitas, inassumptibilis sit, Ad cuius rei claritudinem, annotandum est, quòd quemadmodum substantia ipsa, tum de hipostasi, tum de natura dicitur, ita entitas, siue realitas, verè de realitate, tum hipostastica, siue personali, tum naturæ contra hipostasim distinctæ, pariter dicitur. Cumque in Christo duplex sit natura, diuina, scilicet & humana, non autem

tem duplex persona, vt faisò commentatus est Nestorius, quoniam sola in ipso est verbi persona, seu hipostasis, ob id Damasceni ac ipsius Ecclesiæ sententiam sectando, dicimus quòd quidquid erat assumpti bile, ad naturam humanam spectans, prout distinguitur contra personam humanam, à Dei Verbo, assumptum est. Quia autem entitas personæ humanæ, prout à natura ipsa seiungitur, haudquaquam assumptibilis erat, propterea non est assumpta, & ita in Christo entitas talis minime reperitur. Repugnat enim personalitati, & contradictoriæ, assumi. Tunc cum Scotus arguit. Quod est inassumptibile est incurabile, dicitur propositionem hanc Damasceni, sic esse intelligendam, vt illud quod est inassumpti bile ad naturam tamen spectans, est incurabile. Et quòd hæc interpretatio Damasceno consonet, ex eius dictis, pulcherrimè probatur, dum astruit personalia non esse assumpta. Obiectio igitur Scoti ex malo ipsius propositionis intellectu, prouenit.

Et cum secundo asserebat omnem entitatem creaturæ positiuam esse æquè in potentia obedientiali, respectu Diuinæ personæ, dicitur id falsissimum esse, sicuti ex iam dictis facillime patere potest. Nam cũ personalitati assummi repugnet, non autem naturæ, iccirco natura quidem vt in potentia obedientiali existens, assumpta est, persona nequaquam, aliter in Christo poni possent duæ personæ, siue hipostases, quod hæreticum est asseuerare.

Concedimus deinde Scoto humanitatem à Christo assumptam, carere entitate positiua personalitatis creatæ, falsum est tamen, talem entitatem actualissimam esse, quandoquidem ipsa constitutiua sit subiecti actus essendi, nec determinata nedum determinatissima dici queat, cum terminus naturæ vltimus, & intrinsecus extet, & vltimum illius complementum, & terminus, terminari nequeat. Nec ob id sequitur, Christum non esse hominem vniuocè, quoniam

niam vniuocatio penes humanæ naturæ rationem, non penes personalitatem attenditur. Humanæ enim naturæ ratio, in Christo cæterisque hominibus omnino eadem est, tametsi personalitas sit diuersa; Etsi assumpta ab ipso Christo humanitas, sibi ipsi relinqueretur, aduenire sanè noua realitas, nempe realitas personalitatis, at non per actionem nouam, quoniam sola tunc separatio, sublato impedimento, personæ, scilicet diuinæ impedientis, ne assumpta natura, propria personalitate gauderet, complementum illius perfectionis nempe personalitatis afferret, vti sublato impedimento, sursum graue retinente, deorsum protinus moueretur.

Ad id quod tertio loco à Scoto afferebatur, negatur consecutio, nec sua admittitur probatio, quia admisso sicuti verum est, quòd realitas personalitatis, non sit naturæ realitas, nec in illa per idemptitatem contineatur, non hinc sequitur quòd realitas talis, non posset haberi à natura à Verbo separata, quia separatio ipsa, est reductiua, de potentia ad actum, eorum quæ coniunctio impediebat continebatur autem talis realitas in natura quasi in potentia, dum ex se natura ipsa terminabilis erat tali realitate, vt proprio termino, non autem vt proprio actu.

Ad postremum negatur consequentia, de naturali potentia loquendo, quoniam si humana natura, non assumeretur, personalitate propria personaretur. Et ad probationem dicitur quòd & si humana natura quæ assumitur, sit prior se ipsa, vt sub personalitatis realitate existit, quæ naturæ, nec realiter, nec formaliter, idemptificatur, non propterea sequitur ex eo quòd prior, possit naturaliter esse vel fieri sine posteriori, quia posterius necessario prius concommitatur, & ob id, si natura, à Verbo assumpta, ab ipso separaretur sibi ipsiq. dimitteretur, personalitate creata personaretur, vt etiam prætactū est. Cessaret nanque tunc vnio, quæ propriam impediebat personalitatē.

Atqui

Atqui multipliciter occurrit Aureolus, distin. v. q. iij. tum Damascenj auctoritate arguens, tum inconuenientibus pluribus quæ ad positionem hanc sequi videntur, Auctoritate quidem, quia inquit Damascenus Dei Verbum assumpsisse quidquid in natura plantauit, at quoniam vidit quàm facillime responderi posse, & rectè quidem, & ad ipsius Damascenj intentionem, inquiendo, verissimum esse, Dei Verbum assumpsisse id totum, quod in natura ipsa plantauit, vt contra personalitatem distinguitur, non autem realitatem personalitatis, quæ intrinsecus est naturæ terminus, mox obstat inquiens, terminus humanitatis est aliquid humanitatis, igitur assummendo humanitatem, & eiusdem terminum assumpsit. *Aureoli argumēta præfata cō clusionem impugnātia.*

Dicitur verum quidem esse, terminum humanitatis, aliquid ipsius esse, si sumamus humanitatem totaliter completam & perfectam, quoniam est terminus ipsius naturæ singularis constituens eam ipsam in tali complemento, vt valeat esse proprium subiectum esse existentiæ, sine quo nunquam tale esse in ea susciperetur, & realitatem quandam is terminus addit substantialem, intrinsecè constituiuam formaliter personæ in esse personali; Cumque dictus terminus inassumptibilis sit, sicuti & persona, ea propter negāda est consequentia. *Ad singula respondetur.*

Et cum secundo obijcit quia terminatio & personalitas est aliqua realitas, igitur ens, igitur quidditas, igitur natura aliqua, & propterea assumptibilis.

Dicitur quòd talis realitas, est quidem ens, quia entis rationem minimè euadit, a qui sub ipso continetur, verum quia non est id proprie, quod est, at personalitatis constituiua, ea propter non licet inferre, igitur est quidditas, & natura, & multo minus, igitur est assumptibilis, quia assummi sibi repugnat, vti declaratum est. *Inconueniētia, à Aureolo adducta contra eādem conclusionem*

Inconuenientia vero quę sequuntur septem sunt. Et primum quidem est quia sequeretur quòd cum

Dei

Dei Verbum, non solum sit naturæ assumptæ terminus, verum subsistens, nequiret supplere vicem termini illius.

Secundum, quòd Verbum non esset homo, quia terminatio illa si poneretur, non esset homo.

Tertium, quòd Angelus à Verbo assumptibilis, non esset, cum in eo quodquid est, non seiungatur ab eo cuius est.

Quartum, quòd substantia prima, rationem primæ substantiæ per essentiam minime haberet, ac solum per talem realitatem.

Quintum, quòd nulla res per se subsisteret, at solum per aliud à se distinctum, nempe per talem realitatem.

Sextum est, quòd natura haberet magis suppositi rationem, quandoquidem natura ipsa, realitati subsistet personalitatis.

Postremum est, quia suppositum quarta esset substantia ex tribus composita, ex materia, scilicet, & forma, ac realitate illa, quæ cum omnia absona sint ex illiusque positione realitatis sequantur, neutiquā ponenda est.

Ad singula inconuenientia ab Aureolo adducta, facilis, responsio.

Verum quod ad huius realitatis positionem nullū penitus sequatur inconueniens, ex clarissimis responsionibus, facile commostrabitur. Et ad primum dicitur falsum assumi, nempe, quòd quia, Verbum, est terminus subsistens, propterea nequeat vicem supplere termini illius, quinimò oppositum sequitur, nempe quòd quia Verbum, est terminatio subsistens, potest vicem supplere terminationis creatæ, quæ suum terminatum minime est, vtpote excellentiori modo præhabens quicquid in talibus creatis terminationibus reperitur.

Ad secundum dicitur non oportere terminationē illam esse hominem, at necessum solummodo fore, vt constitutum per illam, homo sit, & propterea neganda est consequentia. Nam constat constitutum

per

per terminationem Verbi Diuini,humanam naturã terminantis hominem esse.

Ad tertium dicitur, quòd quamquam in Angelis, non seiungatur natura,ab hac natura indiuidua, distinguitur tamen natura, ab ipsa persona de qua sanè distinctione vel indistinctione,nil meminit Arist. vij. Metaphys. quoniam solum tractat de distinctione quidditatis ab eo cuius est, secundum principia naturæ & indiuiduationis. Et nisi diuinum Incarnationis misterium, prælara inuitasset ingenia, ad perscrutationem huiuscæ distinctionis personæ à natura indiuidua & singulari, nequaquam à Theologis id discussum fuisset. In huius signum. D. Thomas. prima parte. quæst. iij. ac cæteris in locis, vt purus Philosophus de distinctione suppositi, à natura, tractat,& nil penitus meminit de distinctione ipsius personæ,ab indiuidua,& singulari natura.

Ad quartum dicitur quòd prima substantia, prima est per essentiam completam, non autem per essentiam,vt proprio termino caret, quia proprius terminus,intrinsecè essentiam terminans,& complens, modo superius declarato, substantiam primam, in ratione primæ constituit.

Ad quintum dicitur falsum esse, quòd nulla res per se subsisteret,quinimò subsistentia, propriè conuenit essentiæ rei per talem realitatem terminatæ, qua deficiente,non verè res ipsa subsisteret. Oportet enim rem subsistentem, proprio termino, & intrinseco terminari, qui & si realiter à rei natura, distinguatur, est tamen aliquid ipsius rei subsistentis siue terminati,sicut punctum,aliquid est lineæ,ab ipso terminate.

Ad sextum respondetur falsum esse quòd natura, magis suppositi rationem haberet, nec eius probatio aliquid habet apparentiæ, quoniam non est de ratione terminati, vt suo termino subsistet,at vt per ipsum terminetur, & ideo natura, per personalitatem

terminat, veluti p̃ punctũ linea, p̃ lineam q̃ superficies.

Ad postremum dicitur falsum prorsus assumi, nempe quòd quarta esset substantia, ex tribus partibus constituta, quoniam propriè loquendo terminus cum terminato, nullam efficit compositionem. Verum tamen est præter substantiam singularem, & individuam ex hac materia, & hac forma, compositam, reperiri substantiam hipostaticam, siue personã, quæ realitatem dictam habet, vt terminum essentiæ singulari, additam, non tamen partium numerum augentem, quandoquidem pars nequeat appellitari sicut nec lineæ, punctus, est pars. Ex his itaque liquet prædicta, præfatæ conclusioni, nihil obsistere.

Quò ad quartam conclusionem quoniam admodum facilis est, pauca dicenda occurrunt. Claret enim in Deo ipso, nullam prorsus esse compositionem, nec materiæ cum forma, nec esse, cum essentia, nec actus cum potentia, nec substantiæ cum accidenti, q̃m actus purissimus, simplicissimus, ac infinitissimus est, & p̃pea quicqd in ipso est, ipsemet Deus est. Est. n. Deus suus intellectus, sua voluntas, suum intelligere, & suum velle, summa atque infinita perfectio, cuius essentia ꝓm Theologos Patri ac Filio & Spiritui sancto pulcherrimè idemptificatur, & hæ tres personæ, siue hipostases, nil penitus realiter continent, qđ non sit essentia. Et licet ꝓm Theologos, Pater & Filius, ac Spiritus sanctus, tres sint relationes subsistentes, haud tamen in accidentium genere continentur, sed relationes sunt transcendentes, ipsi essentiæ, idemptificatæ, Aduertendum tamen est quòd licet ipsi diuinæ substantiæ idemptificentur, inter se tamẽ realiter distinguuntur, ob oppositionem relatiuam in ipsis repertam, quæ nullam penitus imperfectionem secum affert. Licet igitur in ipso Deo nulla penitus sit realis distinctio inter, naturam ac prædicta suppositа, est tamen distinctio rationis, ex parte intellectus nostri ratiocinantis, diuersimodeque naturam

turam diuinam, ac suppolita, speculantis, ac concipientis, ad cuius diuersitatem concipiendi, sequitur diuersus significandi modus, nempe abstracti, & concreti; Deitas quippe abstractum quoddam est, Deus vero concretum, & hic significandi modus, in diuinis adeo potens est, vt ex abstractis propositio confecta nominibus, hæretica dicatur, vt hæc Deitas, generat Deitatem, ex concretis aũt constituta, prorsus Catholica, vt dicendo, Deus, generat Deũ, & id clare colligitur. De sum. Trin. & fide Cath. C Dãnamus. & ex symbolo Niceno inquiente. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verũ de Deo vero, Et qm̃ concluſio, nullam implicat difficultatem, propterea eam ipsam relinquimus, vt ad quæstionem aliam quam in principio tractare polliciti sumus, accedamus.

Quæstio. An quodquid est, sit idem realiter cum eo cuius est.

VAERITVR. An quodqdest, sit idẽ realiter cũ eo cuius est, an diuersum.

In quæstione hac, sic procedemus. Nam primo declarabuntur termini in quæstione positi, Deinde tres ponemus conclusiones veritatis decisiuas, deinde opponetur, & oppositis fiet satis.

Quo ad primum, sciendum est, quòd nomine ipsius quodquidest, non intelligimus id, quod nomine abstracto cuiusque rei substantialis significatur, quoniam nullum abstractum, de eo cuius abstractum est, in recto prædicari valet, quodquidest autem pulcherrimè in recto prædicatur. Non enim verè dicimus, quòd Homo, sit humanitas, at solum asserimus, humanitatem, principium esse formale, quo, homo in esse humano, constituitur, Atqui per ipsum quodquidest, intelligimus omne id quod vera definitione significatur, quoniam tale sic significatum, optime in recto de eo cuius est, prædicatur, & hoc modo asseue

ramus, animal rationale, esse verum quodquideſt, ipſius hominis; Hinc inquiebat Commentator. vij. Metaphyſice Commento. ij. quòd quodquideſt, eſt illud quòd ſignificat ſermo, qui dicit eſſentiam rei, quæ eſt definitio. Tale autem quodquideſt, ex prædicatis per ſe in primo modo, nempe ex genere & differentia, conſtitutum eſt, & illud eſt, ad cuius interrogationem factam per quid, optime idipſum proferimus, vt cum quiſpiam percunctatur, quid eſt Homo? vere reſpondetur quòd eſt animal rationale. Et hoc expreſſe docuit. D. Thomas. vij. Metaphyſicæ tex. co. xxj. Nomine autem cuius eſt, non ſingulare intelligimus, quandoquidem non ſit diffinibilæ, nec eius ſit quodquideſt, vt expreſſe teſtatur Ariſt. vij. Metaphyſicę tex. co. xiiij. inquiens. Nulli ergo ſpecierum quæ non ſunt ſub genere, quidditas ſeu quodquideſt competit, ſed hiſce ſolum; Super quo textu, ait. D. Thomas, quòd quodquideſt, non erit alicui, quod non ſit, de numero ſpecierum alicuius generis, ſed hiſce ſolum, nempe ſpeciebus, quandoquidem ſola ſpecies definiatur, quæ definitio ex proprio conſtat genere propriaque differentia. Hoc idem ipſemet Ariſtoteles ſub alijs verbis aſſerit, eodem lib. tex. co. xxxix. in quiens. Ratio vero ſiue quidditas ſeu quodquideſt, ipſius vniuerſalis eſt. At cum generis eſſe nequeat vti iam dictum eſt, ipſius ſpeciei duntaxat erit. His ſic enucleatis, dicitur quòd quæſiti germanus ſenſus erit. Num quodquideſt ſeu quod per diffinitionem ſignificatur, ſit realiter idem cum eo cuius eſt, nempe cum ipſa ſpecie diffinibili ſiue ſub alijs verbis. Num definitio, & definitum, ſint realiter idem.

Quæſiti verus ſenſus.

Quo ad ſecundum ponitur hæc prima concluſio affirmatiua.

In omnibus entibus per ſe, ſeu ſubſtantialibus, (logicè loquendo,) quodquideſt, & id cuius eſt, ſiue quod idem eſt) definitio, & definitum, realiter idem ſunt.

In

In hac ipsa conclusione dictum est, in omnibus entibus substantialibus, vt nullum secludamus, dictum est per se, vt ea quæ sunt per accidens, abijciamus, demum additum est, logicè loquendo, quoniam si Metaphysicæ loquamur, secus sentiendum est, quandoquidem in rebus materialibus omnibus, tale quodquidest, realiter distinguatur ab eo cuius est. Hac de re asserebat. D. Thom. tex. com. xlj. eiusdem. vij. Quòd quia superius Arist. logicè considerauit, de ipso quod quid erat esse, ob id, non exclusit substantias materiales, quin in illis etiam esset idem quodquidest, cum eo cuius est. Et hæc conclusio sic declarata, probatur expressa, tum Aristotelis, tum Commentatoris, tum denique. D. Thomæ, auctoritate. Inquit enim Aristoteles. vij. Metaphys. tex. com. xx. postquam astruxit in entibus per accidens, non esse idem quodquidest, & id cuius, est, In dictis autem secundum se, necesse est idem esse, vbi Commentator sic ait. In eis autem quæ dicuntur per se, id est in eis autem quæ sunt, vnum per se, rectum est dicere, quòd sunt cum suis quidditatibus, idem necessario. His duobus assentiens. D. Thom. ibidem hæc verba depromit. in illis quæ dicuntur per se, semper necesse est, idem esse quod quid erat esse, & id cuius est.

Triplici ratione, probatur prædicta conclusio.

Modo ratione probatur. Quoniam quod est substantia alicuius, non distinguitur ab illo, at quodquidest, est substantia eius cuius est, igitur quodquidest non distinguitur ab illo. Maior ac minor adeò ex se clarissimæ euadunt, vt nulla indigeant probatione. Huic & alia subnectitur ratio talis.

Quæcunque de aliquo vno per se prædicantur, & nullam in eo diuersitatem faciunt, sunt idem realiter, at quodquidest, & id cuius est de aliquo vno per se prædicantur, in eoque nullam diuersitatem adducunt igitur sunt idem realiter. Hæc ratio licet sit ipsius Aristotelis. iiij. Metaphys. tex. com. iij. probantis ens & vnum, idem esse realiter, nihilominus vtra-

que præmittarum roboratur. Et maior quidem quia implicat, duo, nullam diuersitatē in aliquo efficere, & esse realiter distincta, nam nullam diuersitatem facere, apertè arguit ea ipsa, non esse diuersa, nec realiter distincta. Minor ex eo liquet, quia animal rationale, & homo aptissimè de Sorte vel Platone prædicantur per se, quoniam vtrunque in quid, de vtroque prædicatur, nec vllam in eisdem, diuersitatem adducunt, igitur vtraque vera.

Potest & hac tertia ratione probari. Vbicunque & quotiēscunque ab vna sumpta propositione, ad aliam arguendo, petitur principium, illa duo in propositionibus, ex parte subiecti, assumpta, non realiter distinguuntur. patet hæc propositio quia vnus modorum petendi principium, est, quando probatur idem per idem, sed quando arguitur à definitione, ad definitum, & è contra, semper petitur principium, vt docet Aristoteles in lib. Elenchorum, & D. Thom. in tractatu fallaciarum, igitur non realiter distinguuntur.

Secunda conclusio. Secunda conclusio est, & negatiua.

In rebus materialibus, & in his quæ sunt per accidens Metaphysicæ loquendo, non est idem quodquideſt cum eo cuius est.

In hac quæstione dicitur, Metaphysicæ loquendo, quoniam cum Metaphysicus, res ipsas secundum se speculetur, & non vt modis prædicandi subijciuntur, propterea contemplatur materiam, quæ est indiuiduationis principium, quæ quidem est extra quodquideſt, & quia vt pulcherrimè declarat. D. Thom. vij. Metaphysicæ. tex. com. xlj. species ipsa materialis, iuxta suam realem, & Metaphysicam considerationem, nequit esse nisi in indiuiduo, ob id sequitur, quod si res naturæ, materiam habet quæ est pars speciei, quæ spectat ad quodquideſt, etiam materiam indiuidualem habeat, quæ nullatenus ad quodquideſt pertinet, qua de re, nulla res naturæ, materiam habens,

bens, est ipsum quodquidest. Hoc enucleato, non aliter probabitur præfata conclusio, quàm Aristotelis auctoritate, quoniam de ea, in alia quæstione satis est sermo habitus. Scribit enim ipse Arist. loco immediate supra citato hæc præcise verba. Quæcunque vero sunt vt materia, aut simul cum materia sumpta, in hisce, non est idem quodquidest, cum eo cuius est, neque per accidens vnum vt Socrates musicumque habetur. Et hoc idem scribitur iij. de Anima, tex. com. ix. vbi ait. Est autem aliud magnitudo, & magnitudini esse, & aqua, & aquæ esse, & sic in multis alijs, non autem in omnibus, vult dicere Aristot. quòd quia Mathematica secundum esse reale nequeunt esse sine materia, sicuti & naturalia, hanc ob rem differt quodquidest ab eo cuius est. Expressissimum autem signum, quod Mathematica cum materia sint, est, quia sicuti in naturalibus plura reperiuntur individua sub vna specie, vt Socrates, & Plato, sub homine, ita plures trianguli, sub vna trianguli specie.

Additur & tertia conclusio talis.

Quodquid est & id cuius est, seu definitio, & definitum, iuxta logicam considerationem, sunt idem, ratione, ex parte rei, non autem ex parte intellectus ratiocinantis. *Tertia conclusio.*

Declaratur conclusio hæc, quo ad vtranque partem, & primo quo ad partem affirmatiuam, pulcherrima hac ratione. Quæcunque habent eundem conceptum formalem, & obiectalem, sunt idem ratione ex parte rei, at quodquidest, & id cuius est, seu definitio & definitum habent eundem conceptum formalem & obiectalem, igitur sunt idem ex parte rei, maior ex eo liquet, quoniam vnitas conceptus formalis, dicit vnitatem rationis, & vnitas conceptus obiectalis vnitatem rei, exprimit. Minor vero probatur, quia eadem præcise natura specifica, & secundum eundem modum, obiectaliter intellectui correspondet

per quodquideſt & id cuius eſt, ſeu per diffinitionem, & diffinitum ſignificata, vt facile claret de homine, ac animali rationali. Nam quicquid de homine, præciſe concipit intellectus, & format ex parte rei, & nõ ex parte modi ſignificandi. itidem de animali rationali confingit & format, igitur hæc duo prædicta ex parte rei, eandem rationem habent & dicunt. Quo, ad ſecundam partem negatiuam, facillimè commoſtratur, quia quotienſcunque intellectus, quippiam, ei, cuius eſt, ſeu definito, attribuit, quod formaliter à quodquideſt ſeu definitione, remouet, neceſſario ſecundum rationem ex parte intellectus ratiocinantis, ſeiunguntur, vt exempli gratia, eſſe ſpeciem, quæ intentio ſecunda eſt attribuit intellectus ei cuius eſt ſiue definito, quod ab ipſo quodquideſt, ſeu definitione, formaliter remouet, igitur ſecundum rationem ex parte intellectus diſtinguuntur. maior ex ſe clariſſima eſt, minor quoque ex eo liquet, quoniam verè dicimus hominem, qui eſt id cuius eſt, ſiue definitum, vt intellectui obiectum, eſſe ſpeciem, quod tamen de quodquideſt, ſeu de diffinitione, formaliter negatur. Nam non ſapidè dicitur animal rationale, ſpeciem eſſe, at quid ex genere, & differentia conſtitutum quod eſt ipſa definitio, quæ & ſecunda intentio eſt. Præterea diſcriminantur hæc duo, veluti aliquid confusè & diſtinctè conceptum, Nam quod definitum, non exprimit, at confusè, continet, definitio diſtinctè declarat.

Quoad tertium vnum duntaxat adducitur argumentum, aduerſus tertiam concluſionem quod tale eſt. Impoſſibile eſt eundem conceptum, eſſe priorẽ, & poſteriorem, haberi, & non haberi, de eadem re, at qui res eadem, prius concipi poteſt, ſecundum nomẽ definiti, quàm ſecundum nomen definitionis, igitur conceptus per nomen definiti, & nomen definitionis explicatus, non ſunt idem. Ad hoc argumentum facillima eſt reſponſio, & ex iam dictis, elici poteſt, nam

Argumẽtũ aduerſus tertiã cõcluſionẽ

Argumẽti ſolutio.

nam nil aliud concludit, nisi quòd alius est conceptus definitionis & alius definiti, ex parte intellectus eandem rem, diuersimodè concipientis, & apprehendentis, quod quidem quamlubentissime conceditur, & id iam superius declaratum est. Et hæc pauca, de quæstione hac dicta sufficiant.

Quæstio. An relatio vt relatio est, sit ens reale, an rationis tantum.

VAERITVR. Num relatio, vt relatio, seu ad, aliquid, vt ly, ad, simpliciter, & absolutè respectum significat, sit ens reale, an rationis tantum, vel vtrunque esse queat.

Quo ad hoc quæsitum, sciendum est, quod quia relatio, vt relatio siue ad aliquid, vt hac simplici voce, siue dictione, ad, significatur: nec quid reale, nec quid rationis, simpliciter dicit, quoniam cum ly ad, habitudinem seu ordinem sonet vnius ad alterum, quæ quidem habitudo, & ordo quandoque sine omni penitus intellectus opere est, & in rerum reperitur natura, vt probabitur, quàndoque solum in intellectus opere, obiectiuè tamen, reperiatur, propterea ly ad, aliquando realem significat relationem non nunquam solummodo relationem rationis. Abstrahit enim ly ad, siue relatio, vt relatio, à respectu reali, & rationis, veluti analogum quoddam, à suis analogatis, nec alterum necessario est affirmandum, cum vtrunque esse valeat. Cum enim trahitur, & modificatur ad ens reale, seu ordinē realem, existentem inter duo extrema realia, realiter distincta, in rerum natura, præter opus intellectus existentia, respectus, & habitudo, ac relatio, realis est. cum vero hic ordo solum obiectiuè in intellectu est, vti ordo generis, ad speciem, & econtra, solum relatio rationis est, habens tamen suum in re fundamentum, vt in hoc ab ente secernatur chimerico. Quod autem relatio realis, & ad aliquid reale, extra penitus intellectus operationem necessario ponatur, quod Aureolo.

reolo. xxx. distinct. j. sent. quæst. j. art. ij. maximâ ingerit difficultatem tenenti ac tutari conanti, omnem relationem, in sola intellectus apprehensione, suum esse habere, pulcherrimè probatur, & Arist. & Cõmentatoris ac Auicennę apertissima auctoritate. Arist. nanque. v. Metaphys. postquam. tex. com. xiij. diuiserat ens communiter, ac generaliter dictum, in ens secundum accidens, & ens secundum se: Quæ quidem entia in rerum natura sunt, vt cuilibet terminos intelligenti patet. in tex. xiiij. subdiuidit ipsum ens secundum se, inquiens, secundum se verò entia dicuntur, quæcunque significant. figuras prædicationis, quotiens enim dicitur toriens esse significat. quoniam ergo prædicatorum, alia quid est, significant; alia quale, alia quantum, alia ad aliquid, alia facere. alia pati, alia vbi, alia quando, horum, vnicuique idē esse significat. Super quibus verbis, inquit Commentator. Cum declarauit modos entis quod est secundum accidēs, incepit declarare secundum quos modos, dicitur ens essentialiter, & subdit, & per figuras prædicationis, intendit genera prædicamentorum. Ex hisè tum Arist. tum Commentatoris verbis, clare constat, quod ens secundum se, diuiditur & secatur in decem prædicamenta quæ sunt decem rerum genera, quæ sanè absque intellectus opere, in rerum natura esse habent: inter quæ etiam ad aliquid, connumeratur. Quod & confirmatur auctoritate D. Thomæ, inquientis, primo distinguit ens, quod est extra animam, per decem prædicamenta, quod est ens perfectum. secundo ponit alium modum entis, secundum quod est tantum in mente vbi. Amplius autem & esse significat quia verum. Est itaque ad aliquid, genus vnum reale, sub accidente reali collocatum. Et quod dictum est, confirmatur & explicatius ex eiusdemmet Aristotelis, & Commentatoris sententia, vij. Metaphys. tex. com. xij. vbi Aristot. ait, sed quoniam ens simpliciter dictum, dicitur multipliciter

Aureoli opinio circa relationem.

Relationem aliquam habere esse extra intellectũ, multiplici, tũ Aristot. tũ Cõmentatoris auctoritate probatur.

tipliciter, quorum vnum quidem, accidens,& aliud, quasi verum, & non ens quasi falsum. Præter hæc autem, sunt figure cathegoriæ, vt quid, quantum, vbi,quando,& siquid aliud significat hoc modo. vbi claret Aristotelem hisce ex verbis, secare ipsum ens, in ens per accidens & in ens,quod verum,vel falsum significat, ac in ens,quod significat figuras,seu genera prædicamentorum, quod quidem ens, est constinctum enti in anima. Sub tali autem ente prædicamentali, constat & ad aliquid contineri. Et ibidem Commentator ait. Quod ens prima sui diuisione, diuiditur in ens per se,& ens per accidens, & ens per se,quod est ens essentialiter, diuiditur in decem prædicamenta. Et sic, Ad aliquid,quod vnum est prædicamentorum,est ens reale,extra intellectú. Postremò hoc idem roboratur ex.xij.Metaph. text. com.xix. vbi quærit Arist. num sint eadem principia,& elementa substantiarum, & eorum quæ sunt ad aliquid, & cuiuslibet cathegoriarum similiter, & quæstionem ipsam in tex.xxviij. dissoluens, inquit, quod principia,& elementa substantiarum, & ad aliquid,& qualitatum, &c. simpliciter sunt diuersa; sic enim subdit. Diuersorum vero non eadem,sed altera præter quam sic, & intendit ea ipsa simpliciter esse diuersa,eadem vero proportionaliter. Si igitur secundum Arist.diuersa sunt prędicamentorum principia, clarum euadit, hæc ipsa non solum entia esse realia,verum,& realiter distincta,vt infra magis patebit. Commentator verò super text.xix. rationem reddens cur Aristoteles meminerat solum ipsius substantiæ, & Ad aliquid,ait. Et dicit propriè relationem,quia est debilioris esse,alijs prædicamentis, ita quod quidam reputauerunt ipsam esse ex secundis intellectis,Hæc Commentator. Et ex his, compertum habemus, relationem prædicamentalem, non ex secundis intellectis,vt quidam falso arbitrati sunt, at relationem esse realem. Hinc fit vt Aureoli falsa

Ex dictis falsa com

redda tur

reddatur opinio, tenentis relationes omnes, esse in intellectu solum, non item extra intellectum.

probatur. Aureoli, opinio.

Auicenna quoque. iij. Metaph. cap. x. id quod docemus, his verbis ostendit. Nos scimus quòd hæc res in esse, est pater illius, & ille, filius illius, siue intelligatur, siue non, & scimus, quòd planta accipit nutrimentum, sic quod ibi est agens, & patiens, & scimus, quòd Cœlum, est super terram, & terra, est inferior eo. siue hæc intelligantur, siue non. Et istud quod assignamus est simile in alijs relatiuis. Ex quibus Auicen. dictis, liquido constat, relationem prædicamentalem esse realem, non rationis. Nec huic nostræ positioni quicquam officiunt, Aureoli argumenta quæ fusius à Capreolo xxx. dist. j. quæst. j. aduersus primam Conclusionem adducuntur. Inter quæ tamen principalia in medium afferentur & dissoluentur, ex quorum solutione, facile aliorum elucebit solutio.

Auicenne dictum cõ probans, relationẽ, præter intellectũ, dari.

Arguit igitur aduersus tres relatiuorum modos, ab Arist. positos. v. Metaphys. tex. com. xx. quos tenemus esse reales, dispari tamen modo, quoniam duo primi, vtrinque reali referuntur relatione, vltimus, & tertius, altera solum ex parte, realiter refertur, illud. scilicet relatiuum, quod comparatur vti mensuratum ad mensuram, & non econtra. Et aduersus quidem primum modum sic instat.

Aureoli argumenta aduersus tres relatiuorũ modos, quos, rationis dũtaxat esse, probare cõtẽdit

Quoniam idemptitas, similitudo, & æqualitas, quæ relationes sunt, ad primum spectantes modum, nihil aliud sunt, nisi vnitates quædam, quæ nil aliud existunt, quàm indiuisio quædam, & indistinctio: At qui indiuisio talis, & indistinctio, nequit in aliqua re & natura communi, in rerum natura existente fundari, cum nulla talis sit dabilis ergo solum fundabitur in natura communi habente solum rationis vnitatem, & sic cum fundamentum solum rationis sit, & relationes, in tali fundamento existentes, rationis dumtaxat erunt: Nec potest dici quod fundentur in

duabus

duabus rebus individualibus, quoniam sequeretur (inquit) quòd vna res in duobus staret subiectis. Erunt itaque huiusmodi relationes, non in re, at in intellectu solum.

Arguit secundo aduersus secundum modum, quoniam paternitas, & filiatio, quæ fundantur super actione, & passione, non videntur fundari nisi super generationis actu, qui transit; sed actus transiens, nihil in re fundat. Igitur tales relationes, non in re; sed in intellectu solummodo sunt. Rursus de paternitate ipsa percunctor (inquit ipse) à quo producatur. Non enim dici potest quod à Patre; quoniã sequeretur quòd actione transeunte, aliquid in seipsum ageret, quod absurdum est dicere. Nec etiam à filio, quoniam ipse, à patre recipit, non item in patrẽ imprimit, nec etiam ab actione, à patre in filium, profluente, quia ipsa in filio recipitur, & omne id quod a patre promanat, in filio ipso, non in patre, susscipitur, & sic cum paternitatis nullum sit assignabile productiuum principium, ipsa, non in re, at solum in intellectu ponenda erit, quod nostrum probat intentum.

Postremo, tertium arguit modum, hac ratione. Quis vmpossibile est rem, à non re, dependentiam habere, at si relatio tertij modi esset res: à non re, dependeret, quia scientia, destructo scibili remanet. igitur relatio scientiæ ad scibile, non realis, & extra intellectum, at in intellectu est solum. Potest vero vnico argumento omnis modus sic redargui. Id quod sine omni agente reali produci potest, non est extra intellectum: At omnis relatio est huiusmodi, igitur. Minor probatur, Quia existente albo in orientali parte, & nouiter aliud producatur in occidentali plaga, innascitur similitudo absque reali agẽte, at solum intellectu concurrente, vt ex. v. Physic. tex. com x. pulcherrimè elici potest, igitur nulla erit realis, at rationis duntaxat conclusio.

His

His argumentis tametsi nonnullam apparentiam habentibus, facile respondetur.

Argumentis Aureoli seriatim respondetur.

Et ad primum quidem dicitur quod maior est falsa, nempe quod idemptitas, similitudo, & æqualitas, sint essentialiter indiuisio, seu indistinctio; supponunt tamen ipsam, in vnoquoque genere, scilicet substantiæ, vel quantitatis, vel qualitatis: quia vnum in substantia, facit idem, vnum in quantitate, efficit & causat æqualitatem, vnum vero in qualitate, causat similitudinem, & cum infertur in minori, quod indiuisio, & indistinctio quam supponunt idemptitas, similitudo, & æqualitas, nequeunt fundari in aliqua re, seu natura communi, in rerum natura existente, cum non sit dabilis, dicitur hoc verum esse quod talis natura communis in actu extra intellectũ non est dabilis, cum omnis natura extra intellectum posita, sit singularis. & propterea nequeat vnitatem perfectam in actu habere, potest tamen vnitatem habere aptitudinalem, seu potentialem, qualem vniuersalia extra intellectum habere noscuntur. Ad cuius rei claritudinem, sciendum est, quod natura quælibet, quæ communis dicitur, (in creaturis tamen loquendo) indiuisionem, & indistinctionem quandam alicuius formæ secundum rationem dicit, secundum quam vnitatem specificam, vel genericam, habere dignoscitur. Quæ sanè indistinctio, siue vnitas, ab intellectu eam à singularibus abstrahente, oritur, haud tamen hæc vnitas positiua est, at potius negatiua, vt potè indifferentiam dicens, respectu singularium, & suppositorum; per negationem enim principiorum indiuiduantium, naturam ipsam contrahentium, natura, communis, ac vna, dicitur. vna inquam, vnitate specifica, vel generica, quod per intellectus abstractionem omnino sortitur. Licet autem natura talis communis, ac vna secundum rationem affirmetur, est tamen diuersa secundum esse, vtpotè diuersum esse habens in diuersis suppositis. Et sic hac in re duo

Natura quælibet tũ, indiuisionem, & indistinctionem quãdam habet, & quam.

re

reperiuntur ſcilicet vnitas naturæ communis, & diuerſitas ſuppoſitorum in illa natura. Nunc ad propoſitum redeundo dicitur, quòd idemptitas, vel æqualitas, ſiue ſimilitudo, quæ relationes ſunt fundantur, ſuper vnitate naturæ communis, concurrente ſuppoſitorum diuerſitate, quod docet Capreolus. xxx. diſt. j. ſent. ad quartum Aureoli, aduerſus primam concluſionem, dum inquit, De ſimilitudine ſpecialiter loquens, quod ſimilitudo fundatur in vnitate naturæ communis concurrente diuerſitate ſuppoſitorum, ita quod diuerſitas ſuppoſitorum & vnitas naturæ, concurrunt ad fundandum ſimilitudinem. Atqui clarius idem Capreolus. diſt. xxx. ad primum, & ſecundum. Durandi reſpondet, inquiens, quod ſimilitudo fundatur ſuper natura ſpecifica, non vt eſt hæc, aut indiuidua; ſed vt continet virtualiter vnitatem ſpecificam cum alia natura, quæ eſt vnitas rationis in intellectu, & infra ſubdit, quod nihil factum ab anima, fundat ſimilitudinẽ, ſed natura ſpecifica exiſtens extra animam habens talem vnitatem virtualiter, & aptitudinaliter. Reuerendiſs. autem Gaietanus, vt patet ſuis ex dictis, cap. iiij. de Ente, & eſſentia ad quartam Scoti inſtantiam, ſic reſpondet. Dicit enim quod huiuſmodi relationes fundantur ſuper res, ipſas puta idemptitas naturæ humanæ, fundatur ſuper duabus humanitatibus ſcilicet ſortis, & Platonis, & æqualitas ſuper duabus quantitatibus, & ſimilitudo, ſuper duabus albedinibus, in duobus ſuppoſitis exiſtentibus, tanquàm ſuper principali fundamento, & ſuper vnitate ipſa, communis naturæ, veluti ſuper conditione fundamenti, Et propterea, ſubdit ſpecialiter de ſimilitudine, quod ipſa fundatur ſuper duas albedines, habentes mutuam negationem diſtinctionis formalis. Huic reſponſioni alludunt alij, inquientes, de eadem ſimilitudine, quod ipſa fundatur non ſuper vnitate naturæ communis, at ſuper duas albedines ſingulares; non quidem abſolute; at vt ſunt

Capreoli placitũ, de fundamento ſimilitudinis.

Caietani opinio de fundamẽto relationis idemptitatis, æqualitatis, & ſimilitudinis.

vnum

vnum in specie. Responsiones autem hæ omnes, veritate gaudent si rectè intelligantur. Et sic falsum est quod subsequitur in argumento. Nempè quod fundamentum harum relationum, solum rationis sit fundamentum. Est enim reale, & extra animam existens, & propterea relationes huic fundamento innixè reales erunt, & in rerum natura absque intellectus apprehensione. Ex his clarissimum euadit, relationes primi modi ab Aristotele positas, non rationis, vt astruit Aureolus, at reales penitus esse.

Ad secundum Argumentum aduersus secundum modum adductum, respondetur, negando assumptū, Falsum quippè est, quod paternitas, & filiatio, fundentur super actu transeunte, qui nihil est. Dicimus enim quod paternitas, fundatur super potentia generatiua quæ potentia actiua est, & filiatio super potentia passiua, quæ entia sunt, at actus istarum potentiarum, qui sunt generare, & generari, sunt rationes fundandi hasce relationes, quo ad principium licet non quo ad permanentiam, nisi virtualem. Potentie enim prædictæ, vt pure sub generationis actu, fundant relationem paternitatis, & filiationis, & id sufficit ad earum fundamentum. Cum secundo arguebatur, & simul percontabatur, à quo generaretur, & produceretur ipsa paternitas; dicitur primo secundum Aristotelem, & Commentatorem. v. Physic. com. x. quod quia relationes non propriè per se generantur, aut corrumpuntur, at solum per accidens, ad generationem, scilicet & corruptionem alicuius absoluti, ad quod sequitur generatio vel corruptio relationis, & similiter ad relationem ipsam nullatenus est motus nisi per accidens. Ob id vanum est percontari à quonam generetur ipsa paternitas. Dicitur tamen & secundo vt plenè arguenti interroganti, satisfaciamus, cum percunctatur, à quo paternitas ipsa producatur dicendū est quod ab ipso patre, non quidem primo & per se, at consecutiuè in hunc qui-

dem modum, quoniam cum pater, filium producit, simul in filio, filiationem, & in ipsomet patre, paternitatem, & filiationem quidem principaliter consecutiuè verò paternitatem. Nam illud absolutum primo & per se producit, & relationem eidem annexā, consecutinè ac concomitanter, & per accidens, nempe per aliud perpulchrè producit. Id autem est pater, filium producens, & consecutiuè etiam in se paternitatem, at qui filius productus producit vtram relationem, perquandam resultantiam, non per actionem mediam. Falsum est igitur quod assumitur in argumento, quod non à Patre, paternitas, producatur. Et cum probatur, quod sequeretur aliquid actione media, in seipsum agere, sequellam inficiamur: quoniam iam constat patrem per quandam resultantiam non actione media, dictas causare relationes, & cum subdit, quod nequit etiam à filio produci, quoniam ipse, à patre recipit, & non in eundem imprimit; dicitur, quòd vtique ab ipso solo filio, non ambe producuntur; attamen filius, vna cum patre, ad illarum concurrit productionē; Dum enim pater generat, & filius gignitur, ambo coniunctim concurrunt vt vna totalis, & sufficiens causa, & per vnam, & eandem rationem, ad talium productionem relationum. Et cum subiungitur, quod filius, non imprimit, in patrem, paternitatem ipsam; dicitur, quod non imprimit quidem vt extans causa totalis, at ipse, cum patre, vti vna causa sufficiens, prædictas causant relationes vt dictum est, quarum vna in patre, & alia est in filio, tametsi pater principalior sit causa. Ex his verò eliduntur ea omnia, quæ à Paulo Soncinate. v. Metaphys. q. xxv. afferuntur, impossibile arbitrante, filium, paternitatem in patre, producere posse. Nam iam constat, eum producere, quia cum patre, non se solo, neque actione media, nec diuersa at vna, neque actione propria at per resultantiam; & falsum quoque esse, formam accidentalem in

Reprobatur, ex dictis, Pauli Soncinatis opinio

in istanti non posse produci. Assignabile est igitur principium productiuum, productione per exultantiam dictarum relationum, & sic in rerum sunt natura, non autem in sola intellectus apprehensione, vt ait Aureolus. Claret quoque quomodo ab actione profluente, producantur, quia vt à causa sine qua non, essent tales relationes.

Ad tertium, contra tertium modum, cum arguitur impossibile fore rem, à non re, dependentiam habere, dicitur, quod si res, neque actu, neque potentia est, quæ alterius rei dependentiam terminat, hæc maior admittitur, quoniam res, à non re, actu, vel potentia, dependentiam habere nequit. At tunc negatur minor, Nempè quod si relatio tertij modi esset, res, à non re dependeret; Et cum hæc probatur, quia scientia, quæ ad scibile refertur, esse potest scibili destructo, & ob id ipsius scientiæ ad scibile, nequit esse relatio realis, & extra intellectum; Respondetur falsum esse, scientiam, esse posse destructo scibili, quia etsi quandoque scibile destruatur actu, vt rosa in hyeme de qua scientia habetur, haud tamen secundum esse potentiale destruitur, & id sufficit ad hoc vt scientia ipsa remaneat, & ad scibile referatur. Est enim scibile in potentia, & secundum se, & si non sit secundum existentiam.

Secundo respondetur & verius, ac clarius, diciturq. cum scientia propriè dicta, habitus sit, per demonstrationem acquisitus, conclusiones vero demõstrationum, sint per se necessariæ, & sempiternæ veritatis, ex. j. Poster. cap. ix. & conclusiones tales duntaxat sint per se scibiles; hinc optime fit vt destrui minime possint. Scientia enim & conclusiones scibiles, sunt de inhęrentia proprietatum, ac passionum, ex subiecto naturaliter promanantium, ad ipsum subiectum. Cumque inter tales proprietates, ac passiones, & propria subiecta, sit per se, & necessaria connexio, impossibile est conclusiones ipsas demon-

ſtratas, vel demonſtrabiles, quas, & ſolum ſcibiles, proprie dicimus, eſſe corruptibiles, ſiue deſtructibiles, & ſic ſcibile, nunquam deſtruitur. Immaginatur fortaſſe aliquis, oportere ad hoc vt aliquid ſit ſcibile, quod exiſtat actuali exiſtentia, quod falſiſſimum extat. Scientia quippe ab ipſa rerum exiſtentia abſtrahit, quoniam ſiue res ſint, ſiue non, ipſarum ſcientia eſſe poteſt. Nec huic obſtat axioma illud Ariſtotelis. Ab eo quod res eſt vel non eſt, oratio vera, vel falſa dicitur. quoniam intelligendum, ac interpretandum eſt iuxta Ariſtotelis intentionem, vt ſcilicet ab eo quod res ſignificata per orationem, non per illius terminos ſimplices, eſt, vel non eſt, oratio dicatur vera, vel falſa. Siue enim termini orationis incomplexi ſint, ſiue non; ſignificatum tamen eiuſdem orationis quidditatiuum, & eſſentiale, ſeu inhærentia, proprietatum, & paſſionum de ſubiecto; ſemper eſt, & ita perpetuum eſt, Quare & inde ſtructibile. Erit igitur relatio realis, ipſius ſcientiæ, ad ſcibile, abſque intellectus opere.

Ad vltimum contra omnem modum, dicitur, quod minor eſt falſiſſima nedum falſa, vt ex ſupradictis elucet. Relatio quippe omnis prædicamentalis, eſt à producente reali, non quidem primo & per ſe, ac conſecutiuè, & per aliud. Et cum minor probatur, quia albo exiſtēte in Oriente, & fiat coalbum in occidente conſurgit relatio ſimilitudinis abſque reali agente, hæc optimè negatur. Nempè quod conſurgat nouiter relatio, abſque reali agente, qm illud, quod eſt cauſa productionis abſoluti, ad quod ſequitur naturali reſultātia ipſa relatio eſt etiam cauſa conſecutiuè, ſeu concomitanter ipſius relationis.

Ad hoc etiam Argumentum reſpondet Capreolus diſtinct xxx. 1. ſent. ad decimum Aureoli, contra primam concluſionem. Ommitto hoc in loco. D. Thom. expreſſè pluribus in locis ſentientem huiuſmodi relationes reales, in rerum natura dari, vt pre-

modi

sertim patet dist. xxxj. j. q. ij. art. j. & ij. prima parte. q. xxviij. art. j. de Potentia Dei. q. vij. art. ix. Clarum igitur ex dictis euadit relationes nonnullas res esse extra intellectum, & proinde reales. Et hæc de quæstione hac dicta sufficiant.

Quæstio. ij. An relatio, à suo fundamento realiter distinguatur.

Quæst. ij.

VERITVR. ij. An Relationes, quas ꝓbauimus esse reales, ac in rerum natura ꝑter intellectus opus existentes, à suo fundamento proximo realiter distinguantur. Est autem negocium hoc arduum valde, ac perdifficile præsertim ob pugnantes, & extremas Illustrissimorꝫ Doctorum sentẽtias, ꝓpea subtili, eget indagine. Et antequam ad opinionum examen accedamus, illud in primis est adnotandum, quod aliud est quærere, Num relatio, realiter distinguatur vel non distinguatur à suo subiecto, & aliud, Num secernatur, vel non secernatur à suo fundamento proximo: quoniam propriè ac absolute de subiecto loquendo, dicendum est, subiectum cuiusque relationis realis sicuti, & cuiuslibet accidentis, esse ipsam substantiam, non quippiam aliud; quoniam ipsa sola est ens per se subsistens, cui, & soli, competit, esse verum omnium accidentium subiectum. Et quæsitum, iuxta hunc sensum clarissimum euadit, quia cum relatio omnis prædicamentalis, accidens sit; perspicuum est, eam omnem à substantia realiter distingui, ni fateri velimus, accidens, esse substantiam, & econtra, substantiam accidens fore, quod asserere, ridiculum, ac absonum foret. Esse vero fundamentum proximum esset esse id, cui immediate rela-

Aliud est quærere an relatio realis realiter à suo distinguatur subiecto, & an realiter à suo distinguatur fundamento.

tio innititur, quod & quantitati, & qualitati, ac actioni, & passioni, quę accidentia sunt, competere potest, & de tali fundamento si sermo sit, maxima est inter doctores, controuersia, & præcipue inter Doctores, D. Thomæ doctrinam, confectantes. Nam supponentes de mente. S. Thomæ nonnullas relationes immediate in substantia fundari, vti, est relatio idem pitatis specifice, in Sorte, & Platone, eandem naturam humanam & specificam, habentibus, fundata, & relatio Creationis passiue, quæ in creature fundatur substantia, supponendoque quod nonnulle etiam immediate in accidentibus fundantur, vniuersaliter de terminanda est. Nonnulli itaque celeberrimi viri. D. Thomæ doctrinam sectantes, e quorum numero est, Capreol. dist. xxx. j. sent. & Reuerend. Caietanus. j. q. xxviij. ar. ij. ac Reuerendiss. Magister Franciscus Ferrarien. iiij. Contra Gent. cap. xiij. expresse substinent, relationem omnem prædicamentalem à suo fundamento fore realiter distinctam, in quam opinionem pulcherrime, venit. Io. Bacchon. distin. xxviij. j. sent. q. ij. ar. iiij. &. xxx. dist. eiusdem. q. j. art. v. Plerique alij, vt Her. in quolib. maioribus, quol. j. quæst. ix. de prædicamentorum distinctione agens, & in quolib. minoribus quol. vij. q. xv. hoc quæsitum pertractãs, & prolixius in principio quol. x. Paul. Soncinas. v. Metaphys. q. xxviij. Magister Siluester Prieras. prima parte Conflat. q. xxviij. & Magister Chrisost. v. Metaphys. q. xxij. oppositam partem, Nempe quod nulla relatio realis à suo reale distinguatur fundamẽto tuent. Scotus vero vt astruit Reuerendissimus Caietanus vbi supra mediam amplectitur viam, substinens nonnullas à suo fundamento realiter distingui, & eas omnes, quarum fundamentum sine termino suo remanere potest, pleraſque vero suo idemptificari fundamento, & illas quidem, quarum fundamentum nequit esse sine termino. Et dictum quidem primum roborat ex hoc quia

Capreol⁹. Caietan⁹, ac Magister Franciscus Ferrarienſis, tutantur relationẽ realem realiter à ſuo fundamento diſtingui.

Qui doctores, in diſtinctionem relationis a fundamẽto, teneat, prodatur.

Scoti opinio quæ ſit & quibus rationibus ipſam fulciat, circa præfatum quæſitum.

quia cum non implicet contradictionem, fundamentum abſque relatione remanere, optime ſequitur, quod duæ ſint res, & ita quod realiter ſeiungantur, quandoquidem implicet vnam, eandemque rem ſimul eſſe, & non eſſe. Secundum vero dictum ex oppoſito confirmat, quoniam ſi fundamentum eſſe ſine relatione contradictionem implicat, pulcherrimè ſequitur, vt vna eademque res ſint, indiſtinctione máque habeant realem. Et quoniam hæc Scoti opinio, falſo innititur fundamento quo ad eam præcipuè partem, quam ſubſtinere conatur, nempe quo ad, indiſtinctionem realem, propterea vti falſa relinquenda eſt. Falſum quippe eſt, iccirco relationem nequaquam à ſuo fundamento realiter ſeiungi, quia eius fundamentum ſine termino eſſe nequit. Et qa contradictionem implicat fundamentum ſi ſine relatione eſſe nequit, quod vna & eadem res ſint, & non duæ. Falſum inquam eſt etiam ſecundum ipſummet Scotum, quoniam cum omnes partes eſſentiales ſimul vnite, abſque toto, eſſe nequeant, non proinde ſequitur quod realiter idemptificentur, quia ſecundum ipſum, & Thomiſtas realiter diſtinguuntur. Itidem dicitur de materia prima reſpectu ſubſtantialis formæ, quæ, etſi ſine forma eſſe non poſſit: non propterea ſequitur, quod ab illa minime re diſtinguatur. Cum itaque fundamentum ſuum nequaquam ſubſiſtat, nec edificium ſuper id conſtructum ſuperſtitere valet. Supereſt modo vt alteram extremam repellamus opinionem, eam ſcilicet, quæ abſolute tenet, relationem omnem realem, realiter ſuo idemptificari fundamento, qua eliminata, facilius alteram, realem diſtinctionem aſſeuerante, ſuſtinebimus. Videtur quippe opinio hæc indiſtinctionem ponens, robur trahere ex Ariſt. d ctis & tatis apparenti bus ppea laborant doctores in eorum interpretatione, ea ipſa, diuerſimode (vere tamen) interpretantes. Et primum quidem dictum & omnium valiſſimum

Reprobatur Scoti opinio vti falſa, qa falſo innititur fundamento.

Fundamẽtum potiſſimum tenentium indiſtinctionem relationis à fundamento.

dissimum habetur. v. Phyſic. com x. vbi perpulchre probat Aristoteles in Adaliquid, seu ad relationem prædicamentalem, non esse motum: quoniam (inquit) potest alicui aduenire relatio ipsa eo penitus non mutato, at solum in altero, nempe suo correlatiuo facta mutatione. Tunc stante huius veritate dicti, Sequitur relationem, non esse rem realiter à suo fundamento seiunctam. Nam inintelligibile, videtur relationem, rem esse à suo fundamento realiter distinctam, & aduenire nouiter posse, absque eius subiecti, in, quo, est, mutatione, quia subiectum recipiens realitatem, seu formam quandam accidentariam, vt est relatio, quam, prius minime habebat, ne cessario mutatur. Cum autem absque mutatione iuxta Aristotelis placitum subiecto adueniat; Ob, id relationis realitas, prius inerat, quæ sanè non nisi realitas est fundamenti. Huic Argumento super Aristotelis sententia fundata, potest multiplex afferri responsio & quelibet veritati consentanea. Et prima quidem clare ex. D. Th. habetur. de potentia. q. vij ar. viij. in cor. ar. & ar. ix. ad vij. vbi speculatur relationem, & vt relatio est, & vt accidens est, & ipsi relationi secundum hosce duos modos considerate, posse diuersa sibi attribui pariter, & negari. Nam inquit, si consideremus relationem vt relatio est formaliter, cum nil aliud dicat nisi ordinem, & tendentiam, vnius rei, seu vnius creature ad aliam, vt sic, non habet quod sit aliquid subiecto inhærens, sed potius assistens, & hoc modo considerata, potest vt optime inquit Aristoteles alicui subiecto nouiter aduenire, absque eius mutatione, & hoc modo intellexit Aristoteles dictum suum. At ex hoc minime concludi potest, quod relatio realis suo idemptificetur, fundamento, si verò consideretur vt accidens, cum eidem competat esse in subiecto, quemadmodum & cuilibet accidenti vt sic, nequit alicui nouiter aduenire subiecto, absque aliquali eiusdem subiecti mutatione.

Plures, ad Arist. dictũ, afferũtur responsiones.

rione. Verum de hac ipsa vt accidens est, non est Aristotelis dictum intelligendum. Huic sententiæ inhærendo Capre. distin. xxx. primi ad. xiiij. Aureoli aduersus primam conclusionem tandem sic concludit. Finaliter ergo relatio, vt relatio, non transmutat subiectum, sed vt accidens, & in hoc finaliter sto. Nec ex isto Capreo dicto, elici vel deduci potest, ipsum, suam reuocasse sententiam, scilicet vt prius distinctionem eiusdem relationis à fundamento tenuerit, deinde idemptitatem, vt falso sibi impingit Magister Siluester loco supra citato, quoniam ex hoc dicto solum habetur, quod relatio, vt accidens est, & quo ad suam realitatem, quam ex suo fundamento nanciscitur, prius incomplete fuerit ante aduentum correlatiui, nouiter producti, quo producto, completur ratio relationis, vt relatio est. Hæc enim eius sunt verba præcise. Vnde sicut sæpe dictum est, illud quod dat relationi quod sit res, scilicet fundamentũ reale, prius fuit illud, quod autem complet rationẽ relationis, nouum est: quia ergo quod complet eius rationem, non habet inquantum huiusmodi quod sit res, vel quod aliquid ponat in eo, cui attribuitur, nimirum si relatio potest aduenire nouiter, vel recedere, sine mutatione eius, cui attribuitur; Hinc itaq; deduci non potest, quod relatio suo idemptificetur fundamento quinimmo eius oppositum, vt liquet ex eius verbis immediate præcedentibus, quæ talia sunt. Tandem dico, quod realitas relationis, non aduenit alicui totaliter de nouo, sine mutatione illius, cui aduenit, vt prædictum est in solutione quarti principalis. Claret autem ex eo quod dicit relationem, haud totaliter alicui euenire de nouo, sine eius mutatione, ipsum, sentire talem relationem, ante cor relatiui aduentum, habuisse esse reale (incompletum tamen) in suo fundamento, & propterea per aduentum correlatiui non totaliter, at completiue solum aduenire. Indiget quippe relatio ad sui complemen-

Capreolo, à Magistro Siluestro, falso attribuitur, suam reuocasse sententiã.

tum

tum termino ipso sine quo relationis nomen, nequit habere. Huic sententiæ subscribit Reuerendissimus Caietanus. ubi supra, vbi loquens de relatione similitudinis, & ad Argumentum quo contendebatur probare relationem prædictam, suo idemptificari fundamento respondendo, inquit, quod solo existente sorte Albo, similitudo, in eo quodammodo est, & modo quodam nõ est, incomplete quidem est, complete autem minime, nisi per nouum correlatiui aduentum. Id autem relationi euenit ob debilissimum esse suum, quia ad relationem non solum exigitur fundamentum in quo ante correlatiui aduentum, habet esse incompletum, virtuale, potentiale, seu radicale, verumetiam & terminus requiritur, quo posito, relatio, actu, & completiue, existere dicitur. Inquit enim quod ad appositionem termini, actu resultat, ad, & resultãte, ad, resultat & complementum ipsius, in, Quoniam non ex fundamenti defectu, similitudo incompletum esse habebat, at ex sola termini carentia: & propterea consequens est, quòd posito termino qui deficiebat, compleat fundamẽtum veluti prolem, aut fructum, seu suum effectum. Exemplum, huic simile adducit ex D. Thom. de potentia. q. vij. ar. ix. ad vij. vbi ait, Quod existente solum calore calefactiuo, & non calefactibili, non esset actiua calefactio actualiter, nec agenti ineesset vt accidens in subiecto, quod quidem intelligendum est quo ad relationem importatam per ipsum motum siue alterationem, Appositio autem calefactibili, mox esset actio, siue calefactio ipsa, & agenti ineesset quo ad relationem tamen, vt dictum est, & hoc quidem propter eãdem causam, quoniam tam relatio quàm actio actu tollitur per subtractionem extrinseci termini vel passi: & solum causaliter, seu radicaliter remanet. Ex hoc autem soluit D. Thom. rationem Aristotelis tactam in argumento & simul declarat dicens, Quod quia tam relatio, quàm actio, possunt sic remanere

in

in fundamento suo, vt in causa sufficienti, iam actu quantum sit ex parte ipsius, & eius actualitas, quasi impeditur ex subtractione extrinseci termini, propterea non oportet eas ipsas noua mutatione generari, vel corrumpi. Mutatio namque propriè dicta, terminus est alterationis, quæ hic inueniri nequit, at solum naturalis quædam resultantia, vel eius desinentia. At aduersus responsionem hanc instat magister Chrisostomus vbi supra, inquiens, quod si relatio completur, sola positione termini, vel completur quo ad solum formale præcise, vel quo ad suam realitatem. Diceret Reuerendissimus Caietanus, & pulchre quidem, quod quia relatio habet debilissimum esse, quòd & à fundamento & à termino pendet, ex sola termini positione, relatio completur, & quo ad formale vt clarissime constat, & quo ad materiale, seu realitatem suam. Et cum id improbatur, quia non est intelligibile, vt posito termino compleatur relatio, quo ad realitatem suam, nisi quia realitas relationis, quæ erat in potentia, posito fundamento, fit actu in subiecto ex positione termini, quod quidem impossibile est fieri sine subiecti mutatione. Dicitur negando id fore impossibile, scilicet quod realitas relationis, quæ erat in fundamento ante termini sui positionem, fiat actu in subiecto, ex positione termini, absque subiecti mutatione. Iam enim dictum est in tali complemento realitatis, nullam interuenire propriè mutationem, de qua sola loquitur Aristoteles, at solam naturalem quandam ipsius realitatis resultantiam, & propterea argumentum non impugnat positionem nostram, nec allaram solutionem: at peccat per fallaciam æquiuocationis. Ioannes autem Bachon. xxviij. dist. j. q ij. art. iiij. ad secundum, ad demonstrationem Aristotelis, & consequenter etiam ad hoc argumentum respondet, quod, quando Aristot. v. Physic. tex. com. x. ait. relationem nouiter aduenire posse sine subiecti, vel fundamenti

Aduersus responsionem veram. Arist. dicto, datâ instat Magist. Chrisostomus.

Instantia respondet

Ioan. Bachonis, responsio, et bona.

menti mutatione ex sola sui oppositi mutatione, intelligendum id esse, quando relatio præcessit in suo fundamento, quia solum tunc nouiter aduenire dicitur quo ad nouam illam conterminationem cum suo opposito, non autem quantum ad realitatem relationis, quæ præcessit. Et exemplum ad hoc propositum adducit ex quodam Doctore inquiente: Quod sicut lux habet in se naturam perfectam, quia semper est habilis, vt actu illuminet, & quod actu nō semper illuminet, hoc prouenit ex absentia illuminabilis, & posito illuminabili statim illuminat absque omni mutatione, quantum sit ex parte sui, similiter album fundamentum relationis similitudinis, habet in se naturam, qua actu est habile, vt alteri secūdum actum assimiletur, & ob id, in eo nulla requiritur alia mutatio, vt assimiletur, sed sola oppositi præsentia termini. Et hoc quidem, quia illud tale reale, quo habile est, alterum respicere, est in eo secundum se, licet non sub ratione respectus; Et secundum hanc responsionem, diceretur ad argumentum quod relatio, non completur quo ad complementum realitatis, ex ipsa positione termini quia hæc realitas, tota in fundamento præcessit, at completur solum completione formali, ex termini positione. Et ex hac responsione optime diceretur quod relatio aduenit subiecto absque eiusdem subiecti mutatione. At si quispiam obijceret, vt obijcere videtur idem magister Chrisostomus, quia tunc videretur sequi quod cum tota realitas relationis in subiecto præcesserit, nullaque erat in subiecto alia realitas, nisi ipsius fundamenti, igitur nulla erit realis distinctio inter relationem & fundamentum. Ad hoc facile per interemptionem diceretur, negando, quod si realitas relationis præcedat termini positionem, quod idem magnificetur realitas fundamenti. Relatio quippe habet proprium, in, seu propriam initatem, vt eiusdem Ioānis Bacconis verbis vtar, ab initate cæterorum prædicamen

dicamentorum distinctam & ob id aliam realitatem habet à realitate fundamenti. Ista mehercle huius doctoris interpretatio, non ab Aristotelica veritate dissona esse videtur, Idcirco non aspernenda. Postremo respondetur, & iudicio meo pulchriori sanoriq. modo ad Arist. fundamentum super quo tota cōsistit difficultas, & primo dicitur, quod relatio quæq; prædicamentalis, ante sui positionem termini, solum in suo fundamento habet esse virtuale, & inchoatiuum: quoniam in re, fundamentum est relationis inquantum in re est fundamentum vnde nata est sequi relatio, naturali concomitantia posito termino. Dicitur secundo quod potissimum hac in re est annotandum, quod mutari tunc quippiam dicitur, quando formam recipit quam prius nō habuit, actione media ad ipsum terminata, siue cum quispiā albedinem recipit quam prius non habuit, mediante alteratione, seu albefactione ad ipsum terminata; Quando autem formam seu entitatem quampiam susçipit, ad aliquid in ipso præexistens naturali quadam consecutione resultantem, ac concomitantem, tunc haud propriè mutari dicitur, quandoquidem mutatio proprie dicta, actio, ac passio materialiter sit. Et ad hoc exemplum de luce supra inductum, & nunc adducendum, propositum hoc nostrum clare satis ostendit ac roborat. Si nanque (vt nonnulli asserunt) poneretur per possibile, vel impossibile, quod impediretur anima, ne ex ea profluerent eius potentiæ, deinde impedimento remoto, ex ipsa promanarēr. Nunquid homo, ex tali potentiarum efflexu, mutari diceretur? Non hercle, quia non eas ipsas per mutationem mediam ad ipsum terminatam reciperet: at solum per naturalem concomitantiam. Impropriè autem mutari dici posset, vtpote aliquam realitatem complete recipiēs, quam prius incompletam habebat. Hac veritate subsistente ad Aristotelis dictum. v. Physic. tex. x. dicitur quod verè relatio nouiter

Pulcherrima declaratio, veram dicti Aristotelis, intelligentiam aperiens.

nouiter alicui subiecto aduenire asseritur, ob eiusdem subiecti mutationem, quando eidem aduenit, & quo ad suum esse, & quo ad suum fundamentum. Nam tunc vere subiectum transmutatur, eum media actione, aliquam formam acquirit absolutam, quia ad formam respectiuam vt relatio ipsa est, solum per accidens ac secúdario terminatur. Modo Arist. de vera mutatione loquitur quæ semper, ad formam terminatur absolutam non autem relatiuam. Propterea præclare cecinit Arist. relationem alicui subiecto nouiter aduenire posse, absque eius mutatione: quia aduenit non mutata subiecti absoluta forma. Et hic est verus Aristotelis sensus, quem, indistinctionem relationis, à fundamento tutari tonantes, intelligere noluerunt. Ex hoc nanque clarissimo Arist. sensu, limpidissimaque interpretatione, omnis diluitur circa hoc oriens ambiguitas. Quare ad cętera acceda mus argumenta itidem probare contendentia.

Alia obiectio ex alio Arist. dicto.

Arguunt igitur. ij. ex Aristotelis ratione. vij. Physic. tex. com. xvij. qua probat ad primam qualitatis speciem, non esse alterationem, sicuti nec motum: Quoniam in Ad aliquid non est alteratio, sicuti nec motus, at habitus, est ad aliquid. igitur ad ipsam, nec alteratio est, sicuti nec motus.

Ad obiectio facilis responsio.

Adhoc argumentum facillime respondetur, iuxta. D. Thom. doctrinam. vij. Physic. loco citato, & de veri. q. xxj. ar. vj. & . prima. ij. q. xlix. ar. iij. distinguendo minorem propositionem. Nam habitum, qui prima est species qualitatis, esse ad aliquid, bifariam intelligi potest, & primo quidem quod sit ad aliquid siue relatiuum secundum esse, cuius hoc ipsum quod est, ad aliud omnino dicitur: quoniam eius essentia consistit in relatione ad aliud, nempe suum correlatiuum. Secundo vero intelligi potest vt sit ad aliquid, seu relatiuum secundum dici, quod quidem primo & per se, absolutum significat secundario vero respectum, sicut scientia prius qualitatem, quandam

significat

significat deinde respectum connotat ad ipsum scibile. Si igitur minor intelligatur primo modo, falsissima est, & expresse repugnat doctrine. D. Thom. vij. Physic. loco supra citato, vbi sic ait. Non est autem intelligendum quod huiusmodi habitus, & dispositiones, hoc ipsum quod sunt ad aliquid sint, quia sic non essent in genere qualitatis, sed relationis: sed quia eorum ratio ex aliqua relatione dependet. Si vero secundo modo intelligatur, sic ipsa conceditur. Est enim habitus relatiuum secundum dici, quia primo importat qualitatem, quæ est absolutum, deinde, importat ordinem, siue habitudinem ad naturam rei, & ad operationem, inquantum est finis, vel ducens ad finem, ob id in eius definitione inquiebat Aristoteles. v. Metaphy. quod habitus, est dispositio, secundum quam bene vel male disponitur, dispositum, id est secundum naturam suam, aut ad aliud, id est in ordine ad finem, & quatenus relationem connotat, ad ipsum non est alteratio, vel motus. Verum ex hoc minime concluditur quod relatio, suo idemptificetur fundamento. Et cum probatur, quia si relatio fundata super habitum, esset alia res ab habitu, ratio Philosophi non valeret, negatur consequentia, & eum inculcatur, quod ratio Aristotelis non tenet nisi in virtute huius medij, nempe quod habitus, & relatio sunt eędem res, negatur assumptum. Tenet siquidem sua ratio ex vi propositionis assumpte. v. Physic. tex. com. x. scilicet quod in Ad aliquid, non est motus. quæ quidem verissima est sic intellecta, quod in ad aliquid, quatenus ad aliquid est, non est primo & per se motus, at solum per accidens, seu consecutiue, siue concomitanter. Quæ quidem responsio, omnibus similibus argumentis de ad aliquid secundum dici loquentibus, danda est. Hanc eandem responsionem approbat Ioan. Bach. xxvij. dist. j. q ij. art. iiij. ad tertium. Ad id vero quod ab aliquibus adducitur, de relatione equalitatis,

tis, ex dictis. v. Physic. & ex declaratis. iam est clara responsio.

Ad obiectionẽ factã ex dicto D.Th respõdetur

Ad dictum vero. D. Thom. de potentia. q. vij. art. viij. tenentis quod relatio non componit cum eo, cuius est. Dicitur verum esse, relationem, vt relatio est, & secundum propriam rationem quæ solum est ad aliud se habere, & non alteri inhærere, nequaquã cum eo cuius est, compositionem facere, compositionem tamen facit: quatenus accidens, & tale accidens prædicamentale est, cui conuenit proprio inhærere fundamento pariter & subiecto.

Respõsum ad argumenta facta de relatione distantiæ, et duplicitatis, quòd realiter à suo fundamento nõ distinguãtur.

Ad argumenta autem quæ fiunt de relatione distantiæ localis, & duplicitatis, quæ non videntur esse, realiter à suo fundamento distinctę, Assumptum est inficiandum. Distinguuntur enim & ipse, realiter à suo fundamento quod quidem respectu relationis distantiæ localis est ipsum vbi, vt Capreolo placet, loco supra citato. Et cum quæritur an talis distantia acquiratur in tempore vel in istanti, & si in istanti, an immediato, vel mediato. Dicitur quod in instanti mediato. Et cum subinfertur quod cum inter duo instantia mediet tempus, tunc daretur corpus distans sine distantia, neganda est consequentia, quoniam nõ est dabilis prima distantiæ relatio, sicut nec primum vbi, super quo fundatur, sed semper ante quamlibet distantiam, est dare aliam, & sic in infinitum. Et cum rursum arguitur, quod nulla forma extensa, potest in istanti acquiri, assumptum hoc nullum est, quia calor extensus in aqua, vel aliqua parte aquæ, in istanti introduci valet. Ad probationem assumpti negati de duplicitate, quia si duplicitas distinguitur à suo fundamento, scilicet quantitate, aut est tota, in toto, aut tota, in parte. Dicitur, quod est vtroque modo, nec sequitur, quod quelibet pars sit dupla, nec quod partes sint eiusdem rationis cum toto, quia quantitas considerari potest vt continua, & vt discrete modum induit, & ex isto secundo modo,

non

non diuiditur in partes eiusdem rationis, nec quælibet pars duplicitatis est duplicitas, sed quælibet pars duplicitatis, pars est. Hac vero opinione reiecta, ad aliam extremam properemus, quæ, & Aristoteli & D. Thom. & veritati consona certe esse videtur.

Relationem igitur realiter à suo fundamento esse distinctam, ex Arist. fundamentis facile apparet, si ad ea quæ superius dicta sunt & ad ea quæ ex Aristotele. xij. Metaphys. tex. com. xix. & xxviij. haud toruo oculo, respiciamus. vbi Aristoteles vult, alia esse principia relationis prædicamentalis, & cæterorum generum. Si enim alia, & diuersa principia ipsius, & aliorum generum sunt, & aliam essentiam ab alijs distinctam esse, oportet. Hæc autem diuersitas tum principiorum, tum essentię, esse non potest, vel ex ente, vel ex accidente, vel ex entitate reali, quoniam hæc omnia sunt omnibus prædicamentis accidentium communia, sed alia, & diuersa esse dicuntur, per proprium, Ad, reale & proprium esse, in, Hæc enim duo de ratione relationis, prædicamentalis esse conspicimus. Ex doctrina verò. D. Thom. id clare dicimus, & omittendo illud dictum quod profert prima. q. xxviij. art. ij. ad secundum, quo, discrimen ponit inter relatiuum in creaturis, ac creatore, repertum, vbi ait, quod id relatiuum quod in creaturis reperitur, præter id quod continetur sub significatione nominis relatiui, est alia res, in Deo autem minime, quoniam faciliter ad hoc dici posset, quod est alia res quidem à subiecto quod est substantia, non autem à fundamento quod accidens esse potest. Duo tñ adduco præclarissima, & apertissima dicta, quibus haud facillime responderi potest in fugam oppositum tenentes parare molliantur.

Et primum quidem dictum ab ipso. D. Thom. desumptam, est illud, quod. xij Metaphysicæ. tex. com. xix. clarissime habetur ex glosemmate illorum verborum Aristot. Dubitabit vtiq; aliquis vtrum altera

aut eadem sunt principia, & elementa substantiarum, & eorum, quæ sunt ad aliquid, & cuiuslibet cathegoriarum similiter. Inquit enim & ponit speciali ter de adaliquid, quia ea, quæ sunt ad aliquid, remotiora esse videntur à substantia, quàm alia genera, ex eo, quod sunt debilioris esse. Vnde & substantiæ inhærent, mediantibus alijs generibus, sicut æquale, & inæquale, duplum, & dimidium, mediante quantitate. Mouens autem, & motum, pater, & filius, dominus, & seruus, mediante actione, & passione, & hoc ideo, quia substantia est per se existens, quantitas autem, & qualitas sunt entia in alio. Sed relatiua non, solum sunt in alio, sed ad aliud. Si igitur ea, quæ sunt ad aliqd remotiora sunt ab ipsa substantia quã cætera accidentium genera, nec inhærere queunt, eidem substantię nisi mediantibus alijs generibus absolutis, sequitur mehercle quod inter esse, ipsius ad aliquid, & esse ipsius substantiæ; medient alia genera, in quibus certe relatio fundatur. Quæ quidem genera sunt quantitas, & qualitas, actio pariter, & passio, & sic necesse est relationem ipsam, à fundamento realiter distingui, Cum impossibile sit, idem esse mediatum, & immediatum, propinquum & remotum. Quod quidem accideret de relationibus fundatis in quantitate: quia si tales relationes idemptificarentur ipsi quantitati, vti eius fundamento, essent immediate ipsi substantiæ inhærentes. Cum autem ex dicto ipsius. D. Thom. nequeant inhærere eidem substantiæ nisi mediante alio genere accidentis, tunc mediate inhærerent, & sic sequeretur posita ipsa idemptitate, quod mediate, & immediate ipsi substantiæ inhærerent, quod contradictionem implicat.

Aliud vero eius dictum habetur. iiij. Contra gent. cap. xiiij. videlicet quod esse relationis substãtię aduenienS, postremum & imperfectissimum esse habet. Postremum quidem, quia non solum præexigit esse substantiæ, sed etiam esse aliorum accidentium,

tium, ex quibus cauſatur relatio ſicut vnum in quantitate, cauſat æqualitatem, & vnum in qualitate, cauſat ſimilitudinem, Imperfectiſſimum vero, quia propria relationis ratio, conſiſtit in eo, quod eſt ad alterum. Nonne ex hiſce. D. Thom. verbis, clariſſimum euadit, relationem, à ſuo realiter ſeiungi fundamento, quia ſi eſſe relationis neceſſario præexigit nedum eſſe ſubſtantiæ verum, & eſſe aliorum accidentium, ex quibus cauſatur, quonam modo idemptificabitur eiſdem accidentibus? Hoc quippe implicat, vt relatio ipſa cætera accidentia, ipſam fundantia, præexigat, & præſupponat, & eiſdem realiter idemptificetur.

Rurſus ſi eſſe relationis cauſatur ab ipſis accidentibus, qui fiet, vt effectus, ſuæ cauſæ, ſit realiter idem? Hæc enim expreſſe contradicunt, quod relatio cauſe tur à ſuo fundamento & vna res cum ipſo ſit. Quod ſi quiſpiam fortaſſe hanc realem diſtinctionem euadere volens, ad. S. Thom. dictum, diceret. D. Th. cum inquit quod relatio præ exigit eſſe aliorum accidentium, & inter ipſam, & ſubſtantiam, mediare alia accidentia, ipſum intelligere velle, non de reali, at formali ſolum mediatione, vti dicere videntur ad uerſarij, & de præexigentia formali, non item reali; Animaduertat reſponſionem hanc, eiuſdem. D. Th. doctrinæ expreſſe repugnare, quoniam. D. Thom. non de rationibus relationis, at de eſſe reali ipſius relationis, & fundamenti quod ipſi ſubſtantiæ addunt, apertiſſime loquitur, & ſic dicere, potius fuga eſt quàm vera reſponſio.

Amplius id liquet, quoniam inquit, quod ea quæ ſunt ad aliquid, remotiora ſunt à ſubſtantia quam alia accidentia abſoluta, ſecundum ſuum eſſe, & inhærent eidem ſubſtantiæ, mediantibus præfatis acciden tibus. Eſſe igitur remotiora ſecundum eſſe, & inhærere ſubſtantiæ, medijs actidentibus, id ad eſſe reale non formale, ad inhærentiam, & mediationem rea-

lem, non formalem, omnino spectat. & similiter de præexigentia dicitur, quia non de formali at reali loquitur. Quod verum esse conuincitur quoniam subdit, esse relationis, ab esse, aliorum accidentium causari, quod de esse formali intelligi minime potest. Videtur itaque ex omnibus his ante dictis, ad aures. D. Thom. tenendum esse, relationem prædicamentalem, realiter, à suo fundamento distingui.

Et hæc de quæstione hac dicta sufficiant.

Quæstio. De Impossibilitate causarum perfectarum siue totalium eiusdem generis, ac ordinis eiusdem, respectu vnius numero effectus.

VAERITVR, Num idem effectus numero, possit à duabus, vel pluribus causis perfectis, siue totalibus, eiusdem generis, eiusdemque ordinis, immediate proficisci, ac esse. Et quamquam quæstio hæc tractari possit pure Metap. ac naturaliter, vt tãgitur ab Arist. v. Metaphys. tex. com. ij. & . ij. Physic. tex. com. xxx. & à Doctoribus hisce in locis, nihilominus quia tractatur etiam à Theologis, præsertim à D. Thom. j. q. lij. art. iij. & . iij. q. lxvij. art. vj. & . lxxxij. q. art. ij. & à Reuerendissimo Caietano his in locis, Rursus ab eodem. D. Thom. iij. Contra Gen. cap. lxviij. & Magistro Francisco Ferrariensi ibidem, & à Capreolo. ij. sent. dist. ij. q. j. concl. iij. & dist. xx. q. j. in responsione ad tertium Sco. contra tertiam conclusionem, propterea vniuersaliter tractabitur, vt completior luculentiorque habeatur doctrina, & ne de eadem re, contingat multotiens tractationem facere.

Vtque huiusce quæstionis veritas, clarius elucescat, sic procedemus, Nam primo terminos in ipsa qõne positos, elucidabimus, deinde nonnullis conclusionibus veritatem ipsam perstringemus, quas & declarabimus. iij. difficultates omnes emergentes in medium adducemus, & easipsas pulcherrime dissoluemus.

Quo ad primum annotandum est, quòd & si quã

 doque

doque vnus idemque numero affectus possit ab omnibus causarum generibus promanare, nempe à causa materiali, formali, efficiente, & finali, sicuti sortes genitus, qui absque materia formaque propria, & absque efficiente proprio, ac fine, esse nequit, nihilominus non de tali effectu ad præfatas omnes causas comparato, in hac quæstione loquemur, at solum de effectu eodem numero, per comparationem ad vnũ causæ genus, nempe ad genus causæ efficientis loquendum erit, quoniam in hoc potissimum genere causæ, difficultas insurgit, Annotandum quoque est, quòd in hoc genere efficientis causæ, quædam, diuersi sunt ordinis, & quædam ordinis eiusdem, Illæ, diuersi sunt, ordinis, quæ inter sese specie, differunt, & essentialiter ita vt vna illarum, semper sit alia perfectior, atque præstãtior, vna, superior, inferior, alia, quæ & dicuntur essentialiter ordinate sicuti contueri licet in causis istis inferioribus specificis, corporibus cœlestibus, intelligentijs, ac prima causa. quarum vna, alia semper & præstantior, & superior est, nec postrema causare seu producere valet quippiam, superioribus non causantibus; Ille vero dicuntur eiusdem ordinis esse, quæ eiusdem speciei sunt, sicuti sunt particulares homines, quorum vnus, non est alio nobilior, quo ad gradum essentialem quandoquidem in gradu differentiali omnes conueniant. Annotandum est rursus, quòd inter has causas eiusdem ordinis, quædam totales ac perfectæ esse dicuntur, quædam partiales & imperfectæ, & totales quidem ac perfectæ vocitantur, quoniam ex se ipsis, & ipsarum vnaquæque ad producendum suum effectum, sufficiens est, ita vt non indigeat alia eiusdem speciei causa, concausante. Partiales vero & imperfectæ nuncupantur ille omnes, quarum vnaquæque ad sui effectus productionem insufficiens est, & propterea in tali productione, aliam vel alias coexigit vt videre libet in magne nauis tractu, in quo non vnus

Quæ causæ eiusdẽ ordinis sint, quæ ue diuersi

Causarũ eiusdẽ ordinis, quædam totales, et quædam partiales, existunt.

vnus sufficit homo at plures necessario concurrunt, Istarum demum causarum efficientium quædam immediate immediatione suppositi respectu sui effectus, esse affirmantur, & quædam mediate, Ille immediate asseuerantur inter quarum suppositum, & effectum producendum, nullum aliud mediat suppositum, & istiusmodi dici possunt causæ eiusdem ordinis siue speciei quæ particulares sunt, Mediate vero sunt inter quarum suppositum & suum effectum, aliud mediat suppositum, sicuti inter corpora Celestia, & effectus particularium causarum, mediant ipsarum propria suppositа; Et ne in huius quæstionis processu, errare contingat, ex diuersa quandoque verborum locutione, vel titulo, id diligentissime attendendum est, quæsitum superius, nō aliud esse ab isto, nempe num plures causæ totales, ac perfectæ, eiusdē generis, eiusdemque ordinis, possint immediate ad productionem vnius effectus numero, concurrere; Ambo enim quæsita pro eodem accipiuntur, & iccirco vtroque istorum vti possumus, & vno declarato reliquum constat.

Efficientium causarum, nō nullæ immediate sūt immediatione suppositi, nō nullæ mediate.

His sic præl batis, ac degustatis ponitur hęc prima conclusio.

Vnius eiusdemque numero effectus possunt esse plures immediate causæ, eiusdem generis, ac eiusdē ordinis, partiales.

Hæc conclusio adeo ex se perspicua est, vt nulla egeat probatione at solum exemplo. Constat enim quòd in columne tractu, seu motu, non poterit quispiam præ illius magnitudine eam ipsam mouere vel trahere, cui si addantur sex alij, vel octo, ipsam, & mouebunt, & trahent: & cum hij omnes sint eiusdē generis ac ordinis, & immediati, respectu talis motus, & tractus, nec vllus valeat ex se, ipsam, trahere, ob id omnes, partialiter concurrent, & partialia erūt agentia.

Secunda est, vnus idemque numero effectus ne-

quit à pluribus per se causis totalibus, & perfectis, eiusdem generis, ac ordinis eiusdem, immediate produci, siue quod idem est; Nequeunt plures causæ per se, perfectæ, & totales, eiusdem generis, ac eiusdem ordinis, vnum eundemque numero effectum, immediate producere.

Sicut potētia, seu possibilitas est duplex, naturalis, scilicet, et logica, ita impotētia siue impossibilitas.

Et ad huiusce conclusionis claritudinem, illud annotandum est, quòd sicuti est duplex potentia siue possibilitas, naturalis, videlicet, & logica, ita duplex est Impossibilitas, Potentia naturalis, siue possibilitas, ea est, quæ in omnem effectum sibi naturaliter correspondentem, & nullatenus sibi repugnantem, omnino potest, ni, à superiori præprediatur agente, sicuti dicimus, quòd potentia naturalis ignis, est vt possit calefacere omne calefactibile, nisi talis potentia à sui effectus productione ab aliquo naturali vel supernaturali agente impediatur quæ reuera impediri potest, Dicitur vero Impotentia siue impossibilitas naturalis, illa, quando potentia non potest, effectum, suam virtutem excedentem, vel ad eandem repugnantiam habentem, producere, sicuti dicimus nullam esse potentiam naturalem, quæ possit hominem omnino corruptum, ad vitam reuocare, dicimus & ignem, non posse frigefacere, quoniam alterum istorum, naturalem quamcunque potentiam excellit, alterum vero repugnantiam dicit, Potentia autem logica ea est & dicitur, vt ab Arist. v. Metaph. tex. com. xvij. declaratur, quæ circa compositionem, ac diuisionem existens, eius contrarium non ex necessitate falsum existit, vt hominem sedere, possibile logicum est, quoniam non sedere, non ex necessitate falsum est, Et dicitur Potentia hæc logica, potentia non repugnantiæ; Vbi enim nulla est terminorum in compositione, vel diuisione, repugnantia, siue contradictio, ibi est logica potentia; Impossibilitas autem logica, ea est, cuius contrarium ex necessitate falsum existit, vt diametrum commensurabilem esse

coste

coste quadrati vel hominem, irrationalem esse, Impossibile logicum est, quandoquidem harum propositionum, contrarium suum ex necessitate verum sit, Diametrum quippe incommensurabilem esse costæ quadrati, & hominem rationalem esse, necessaria veritate gaudent: Cum igitur in præfata asserimus conclusione. Non posse vnum eundemque numero effectum, à pluribus causis totalibus, & perfectis, eiusdem generis, ac eiusdem ordinis, immediate produci, vel easdem causas, eundem quoque numero effectum, non posse immediate progignere, de naturali impossibilitate, non autem logica, loquimur; Et dicimus, quòd si idem numero effectus à pluribus causis totalibus, eiusdem generis ac ordinis eiusdem, immediate produceretur, non contradictio quidem implicaretur, vt nonnulli falso arbitrantur, at in causis ipsis, superfluitas argueretur vt optime, inquit Reuerendissimus Caietanus. j.q.lij. art.iij. Quod pulcherrime declaratur. Quia si vna plurium causarum prædictarum, est omnino sufficiens ad productionē talis effectus vnius numero, superuacaneum sane est, & superfluum, plures alias adhibere, & addere causas, Quod enim per pauciora fieri potest, & æque bene, per plura fieri non debet, inquit Arist. j. Physic. Si autem vnus effectus, à pluribus prædictis causis produci ponatur, tunc cum adinuicem vniantur, in vnamque coeant causam, multo præstantiorem ac nobiliorem, effectum producent, quem certe vna ipsarum sola, producere nequiret. Multiplicata enim virtus actiuæ potentiæ, necessario effectum producit excellentiorem, quàm non multiplicata; Et id adeo rationi est consonum, vt in hoc, nemo hæsitare debeat.

Aduersus conclusionem præfatā, physicis ac Theologicis, arguitur argumentos.

Verum aduersus conclusionem hanc, & Physicis & Theologicis argumentis, instari potest; Et physicis quidem arguit Scotus. dist. xx. ij. sent. quæst. ij. Inquit enim, Sumamus minimam materiam naturaliter

liter exuſtibilem, ſumme ad combuſtionem diſpoſitam, nempe ſtupam, ſibiq́ue naturaliter, vel per diuinam potentiam, duo vel tres approximentur ignes, ac in eodem ſitu per Dei potentiam, tunc hoc caſu poſito, poteſt ipſa ſtupa à quolibet prædictorum ignium, in eodem ſitu exiſtentium, alio ammoto generari, & etiam ab omnibus ſimul ſumptis, vt arguũt alij, Igitur vnus effectus numero, à pluribus cauſis totalibus, eiuſdem generis, ac eiuſdem ordinis, poterit prouenire; Hoc idem ſequitur ex duobus corporibus luminoſis eidem numero paſſo, putà eidem diaphano approximatis, Erit quippe eadem numero illuminatio; Theologicis vero ſic arguitur ad mentem. D. Thomæ. Nam ſuſtinet. D. Thomas. iij. q. lxvij. art. vj. quòd aliquo in caſu, nempe alicuius rixe, poſſunt duo ſimul vnum baptizare, vtroque ſimul illũm immergente, vel aſpergente, ac vtroque veram formam ſimul exprimente, cum intentione eum ipſum baptizandi? Hoc namq́ue in caſu, non aliud ac aliud, traderetur ſacramentum, at vnum dũtaxat numero baptiſma. Itaque cum iſti duo baptizantes, ſint duæ cauſæ totales, vt patet, quoniam poſſet vnuſquiſque iſtorum, per ſe immediate baptiſma conferre, ſintq́ue eiuſdem generis, ac ordinis eiuſdẽ, vtpotè eiuſdem ſpeciei, ob id, ſequitur quod hæ duæ cauſę totales, producere valeant vnum eundemq́. numero effectum. Tenet quoque. q. lxxxij. eiuſdem. tertiæ partis. art. ij. quòd plures ſacerdotes cum ab Epiſcopo ordinantur, poſſunt vnam eandemq́ue hoſtiam, quam conſecrat epiſcopus, & ipſi conſecrare. Conſtat autem plures ſacerdotes nouiter ordinatos, cauſas eſſe efficientes, eiuſdem ordinis, & totales, & nihilominus eundem producere effectum numero, nempe eandem hoſtiæ conſecrationem; Qua re idẽ quod prius.

Ad argumenta reſpõdetur. His obiectis, quę non modicam videntur apparentiam habere, reſpondendum eſt, Et ad primum quidem

dem physicum, & naturale, à diuersis diuersimode respondetur. Et quantum ad id quod à Scoto dicitur quòd vnus numero ignis, posset à quolibet duorum vel trium ignium progenerari, negandum est, tum quia diuersa agentia perfecta, & totalia, diuersas omnino habent ac distinctas numero actiones, & distinctæ actiones, ad terminos numero distinctos, qui earumdem actionum, effectus sunt, terminantur, & propterea nequiret ignis vnus numero genitus, ab vno duorum, vel trium ignium, ab alio generari. Tum quia Aristotele teste. viij. Metaphys. tex. com. xij. ex diuersis agentibus totalibus, diuersisque materijs proximis, diuersi producuntur effectus, Tum quia si ignis eidem, ab vna causa totali genitus, posset ab alia causa totali per se gigni sequeretur, quòd effectus naturalis determinatus, causam determinatam non haberet, & quòd talis effectus à sua per se causa, minime dependeret, quæ cum absurda sint ex. v. Metaphys. ac. ij. Physic. vbi causarum ac effectuum comparationem docet Arist. ob id, falsum assumit Scotus; Cum autem ab alijs quæritur an duo vel tres ignes totales ac sufficientes ad comburendam stupã summe dispositam, & æque illi approximati, illam ipsam comburerent, necne, & an ignis ab his pluribus genitus, si admittamus hosipsos posse stupam combu rere, sit ne idem numero cum illo, qui ab eorum singulo gigneretur. Respondet Magister Chrisostomus quo ad primum. v. Metaphys. q. vij. respuens, tum Capreol. xx. distin. ij. sent. q. j. ad argumenta Sco. & Ocham. tum Pauli Soncinatis responsionem. v. Metaphys. q. vj. & inquit quòd tales ignes totales, prædictam stupam minime comburerent, non quidem, quia ipsa esset indisposita, vel quia ignes non essent debite approximati, at quoniam implicaretur contradictio, ex eo quòd daretur effectus qui à nulla suarum causarum dependeret, supposita earundem totalitate, & sufficientia: Verum quòd hęc responsio falsa

Responsio Magistri Chrisostomi, respõsionem, tũ Capreoli, tum Pauli Soncinatis refutantis.

Reprobatur præfata responsio.

falsa sit, ex eo suadetur. Quia cum tales ignes, agentia sint naturalia, ac ex naturæ necessitate operantia, quæ non agere, nequeunt, ob id combustibili dispositio, approximati, actionem ac effectum necessario producunt. Nec est verum ad id sequi contradictionis implicationem, quia non ponimus (vt ipse fortassis, arbitratur) ignem à talibus, genitum, ignibus, eundem esse numero cum igne qui à singulo illorum igni posset, sed solummodo eundem specie, quoniam ignis à præfatis tribus progenitus, esset multo præstantior ac intensior ex triplicata maiori virtute. Et hoc est quod aiunt nonnulli, quòd tales ignes, vel talia etiam corpora luminosa, de quibus etiam supra mentionem fecimus, non agunt vt tres ignes, vel vt duo luminosa, at vt in vnum coeunt ac vniuntur ad præstantioris effectus productionem, quem sanè effectum nequiret illorum singulus ignis, vel vnum luminosum progignere, Et licet dicantur causæ totales respectu talis, effectus, tantam virtutem, exigentis, ac exposcentis, haud tamen totales dici queunt respectu effectus, à duabus vel tribus causis, producibilis, quia vnius causæ virtutem excedit. Quare in hoc mea sententia fuit omnino deceptus; Nec minus etiam hac in re deceptus est Reuerend. Caietanus. iij. q. lxvij. art. vj. dum asseruit quòd si duo agentia infra limites naturalis rationis sistendo, æque approximarentur eidem omnino patienti, nulla inferretur per se passio, quia implicarentur duo simul contradictoria, Id enim falsum etiam secundum ipsum, loco supra citato iam proditum est, & propterea melius idem sentit. prima parte. q. lij. art. iij. dū hoc in casu asseruit nullam sequi contradictionem; Nec mihi sanè iam facit Reuerendissimus Magister Franciscus Ferrariensis. iij. Contra Gent. cap. lxvij. respondendo ad casum de duobus corporibus luminosis eiusdem omnino virtutis, & æque potentibus idem medium summe dispositum, illumina re,

Reprobatur & Reuerendiſ. Caietani reſponſio.

Melius ſenſit Caietanus. 1. parte. quam ij

Reprobatur quoq; Magiſtri Franciſci Ferrarienſis opinio

re, si debite sint approximati, dum ait, quòd tali in casu, aut nullum ipsorum aget, vno, alterum, omnino prohibente, aut neutro sua virtute totaliter vtente, scilicet ambobus ad illum effectum, tanquam partialibus causis concurrentibus, Non enim mihi perspectum est satis, quonam modo valeant hæc duo luminosa à propria naturaliq́ue operatione desistere cum ad illuminandum adeo propensa sint, vt non nisi supernaturali virtute, ab eisdem illuminatio auferri queat, nisi admittamus propriam passionem à proprio subiecto naturaliter posse seiungi qđ mehercle impossibile est; Negamus sanè quòd alterum, reliquum præpediret, cum ambo ad vnum effectum producendum, & inclinentur & concurrant, non eum tamen, qualem, vnum dumtaxat luminosum produceret. Nec rursus est admittendum, talia duo luminosa non agere secundum totam virtutem suam, seu non totaliter ea ipsa vti, quoniam id agenti naturali, libero agenti, condistincto, omnino repugnat, Agunt quippe talia agentia secũdum totum posse suum, & id inficiari, est inficiari naturam; Postremo dici potest casum prædictum non esse possibilem, si de naturali potentia loquamur, quoniam vt etiam mihi arridet Reuerendissimus Caietanus. prima parte, vbi supra ad tertiam rationem respondendo, naturaliter fieri negat vt duo agentia naturalia perfecta, eiusdem generis, ac ordinis eiusdem, sint æque approximata immediate vni eidemq́ue passo, secundum rationem eandem, & iccirco nec ad diuinam recurrendum est potentiam, nec ad fictiones, ad quas nonnulli confugium habent. Ad alia argumenta Theologica, & ad secundum in ordine quo probabatur, posse plures simul vnum baptizare vti astruit. D. Tho. vbi supra, & ita videbatur plures causas totales eiusdem generis, ac ordinis eiusdem, concurrere ad vnius numero effectus productionem, dicitur quòd quia vnitas effectus, virtutis agentis vnitatem

Ad argumenta Theologica, responsum.

Causarũ totalium, eiusdẽ generis, ac ordinis eiusdem nõnullæ, virtute propria, nonnullæ aliena agunt.

vnitatem sequitur, a qua causatur, ob id, eum de causis productiuis totalibus quæ eiusdem generis ac eiusdem ordinis sunt, respectu alicuius effectus producti vel producibilis, loquimur, distinctione vtendum est, Nam harum istiusmodi causarum nonnullę propria agunt virtute, nonnullæ verò aliena; Et illæ quidem quæ propria vi, propriaque virtute operãtur si omnes sint perfectè totalesq. causæ eiusdem generis, ac ordinis, nequeunt eundem numerò effectum, immediate producere quem vna sola produceret, ratione supra iam dicta. Ille verò quę aliena operãtur virtute, præsertim diuina, vti in proposito cernimus, plures, vnum eundemque numero hominem, baptizantes, qui virtute Christi seruatoris nostri, veri Dei, verique hominis, sacrum baptisma conferunt, possunt vt, causæ totales, eiusdem ordinis, ad antedictum numero effectum concurrere, quia & si causæ totales sint, & plures, quia tamen instrumentarie sunt, & Christi virtute qui vnus duntaxat est, operantur, propterea, vnum numero effectum producere possunt; Valet quippe Christus, vt potè Deus & homo, ob ineffabilem eius virtutem pluribus causis instrumentalibus, & totalibus eiusdem ordinis, vt vna, vti, ad præfatum effectum perficiendum; At si quispiam obijceret quòd plures isti baptizantes, vt pote causę totales, possunt quantum sit ex multiplicatis per se actionibus, inducere per se diuersos ac plures effectus, pluraq. numero baptismata, & per accidẽs solum esse, vt vnum duntaxat conferant baptisma, ex vno scilicet numero receptiuo, dicendum est id verissimum esse, quia per se loquendo, plures tales baptizantes, si plura ad essent passa, seu plures baptizandi, plura baptismata conferrent, & per accidens solum est, vti obijciebatur, quòd non plurificentur, Ex his autem liquet argumentum ob id concludere, quia diuinam immiscet virtutem, nos autem loquimur de causis, & agentibus naturalibus, ac naturali-

ter

ter effectum producentibus. Et ideo non militat aduersus conclusionem. Ex dictis quoque potest ad tertium argumentum, & obiectum facile responderi, Nam admittimus duos sacerdotes vel plures posse vnam eandemque numero hostiam consecrare, vt optime deducit. D. Thom. & id veritas comprobat, verum cum actiones hæc, & effectus producti, virtute diuina fiant, non inconuenit vt vnus duntaxat per accidens effectus, producatur, non autem per se, quia per se actiones, quæ dei virtute à pluribus sacerdotibus eliciuntur, ad diuersos pluresque effectus, numero distinctos, terminari deberent, at quia vna duntaxat hostia est, propterea vnus solus numero effectus, producitur; In hoc enim Christus Dominus, cæteris præstat agentibus naturalibus, vt ipse solus, duobus vel pluribus instrumentis totalibus, eiusdem ordinis, veluti vno, simul vti pulcherrime valeat. Hinc patet Caietanum alioquin virum doctissimum falsum asserere dum inquit, iij. quæst. lxxxij. art. ij. plures sacerdotes nouiter ordinatos, posse quidem de possibili, non autem de facto vnam eandemque hostiam consecrare patet & expresse. D. Thom. contradicere, quoniam tenet ipse. D. Thomas, tales sacerdotes omnes nouiter ordinatos, episcopo concelebrare, & cum ipso simul eandem hostiam consecrare; Rationes autem quibus mouetur ipse Caietanus, nullius sunt roboris, vt patet cuilibet eas legenti ac intelligenti, quinimò ratio ab ipso adducta, de Episcopo nouiter consecrato, quòd Episcopo consecratori, concelebret, & consecret, simul eandem materiam, est contra ipsum, quoniam sacerdotum nouiter ordinatorum, & ipsius episcopi nouiter consecrati, quo ad consecrandi potestatem, eadem penitus est, & propterea si Episcopus nouiter consecratus concelebrat & consecrat, & ipsi sacerdotes nouiter ordinati, concelebrabunt pariter & consecrabunt, Nam Episcopus alta voce,

&

& morose, consecrationis verba, dicit, vt cum ipso, sacerdotes simul eadem verba dicant. Huiusce igitur secundæ conclusionis veritas, permanet inconcussa.

Ex hac vero conclusione secunda, sic enucleata, tertia deducitur quæ est, Quòd plures Angeli in eodem loco formaliter simul, esse nequeunt, vt aperte. D. Thom. j. q. lij. art. iij. ex prætacta veritate commonstrat, & clarius etiam ostenditur. Nam Angeli non in loco circumscriptiue, cum quantitate molis careant, penitusque immateriales sint, at definitiue solum sunt, quia ita determinantur ad hunc locum, quòd non ad alium, cum finitæ sint essentiæ, finiteque virtutis, Definiuntur vero ad hunc locum, & non ad alium, per applicationem sue virtutis, siue per operationem, quia ibi sunt, vbi operantur, & si nullibi operantur, nullibi sunt, sicuti tenet omnium sapientum cœtus, dum aiunt, incorporalia nõ esse in loco, quod sanè intelligitur de loco proprie dicto, non autem metaphorice: Cum autem vnusquisque Angelus sit causa totalis, & completa, ac per se sufficientissima, absque alterius suffragio, aliquo in loco esse vel locato, possitque aliquem effectum, vnum numero producere, profecto superfluum foret ponere in eodem loco formali, alium Angelum operantem; Esse autem plures Angelos in eodem loco formali, est eos, non esse in eodem loco simpliciter siue operari in eodem loco simul secundum diuersas partes, vel in eadem parte diuersos effectus, at se in eodem toto loco adæquato, vel in eadem parte loci, totaliter & adæquate eundem numero effectum, producere, Et quia hoc naturaliter impossibile est, igitur impossibile erit plures naturaliter eodem in loco adæquato totali, & formali esse posse, Amplius si id admitteretur, sequeretur operationum angelicarum confusio. vt. D. Thom. xxxvij. distinct. j. sent. quæst. i j. art. iij. ad primum expresse

Quid sit, plures Angelos esse in eodem loco formali.

astruit,

astruit, quod sanè, modo quodam, in virtutis angelicæ ac essentiæ confusionem redundaret. Nec hisce obstat dictis, obsessus ille à domino curatus, in quo erat vna demonum legio, qui omnes hominem ipsum excruciabant, non obstat, inquam, quoniam & si omnes in vno eodemque corpore essent, haud tamen ibi erant, vti in vno proprio loco, & formali, at pluribus, quia pluribus in partibus illius corporis operabantur, dum ipsum penes diuersas partes excruciabant, aut aliud quippiam agebant. Hæc sunt quæ mihi hac in quæstione dicenda occurrunt Saluo semper meliori aliorum iudicio.

Ad instantiam quæ fieri posset responsio.

Quæstio de Creatione. Num secundum philosophos sit danda, & admittenda.

VAERITVR. Num secundum vera philosophiæ, ac Aristotelis principia, eiusq. Commentatoris Aueroys, creatio possibilis sit, & admittenda. Et quoniam quæstio hæc nedum difficilis, at difficillima est, non solum ob opinantium philosophorum diuersitatem, verum ob non facilem ipsius creationis penetrationem, eapropter pro viribus enitendum est, vt eam ipsam clare, dilucide, copioseque tractemus. Quod vt facilius consequamur, hoc ordine procedemus, Primo nanque quid creationis nomine, intelligatur, ac quotuplex sit, enucleandum est, Secundo vnum quod ad huiuscemodi creationis claritudinem facit, & sine quo eius notitia haberi minime potest, nempe num Deus Optimus Maximus vera sit omnium rerum cum materialium, tum immaterialium, causa efficiens, nedum finalis, dilucidandum est, Tertio probabitur duplicem creationem, peripatetice fore admittendam; Postremo difficiliora adducentur argumenta quæ & pulcherrime soluentur.

Tractãdo rũ series.

Quid creatio sit pulcherrime declaratur.

Quo ad primum itaque dicimus creationem secundum propriam nominis significationem, importare actionem effluxum, ac productionem, per quã, ex nihilo, fit aliquid. At ex nihilo quippiam fieri bifariam intelligi potest, & primo quidem vt asseramus ex nihilo tanquam ex propria materia aliquid fieri, & is sensus falsissimus extat, quoniam nihil &

non

non ens, actionis subiectum esse nequit; Id enim proprie subiectū ac materia alicuius esse dicitur, ex quo vel ex qua aliquid fit, cum inficiat, vt. j. Physic. testatur Arist. & secundo eiusdem tex. com. xxviij. & . v. Metaphys. tex. com. ij. Potest secundo intelligi vt ex nihilo, id est post nihil quippiam efficiatur, & ex hoc loquendi modo, solus denotatur ordo, non quidem affirmatiuus, at negatiuus, vt sit sensus, creatio est alicuius rei, ex nihilo, id est non de aliquo, seu nullo sui præsupposito, productio, & hic sensus germanus est. Talis autem prædicta creatio duplex est, altera, absque essendi nouitate, cum nouitate essendi, altera; Et prima quidem taliter appellitatur, quia res ex nihilo producta, non prius duratione, at natura duntaxat, habuit non esse, & est dictu, quod & si eterna sit duratione, haud tamē independens est, ne cogamur plura improducta ponere, igitur necessum est, fateri, eam ipsam non ex se esse, at illud, ab alio suscipere, vti infra declarabimus Secunda creatio, cum essendi nouitate nominatur, quoniam res per ipsam, ex nihilo ita producitur, vt eius non esse, duratione esse præcedat. *Creatio duplex, et quæ vtraque sit.*

Quo ad secundum in quo & maxime philosophi laborant, scilicet sit ne Deus Optimus Maximus. Intelligentiarum, corporum cœlestium, ac omnium sublunarium, effectiua causa, nedum finalis.

Dicendum est ad hoc quæsitum oportere prorsus admittere, deum ipsum quē philosophi primam causam, primumque principium appellant, esse prædictorum omnium causam effectricem, nedum finalē; Nam causam esse finalem omnes admittunt, nec in hoc vllatenus philosophi dissentiunt. Primum autem quod plurimi inficiantur, probandum est, & Aristotelis pariter & Commentatoris non vna atque altera auctoritate, sed pluribus, deinde naturali physicaque ratione. Extat nanque. j. Arist. auctoritas physicorum. viij. tex. com. xv. vbi redarguens, Empedoclem

pedoclem & Democritum ponentes, eorum quidē quæ de nouo apud nos esse incipiunt, aliquam causam fore effectiuam, at eorum quæ semper exiſtunt, nullam prorsus esse, ait, Quod autem in omnibus, non rectè. Etenim trigonum semper habet duobus rectis æquales angulos, sed tamen est perpetuitatis huiusmodi, altera causa. Quibus ex verbis clare elicitur perpetuorum sempiternorumue entium vti sunt intelligentiæ, ac corpora cœlestia, productricem causam esse posse. Nec Gregorij Arriminensis acceptanda est Gloſſa quam huic dat textui. distin. j. ij. sent. q.j. art.j. inquientis ac interpretantis præfatum textum de complexis solummodo esse intelligendum, quoniam de triangulo, tres angulos duobus rectis æquales, habente, quæ est demonstrationis conclusio, & sempiterne veritatis, loquitur Arist. nō item de incomplexis, & supposito quoque quòd de incomplexis verba faceret, hanc inficiandam esse cōsequentiam dicit, videlicet sempiterna entia & incōplexa causam habent, igitur efficientem, Sufficit quippe (inquit ipse) vt finalem habeant causam ad quam pulcherrime ordinantur, non autem aliam, non est (inquam) hæc interpretatio acceptanda, quia textui non consonat, & declaratur; Quia & si Aristot. ad suum probandum intentum aduersus prædictos antiquos, in vno exemplificauerit complexo, quo conuincuntur, non repugnare eternis causam effectricem habere, nempe principia ipsa demonstrationis, quæ ex. ij. Physic. tex. comm. xxxij. à. D. Thom. quo ad vim illatiuam conclusionum ponuntur in genere causæ efficientis, nihilominus principaliter intendebat Arist. de incomplexis loqui, quoniam aliter non argumentatus fuisset aduersus iam dictos philosophos, & præcipue aduersus Empedoclem, in quientem, nullam causam fore assignandam, cur lis pariter, & amicitia, semper & perpetuo, alternatimq. motum causabant æquis temporibus; Nam cum motus

Reprobatur Greg. Arriminē sis, interpretatio, quam dat Aristoteli textui.

motus ab ite, & amicitia perpetuo causatus, res sit incomplexa, noluerit̃que quærendam esse causam huiusce perhennitatis motus,& merito ab ipso tedar guatur Aristotele, inquiente, & rem sempiternam, vti motum, habere causam effectricem, hinc optime deducitur, Aristotelis intentionem fuisse, de re incõplexa, nempe de motu ipso loqui,& hunc licet ęternum, causam habere productiuam. Et cum rursus inquiebat Gregor. consequentiam præfatam esse nullam, videlicet ens aliquod habet causam ergo effectiuam, dicimus non quidem formaliter valere, at materialiter & in propria sistendo materia, quoniam sermo, illo in textu, est solum de causa efficiente, vti cuilibet ipsum legenti, patere facile potest; Et propterea egregie ac diuine admodum. D. Thom. præclarissimus ac fidissimus Arist. expositor, annotandum duxit, super prædicto textu, quòd quia ex. ij Metaphys. tex. com. iiij. eadem est rerum dispositio in esse,& in veritate, ob id, sicuti nonnulla semper vera, habent suę veritatis causam, ita nonnulla sunt semper entia, veluti corpora cœlestia & Intelligentiæ seu substantiæ separatæ, quę suę entitatis causam effectricem merito habent. Hincque etiam pulcherrime deducit idem. D. Thom. quòd etsi mundus ab Aristotele creditus sit ęternus, idque firmiter tenuerit, haud tamen inficiatus est, deum ipsum esse ipsi mundo causam essendi, quandoquidem ipsius vera causa sit & non solum modo eius motus, vt quidam falso astruxere. At si quispiam occurreret, inquiens dictum Arist. verificari quidem etiam de causa effectiua respectu entis ęterni successiui, quale est motus, cum nequeat esse sine motore, non autem respectu entis permanentis, dicendum est, Arist. dictum in vtroque ente verificari, vti infra magis clarescet. Adducitur & illud Arist. dictum irrefragabile huius prætactę veritatis fundamentum ex. ij. Metaphys. tex. com. iiij. vbi dicitur. Vnumquodque maxime ipsum

Impugnatio cuiusdam falsę responsionis.

sum aliorum dicitur, secundum quod etiá alijs ineſt vniuocatio, puta ignis calidiſſimus, etenim cauſa alijs hic eſt caloris, quare & veriſſimum quod poſterioribus eſt cauſa vt ſint vera. Ex hac quippe propoſitione clare elicimus, q̃ illud eſt maxime ens, & maxime verum, qđ eſt omnium aliorum entitatis, & veritatis cauſa, tunc hac ſub vniuerſali, particularis hæc ſubſumatur, Deus eſt maxime ens, cum infinita ſit eſſentia, infinitumq̃ue eſſe, per ſe ſubſiſtens, & ipſum maxime verum, quandoquidem rei veritas cum ente conuertatur, igitur eſt cauſa, tum entitatis, tum veritatis, cæterorum omnium, igitur erit cauſa entitatis ac veritatis omnium intelligentiarum ac corporum cœleſtium. Atqui Gregorius Arrimen. vbi ſupra euertere conatur verum, germanum, principalemq̃ue huius literæ, ſeu ſententiæ ſenſum, ne fateri cogatur, deum eſſe omnium cauſam efficientem. Inquit enim nullam hanc eſſe conſequentiam, deus eſt cauſa entitatis & veritatis omnium aliorum, igitur eſt cauſa effectiua. Hanc conſequentiam veriſſimam ac per neceſſariam eſſe pulcherrime intellexiſſet Gregorius, ſi claro ſereno q̃. mentis intuitu, Ariſt. exemplum contemplatus fuiſſet. Ait enim quòd quia ignis vtpote cauſa effectiua, in cunctis calidis, calorem producit, ob id, ipſe, calidiſſimus eſt, & econtra quia calidiſſimus eſt, in omnia calida, calorem effundit, Nec vllo modo interpretari poteſt exemplum hoc de finali ſeu quauis alia cauſa, at ſolum de efficienti; Quod & Commentatoris ipſius, auctoritate firmatur, inquientis ſuper hoc textu. Et cum declaratum eſt, quòd cauſa in quolibet genere entium, eſt magis digna in eſſe, & veritate, quàm illa quorum eſt cauſa in genere, manifeſtum eſt, quòd ſi eſt hæc prima cauſa omnium entium, vt declaratum eſt in ſcientia naturalium, quòd illa cauſa eſt magis digna, & in eſſe, & in veritate, quàm omnia entia. Omnia enim entia non acquirunt eſſe & veritatem

Refellitur falſa Gregorij Arriminenſis interpretatio.

Cõmentatoris verba Ariſt. propoſitionẽ declarantia.

niſi ab iſta cauſa. Eſt igitur ens per ſe, & verum per ſe, & omnia alia ſunt entia, & vera, per eſſe, & veritatem eius. Id enim clarius à Commentatore dici nequibat. Quod etiam hic textus intelligi valeat de principijs ſcientiarum non inficiamur, at in eandem redibit veritatem quoniam & ſcientiarum, ſeu concluſionum principia, quo ad vim illatiuam, (vti ſupra tetigimus) cauſam dicunt effectiuam. Amplius eiuſdem Commentatoris auctoritate quod diximus corroboratur. ex libro Deſtructionum Algazelis. Diſput. iiij. dubio primo vbi approbat opinionem philoſophorum tertio loco ab Algazele poſitam, tanquam magis notam & rationabiliorem, inquiens tium, mundum eſſe ab æterno, & eundem habere cauſam efficientem, quam appellat Commentator cauſam ſuum producentem effectum, & eundem conſeruantem. Amplius hæc veritas eluceſcit, ex pluribus Ariſtotelis textibus ſimul iunctis. Nam ex. ij. Metaphyſ. tex. com. vj. didicimus in cauſis efficientibus, non eſſe proceſſum in infinitum, & ob id, ad vnum primum efficiens eſſe deueniendum, quod quidem neceſſarium eſſe oportet, vt omnium aliorum neceſſariorum cauſa exiſtat, quod & innuit. v. Metaph. tex. com. vj. vbi dicitur quòd oportet inter entia neceſſaria eſſe vnum primum, à quo reliqua omnia neceſſitatem habent, oportetq. cum hoc primum ſum me maximeque neceſſarium ſit, eſſe & ſimplex. Cum itaque corpora cœleſtia neceſſaria ſint, pariter & intelligentiæ, ſintque eunctorum ſublunarium effectiuæ cauſæ, nec ſit hiſce in cauſis, in infinitum abire vti diximus, primam prorſus admittemus, à quo pendebit cœlum ac tota natura, & quo ad ſuæ ſubſtantiæ perpetuitatem, & quo ad motus perhennitatem, vt optime declarat. D. Thom. xij. Metaphyſ. tex. com. xxxviij. Quòd ſi fortaſſe quiſpiam his occurreret in quiēdo primam equidem cauſam, omnium aliorum eſſe cauſam finalem, non tamen effectiuam, animad-

Eiuſdem Commentatoris auctoritas præfatam veritatem corroborans.

Ariſtotelis auctoritates Deum eſſe omnium rerum cauſam efficientem.

uertat, talem causam vtrunque sibi vendicare nempe, quòd & efficiens & finalis causa existat. Quod ratione firmatur ab Aristotele desumpta, quia dum ponimus causam vnam primam efficientem pariter & necessariã, si aliud necessarium, ab hac independẽs poneretur, iam duo independentia autumarentur, quorum alterum ab altero minime penderet, sicque fieret vt plura inconnexa ponerentur principia, quo posito, male entia disponerentur; quod vltimo Arist. textui. xij Metaph. repugnat inquienti; Nolunt entia male disponi, & principatuum pluralitas mala. Qua re vnus duntaxat ponendus est princeps. Postremo clarissimum adduco textum. ex Primo Cęl. & est. 100. quo habetur extra cœlum esse entia inalterabilia impassibiliaue, optimam vitam habentia, & per se sufficientissimam toto ęterno, à quibus vti perfectissimis entibus, & presertim à primo, alijs cõmunicatum est esse ac viuere, his quidem clarius, eui dentius, ac perfectius, vti sempiternis, eadem numero permanentibus, his vero obscurius, nempe generabilibus, & corruptibilibus, eadem specie, sese duntaxat conseruantibus. Ex his autem citatis textibus, perspicuum euadere arbitror, deum ipsum quem philosophi primum principium appellitant, causam omnium esse effectiuam. Nunc vero & naturalibus rationibus, idem probandum est, quibus sanè rationibus. D. Thom. Scotus, ac Herueus, maxime assentiunt, à quibus tamen Gregorius Arriminen. dist. j. ij. sent. q. ij. art. ij. Et Ioannes Bachon. dist. j. ij. sent. q. j. art. iiij. dissentiunt, ob idque fiendis rationibus respondere conantur, nec tamen rectè respondent, cum necessario concludant vtpote apertissime demõstrationes.

Rationes naturales quibus probatur deũ, omnium rerum esse causam effectricem

Est autem hæc prima ratio, Omne ens aliud à primo, ab eodem essentialiter dependet, atqui essentialiter pẽdere, nequit, nisi causetur ab eo, nec causari potest, nisi ab ipso producatur, igitur omne ens aliud à primo,

primo, ab ipso producitur. Prima assumpta propositio, iccirco vera esse comprobatur, quia nisi ponatur omne ens essentialiter à primo dependere, illi eo sequitur aliud quippiam à primo, ens esse independens, sicque ad vniuersi vnitatem minime pertinere, nec ad primum, ordinem habere, quod Aristotelice veritati. xij. Metaphys. tex. comm. lij, clare repugnat. stat igitur solida prima propositio. Secundam sic elucidamus, quoniam si non à primo causare tur, à se, & ex se, necessarium foret, & sic sibi minime repugnaret esse posse, primo semoto, quo nempe fieret vt ab eodem primo essentialiter haud dependeret, quòd antedicte & prime aduersatur propositioni. Consequentia deducitur, quoniam non repugnat rem esse absque omni causa à qua nullatenus dependet. Has autem duas propositiones admittit Gregor. verum tertiam inficiatur, nempe ens causari non potest nisi à primo ente primoque principio producatur, Potest inquit ipse, à primo vti à fine, nõ vt ab efficiente, causari. Atqui admisso, quòd omne ens à primo essentialiter pendeat, nec ex se necessarium sit, pulcherrime sequitur ergo necessum est ex alio esse, à quo reuera dependet, ergo non potest nõ nisi ex alio esse, ergo in se consideratum, potest non esse. Quòd si vltima hæc negetur consequentia, sic optime deducitur. Quia ipsum ens in se consideratum, remoto eo, à quo dependet, vel potest non esse, vel non potest non esse, Hæc enim adinuicem oppositionem habent contradictoriam. qua re necessum est, harum alteram esse veram, si prima, admittitur, igitur possibile est ipsum non esse, quod admittit Gregor. si secunda conceditur, igitur necesse est tale ex se esse, quod negat ipse, & optime quidem, quoniam id falsum est, vt infra probabitur, cum tale ens. non nisi vnum reperiatur, igitur sustinere non potest Gregor. omne ens aliud à primo, ab ipso essentialiter dependere, & non esse ab eodem effectiue

pro

productum. Additur & hinc ex Herueo, quod ij. q. j. secunda ratio, quæ adeo demonstrat, vt nullus huic rectè respondere valeat. Inquit enim, Omne quod sibi derelictum, est non ens; est effectiue productum, at cuncta præter primum principium quod etiam est vltimus omnium finis, sibi derelicta, sunt non ens, igitur omnia sunt à primo effectiue producta. Primam propositionem nemo est qui inficiari possit, cum sole clarior euadat quppe cum omne illud quod ex se est non ens causa indigeat, qua ipsum ad esse perducatur, aliter non esset ex se non ens sibi ipsi relictum, secunda vero sic fit perspicua; Quoniam si per impossibile remoueatur vltimus finis, percunctatur, num cætera entia remaneant, nec ne primum, astrui nequit, quia tunc essentialiter ab vltimo fine minime penderent, cuius oppositum iam ex præcedentibus probatum est, Si secundum asseritur, igitur sibi derelicta, non entia sunt, quod erat intentum. Respondet Greg. vbi supra maiorem nō esse veram nisi huic equipolleat, scilicet. Omne ens quod si aliud non esset, ipsum non esset, est effectiue productum. Nam hæc inquit, est vera si illud aliud est possibile non esse, atqui primum ad cuius non esse, sequitur non esse aliorum, non est possibile non esse, eapropter maior ipsa minime conceditur. Verum Herueus ipse, hanc quam dat Gregorius responsionem adducit, quam & paucis ipsam impugnat, inquiens, nullam esse, ex veritate conditionalis subsistente, & hanc ipsam ex logice ignorantia prouenire. Nam licet huius conditionalis nempe si remoueretur per impossibile vltimus omnium finis, omnia non entia essent, antecedens, & consequens, sint impossibilia, remanet tamen conditionalis vera, & necessaria super cuius veritate sustentatur argumentum. Verissimum quippe esset asserere. Si deus per impossibile non esset, nec intelligentiæ, nec corpora cœlestia, nec alia sublunaria, essent, quia cum ex se,

non

non entia sint, esse nequeunt, nisi per esse sibi à primo communicatum, elargitum, & conseruatum.

Ioannes autem Bachon vbi supra respondens supradicto Heruei argumento, quod secundum erat ab ipso adductum, inquit, maiorem in qua dicebatur, Omne quod sibi derelictum est non ens, habet sui causam efficientem intelligendam esse, hac cum additione, seu limitatione, nempe quòd illud quod ex se est non ens, & cum hoc etiam in potentia est subiectiua, & consequenter motus vel mutationis subiectum esse potest, sic autem non intellectam, falsam affirmat. Verum quàm voluntaria, & vlla absq; ratione prolata sit hæc sua responsio ac interpretatio, cunctis liquet, naturam rei ex se non ens, esse potentis, introspicientibus. Nam clare implicat, rem ipsam (quæcunque sit illa) ex se esse non ens, & non indigere causa sibi esse dilargiente producente, at cõmunicante. Si enim suapte natura, res non sibi vendicat esse, quinimò suum oppositum, simpliciter fatendum est vllo absque glossemate, esse suum ab alio trahere, effectiue habere, pariter & accipere. *Reprobatur Ioan. Bachonis, responsio.*

Hinc quoque apparet interpretationem datam ex ignorantia Metaphysicæ prouenire, quoniam aliud est loqui de agente Metaphysico, & aliud de agente Physico. Agens quippe physicum potentiam qui dem subiectiuam exigit, agens autem Metaphysicum minime, de quo tamen hoc in loco est sermo. Nec recurrendum est ad causam finalem, quoniam ea ipsa, non dat esse, at est id cuius gratia efficiens, esse producit, si Arist. sententiam sectari volumus. Non est igitur sua interpretatio philosophis consentanea, qua re penitus repellenda.

Postremo annectitur & tertia ratio eiusdem Heruei. directe elidens responsiones tum Gregor. tum Ioannis Bachonis, nempe quòd intelligentiæ & corpora cœlestia, tametsi habeant causam finalem, haud tamen efficientem. Estque ratio talis; Omne quod

causam

causam habet finalem, habet & causam efficientem, at Intelligentiæ ac corpora cœlestia, iuxta horum doctorum sententiam & responsionem, causam habent finalem, igitur & causam habent efficientem, at causa efficiens non alia est ab ipso deo, igitur deus est talium entium causa efficiens. Minor huiusce argumenti, & à præfatis doctoribus & ab omnibus admittitur philosophis. Maior vero clarissime probatur. supponendo ad Arist. autes. ij Physic. tex. com. xxix. & . v. Metaphysicæ. tex. com. ij. quòd finis sit causa cuius gratia aliquid fit, Quod quidem suppositum non nisi ore, non autem corde negari potest Gregor. tamen id vti falsum inficians, Arist. negat, qua re veluti ab ipso philosopho deuians & à veritate peripateticorum abhorrens, abiciendus est. Itaque maior ipsa & ratione, & auctoritate probatur, Ratione quidem, quia omne habens causam finalē, habet id cuius gratia aliquid fit, seu factum est, patet hæc à definito ad definitionem, at intelligentiæ, & cœlestia corpora habent causam finalem, vt ab omnibus conceditur, igitur intelligentiæ ac corpora cœlestia habent causam efficientem. Amplius causa finalis in causando est omnium prima, vtpote causarum omnium, causa, atqui non est prima nisi ad hoc vt finis amatus ac desideratus, efficiens moueat, ad tribuendum esse rei, igitur talis inter causam finalem, & efficientem est connexio, quòd res nullatenus accipit esse, nisi, vtraque, eiusdem rei, esse, causante. Nec valet Ioannis Bachonis responsio, loco supra citato, qua inquit, talem connexionem inter causam finalem, & agentem nempe, quòd finis non mouet in causalitate sua, nisi vt efficiens efficienter in sua causalitate causet, non posse reperiri nisi in his quæ potentiam habent passiuam respectu efficientis, cuiusmodi sunt generabilia, & corruptibilia, at motus æternus, non valet inquam, cum præfatus doctor non nisi efficiens contemplatur physicum ac naturale, quod

Ioan. Bachonis elicitur responsum.

quod efficiens est particulare, non autem Metaphysicum quod agit & agere potest absque passiua potentia seu subiectiua, vtpote efficiens vniuersale, quod absque motu agit vti infra declarabitur. Auctoritate vero, maior supradicta probatur. Nam clara est Commentatoris auctoritas in libro de substantia orbis. cap. ij. inquientis, quòd finis significat agens significatione necessaria, sicut motum significat mouens. Hoc idem astruit. xij. Metaphys. com. xxxvj. sub his verbis. Si forma balnei non esset in materia, tunc moueret & secundum agens, & secundum finem, sine aliqua motione contingente, Ex qua propositione aperte deducitur, quòd quælibet res à materia separata, cuiuscunque entis est principium finale, est & principium efficiens, quia ex ipsa immaterialitate rei, ponit Commentator causalitatem effectiuam, causalitatem finalem concomitari, respectu vnius eiusdemque effectus. Ex his vero omnibus supradictis pariter & dicendis, refellitur positio Ioannis Bachonis vbi supra dist. j. ij. sent. q. j. art. ij. declarare conantis, intelligentias & corpora cœlestia secundum mentem Arist. & Commentatoris esse quidem à deo, at non sicut à causa efficiente, sed solum sicut à fine. Imaginaturque ex quodam exemplo de principe posito, quod breuitatis causa omittimus, Deum sic præfata producere. Inquit enim, quòd ex hoc quòd deus intelligitur à seipso, qui vnus est principeps ex Arist. xij. Metaphys. tex. com. vltimi, omnia quàm pulchre disponens, ex sui actus intelligẽdi maxima perfectione, per quandam concomitantiam, & resultationem, resultant intelligentiæ ac corpora cœlestia, veluti quædam præfati actus, sequella, sine omni efficientia. Verum imaginatio hæc sua, iam prædictis ex auctoritatibus, vti falsa explosa est, & nihilominus eius falsitas amplius aperitur. Dicimus enim & cum ipso fatemur, deum ab æterno quidem seipsum intellexisse, at talia ex ipso actu intelligendi

Improbatur Ioan. Bachonis positio.

per

per concomitantiam, modo quo ipse declarat, minime fuisse secuta, quoniam ad actum intelligendi diuinum, nunquam extra ipsum quippiam sequitur, nisi hic ipse efficax actus esse intelligatur, nunquam vero efficax intelligitur, nisi diuina ipsa voluntas accedat, qua accedente efficax fit & extra se entia producit, eo modo quo tenemus ad mentem Arist. & eius sectatoris mundum ab æterno, ab ipso deo, fuisse productum, productum inquam, non sine efficientia, vt præfatus doctor imaginatur, at cum efficientia non quidem physica quæ potentiam supponit passiuam, & subiectiuam, quam ipse propriam efficientiam, solum appellat, verum efficientia Metaphysica, quæ & sine potentia est subiectiua, & sine omni prorsus est motu. Talis autem efficientia sic proditur. Cum enim Deus Optimus Maximus ab æterno intellexerit se, vt diuerlimode imitabilem, & præcipue vt imitabilem in tanta perfectione, & diuersa, qualis est omnium intelligentiarum orbes cientium, & qualis est omnium corporum cœlestium motorum ac mouentium perfectio, fuerit que talis intellectio efficacissima ex voluntatis ipsius accessione, intelligentias omnes, ac corpora cœlestia effectiue produxit, nulla existente subiectiua passiuaque potentia, in omnium talium productione. Verum his quispiam occurret auctoritate Commentatoris. iij. Cœl. com. j. inquientis, nullum æternum habere efficiens vere nisi per modum formæ & finis, & .xij. Metaph. com. xliij. vbi redarguens modernorum morem, ait quòd in separatis à materia, non est vere agere, Et rursus in hoc eodem commento aduersus Auicennam ponentem vnum, ab vno duntaxat prouenire, & vnam solam intelligentiam per modum naturæ à deo proficisci, ait, Non enim est illic prouentus neque consecutio, neque actio. Ad hasce Commentatoris auctoritates & his similes, facillime respondetur, de agente distinguendo vti iam prætactum est.

Efficietie dei mod⁹ aperitur.

Quòd

Quòd agens est duplex alterum physicum, & naturale, Metaphysicum alterum, discriminanturque adinuicem hæc agentia, quoniam physicum non nisi per motum ac mutationem, materiam siue subiectum supponentem, agere potest, Metaphysicum autem absque motu penitus agit, nulla materia, nulloque præsuppositio subiecto; Et quoniam in Metaphysici agentis agnitionem, nemo peruenire valet, nisi ex agentis physici cognitione, cum id nobis maxime ex eius sensibilitate clarescat, propterea Commentator ac eius sectatores, tale physicum agens proprium ac verum agens appellant, Metaphysicum vero non verum ac proprium, quod tamen verissimum est agens, vti declarabitur, appellitant. Si enim inspiciamus ad id, à quo nomen imponitur, physicum agẽs, verum ac proprium agens asseritur, non autem Metaphysicum, at si attendamus ad id, ad quod significãdum imponitur, clare intuebimur, Metaphysicum agens, maxime ac proprie agens dici, quandoquidem non solum rei partem, nempe formam (vt naturale agens) verum rem totam, siue compositam, siue simplicem subsistentem producat vel producere possit. Ad primam igitur Commentatoris auctoritatem dicitur, nullum æternum, physicum agens habere posse, quod proprium appellitat efficiens, atqui minime inficiatur, quin Metaphysicum efficiens habere valeat, vti ex eius sententia deductum est, & adhuc ostenditur ex. ij. cap. de substantia orbis, vbi de cœlesti corpore æterno, sic inquit. Et debes scire, Ꝙ istud corpus cœleste non indiget virtute mouente in loco semper, tantum, sed largiente in se, & in sua substantia, permanentiam æternam; Ad secundam dicitur pariter in separatis à materia, non esse vere agere physicum quod cum motu semper est, haud tamen inficiandum est in talibus non esse agere Metaphysicum. Ad tertiam dicendum, ibi Commentatorem redarguere Auicennam ponentem à deo solum vnã

Agens Metaphysicũ, esse verissimũ agẽs, declarat.

in

intelligentiam immediate procedere, ita quòd non impugnat actionem at actionis modum, quod ex eius constat verbis, dum inquit post illa verba, in quibus dixit non esse illic prouentum, neque consecutionem, neque actionem, subdendo, ita vt dicamus, quòd vna actio sequitur vnum agentem, imò ipsemet in eodem commento declarans productionis modum, quo intelligentiæ producuntur à deo, ait; Habitudo intelligentiarum aliarum, ad primam, est habitudo specialium artium ad communem, ita & sicut artes speciales, perficiuntur & causantur à communi in humanis, ita proportionaliter intelligentiæ aliæ. perficiuntur & causantur à prima. Hinc liquido conspicimus, ipsum Commentatorem talem effi cientiam Metaphysicam admisisse.

Notabile Commentatoris dictum pro rerum effi cientia.

Atqui aduersus limpidissimam hanc veritatem tria confici possunt argumenta, quæ hac in re difficiliora sunt.

Tria argumenta ad uersus effi cientiam rerum à deo, Et primum fundatur super Aristotelis verbis. Secundū.

Et primum quidem super verbis fundatur Arist. inquientis ij. Metaphysicæ tex. com. iiij. vbi ait. Quare principia semper existentium esse verissima necesse est. Non enim quandoque vera & quandoque non vera, nec illis causa aliqua est vt sint, sed illa aliis. Quibus ex vltimis verbis aperte colligitur, principia cœlestium corporum, quæ intelligentiæ sunt, nullam sui esse, effectiuam causam, habere.

Secundum tale est, Esse causatum ab alio, seu habitudo causati ad causam, non est de ratione entium, ergo sine ea esse possunt, ergo non necesse est omnia à prima causa pendere, vltima consequentia patet, secunda vero probatur, Quia quod non est de ratione alicuius ab illo est separabile, sicuti quia albedo non est de hominis ratione, ob id, homo ab illa est separabilis, Antecedens autem probatur, quia videtur esse repugnantia, nonnulla entia sine tali habitudine posse intelligi, & eam ipsam esse de ratione ipsorum.

Postremum

Postremum ac magis apparens est. Id quòd nequit non esse, nulla indiget causa efficiente, at intelligentiæ, & corpora cœlestia, nequeunt non esse, cum necessaria sint, igitur nulla indigent causa efficiente. Ad hæc facile respondetur tametsi apparentiam habere videantur. *Secundũ.*

Ad primum itaque ommittendo responsionem illam quæ ab aliquibus datur, quòd Arist. accipit illo in loco, plurale pro singulari, & quòd quandoque se transfert in sermonibus suis, à singulari ad plurale, sicuti pater. xij. Metaphys. tex. com. xxix. & xxx. & deinde ad singulare reuertitur vt in tex. xxxv. & ab illo vsque ad xlij. textum semper in singulari de ipsa substantia loquitur tanquam de vno genere, & in xliij. textu, rursus ad plurale se transfert, ommittendo inquam talem responsionem, videtur mihi esse dicendum, quòd quia in genere entium separatorum non repugnat aliquod esse principium separatum, quod omnium aliorum principium effectiuum existat ipsum à nullo causatum, vt peregregie supra probatum, est, iccirco interpretandus est citatus textus, non repugnanter, scilicet, quòd non repugnat in tali entium ac principiorum genere, vt aliquod sit, quod nullam penitus causam habeat, at illud omnibus essendi causa existat. *Ad primũ argumentum respõsio.*

Ad secundum respondetur, quòd licet esse causatum, vel habitudinem causati, ad causam, habere, nõ sit de ratione, nec de quidditate, entis simpliciter, nec vniuersaliter consequatur ens absolute vt proprietatem, est tamen vniuersaliter consequens omne ens per participationem, quoniam ad esse ens participatum, necessario sequitur, esse causatum, ab ente per essentiam cuius essentia est suum esse, sicuti dicimus proprietatem, proprium consequi subiectum, & sic esse causatum, prædicatum est, conueniens cuilibet enti per participationem in secundo modo dicendi per se. Si igitur antecedens sic formetur, esse *Ad secundum.*

causatum non est de ratione entis simpliciter, vtpote non spectantis ad primum vel secundum modum dicendi per se verum est, at non probatur intentum quoniam primo enti, esse causatum, nullatenus conuenit, Si autem hoc modo formetur, Esse causatum non est de ratione entis participati, seu non conuenit enti participato, nec in primo nec in secundo modo dicendi per se, falsissimú extat, quoniam in secundo modo sibi competit, vti dictum, est, Qua re argumentum nihil concludit.

Ad tertium postremo dicendum est, maiorem simpliciter esse falsam, & in tali argumentatione, fallaciam interuenire consequentis, dum ex assumpta maiore arguitur à pluribus causis veritatis ad vnam. Non solum enim entia causa indigent efficiente, quia esse, & non esse, possunt, verum quia non essent, nisi causa ipsa inquantum causa, existeret, & est sensus, quòd entia non essent nisi suum esse ab alio susciperent. Rectè enim infertur, Entia non essent si non esset causa, id est si non causarentur, igitur indigent causa ipsis esse dilargiente. Haud immerito igitur negata fuit maior, solum vnam veritatis causam, assumens, quæ si vtranque assignatam assumpsisset, tũc negata minor fuisset. Iam ex his arbitror, cuilibet ingenio pollenti clarissimum esse; Deum Optimum Maximum, omnium rerum, tum corruptibilium, tum incorruptibilium, efficientem causam esse, quod quidem elucidandum erat antequam ad probandum creationem ipsam accederemus.

Quo ad tertium, ad creationemque ipsam redeundo à qua non ab re digressi sumus, duplicem ponimus conclusionem quo facilius materia hæc digeratur, clariusque tractetur, quarum prima hæc est.

Conclusio prima. Ad mentem Arist. pariter & Commentatoris admittenda est creatio absque essendi nouitate.

Secunda conclusio. Secunda vero, Licet non ad Commentatoris ad Aristotelis tamen aures, creatio, cum essendi nouitate

uitate omnino concedenda est.

Et ad primæ quidem conclusionis claritudinem, annotandum est complures philosophos pariter & Theologos creationem ipsam absque essendi nouitate, ex sententia tum Arist. tum Commentatoris expresse negasse, hac potissimum ratione moti, quia Deus Optimus Maximus ponendus est quidem omnium entium & præcipue corporum cœlestium, ac intelligentiarum causa finalis, at non efficiens è quorum numero sunt Gregor. Arriminen. distinct. j. ij. sent. q. j. art. j & Ioannes Bachon. dist. j. ij q. j. art. ij & . iiij. quos & sequitur Ioannes a Gandauo. ij. Metaphys. q. iiij. Verum quia abunde satis probatum est, deum ipsum causam esse & efficientem, & finalem ad Arist. aures & Commentatoris suisque in contrarium rationibus perpulchre respōsum est, ob id, tamquam à veritate peripatetica deuiantes, relinquendi sunt. Annotandum quoque est, quòd supposita effectiua primi principij, siue dei, causalitate, quæ quamefficacissime probata est, impossibile est creationem prædictam absque essendi nouitate, inficiari; Quod perpulchre ostenditur. Nam constat ex Arist. sententia. viij. Physic. tex. com. lxxviij. & . xij. Metaphys. tex com. xlj. & . xliij. primum motorem primumque principium, omni prorsus carere materia, & magnitudine, ac infiniti esse vigoris, virtutis & potentiæ intensiue, quandoquidem tempore infinito nedum per accidens, at per se, nedum ex parte magnitudinis, & spacij, verum ex parte mobilis, quoniam infinitum mobile moueret, si daretur, constat quoque talem motorem talémque principium infinitæ virtutis, agere posse absque motu, & mutatione, nulla præsupposita materia, nulloque subiecto, aliter non maioris esset potentiæ, quàm naturale agens, & finite virtutis, propterea sequitur talem eius actionem, non nisi creationem dici posse, cum creatio sit simplex emanatio, quæ è nihilo, id est nul-

Plures, tũ philoso-phos, tum Theologos, creationẽ absque nouitate essendi negasse ad aures Arist. & Commentatoris cõstat.

Probatur prima cõclusio Aristotelis auctoritate.

causatum non est de ratione entis simpliciter, vtpote non spectantis ad primum vel secundum modum dicendi per se verum est, at non probatur intentum quoniam primo enti, esse causatum, nullatenus conuenit, Si autem hoc modo formetur, Esse causatum non est de ratione entis participati, seu non conuenit enti participato, nec in primo nec in secundo modo dicendi per se, falsissimũ extat, quoniam in secundo modo sibi competit, vti dictum, est, Quare argumentum nihil concludit.

Ad tertium postremo dicendum est, maiorem simpliciter esse falsam, & in tali argumentatione, fallaciam interuenire consequentis, dum ex assumpta maiore arguitur à pluribus causis veritatis ad vnam. Non solum enim entia causa indigent efficiente, quia esse, & non esse, possunt, verum quia non essent, nisi causa ipsa inquantum causa, existeret, & est sensus, quòd entia non essent nisi suum esse ab alio susciperent. Rectè enim infertur, Entia non essent si non esset causa, id est si non causarentur, igitur indigent causa ipsis esse dilargiente. Haud immerito igitur negata fuit maior, solum vnam veritatis causam, assumens, quæ si vtranque assignatam assumpsisset, tũc negata minor fuisset. Iam ex his arbitror, cuilibet ingenio pollenti clarissimum esse; Deum Optimum Maximum, omnium rerum, tum corruptibilium, tum incorruptibilium, efficientem causam esse, quod quidem elucidandum erat antequam ad probandum creationem ipsam accederemus.

Quo ad tertium, ad creationemque ipsam redeundo à qua non ab re digressi sumus, duplicem ponimus conclusionem quo facilius materia hæc digeratur, clariusque tractetur, quarum prima hæc est.

Conclusio prima. Ad mentem Arist. pariter & Commentatoris admittenda est creatio absque essendi nouitate.

Secunda conclusio. Secunda vero, Licet non ad Commentatoris ad Aristotelis tamen aures, creatio, cum essendi nouitate

uitate omnino concedenda est.

Et ad primæ quidem conclusionis claritudinem, annotandum est complures philosophos pariter & Theologos creationem ipsam absque essendi nouitate, ex sententia tum Arist. tum Commentatoris expresse negasse, hac potissimum ratione moti, quia Deus Optimus Maximus ponendus est quidem omnium entium & præcipue corporum cœlestium, ac intelligentiarum causa finalis, at non efficiens è quorum numero sunt Gregor. Arriminen. distinct. j. ij. sent. q. j. art. j & Ioannes Bachon. dist. j. ij q. j. art. ij & . iiij. quos & sequitur Ioannes a Gandauo. ij. Metaphys. q. iiij. Verum quia abunde satis probatum est, deum ipsum causam esse & efficientem, & finalem ad Arist. aures & Commentatoris suisque in contrarium rationibus perpulchre respōsum est, ob id, tamquam à veritate peripatetica deuiantes, relinquendi sunt. Annotandum quoque est, quòd supposita effectiua primi principij, siue dei, causalitate, quæ quamefficacissime probata est, impossibile est creationem prædictam absque essendi nouitate, inficiari; Quod perpulchre ostenditur. Nam constat ex Arist. sententia. viij. Physic. tex. com. lxxviij. &, xij. Metaphys. tex com. xlj. & . xliij. primum motorem primumque principium, omni prorsus carere materia, & magnitudine, ac infiniti esse vigoris, virtutis & potentiæ intensiue, quandoquidem tempore infinito nedum per accidens, at per se, nedum ex parte magnitudinis, & spacij, verum ex parte mobilis, quoniam infinitum mobile moueret, si daretur, constat quoque talem motorem talèque principium infinitæ virtutis, agere posse absque motu, & mutatione, nulla præsupposita materia, nullóque subiecto, aliter non maioris esset potentiæ, quàm naturale agens, & finite virtutis, propterea sequitur talem eius actionem, non nisi creationem dici posse, cum creatio sit simplex emanatio, quæ è nihilo, id est nul-

Plures, tū philosophos, tum Theologos, creationē absque nouitate essendi negasse ad aures Arist. & Commentatoris cōstat.

Probatur prima cōclusio Aristotelis authoritate.

la suppositā materia siue subiecto, aliquid fit. Cumq; intelligentiæ, vtpote, immateriales à tali primo motore primoque principio effectiue promanarint, vti pluribus supra firmatum est rationibus, sanè sequitur eas ipsas non per motum vt liquet, neque ex materia, cum ipsa careant, verū ex nullo præsuppositō subiecto, sint productæ, & sic create, quare creatio ad mentem Arist. danda est, & etiam ad eius mentem Commentatoris. Nec huic certe potest quispiam respondere rationi, quoniam ipsa demonstrat, & potest sic breuibus perstringi. Omne quod ex nihilo, seu ex nullo præsuppositō subiecto est effectiue productum, est creatum, at intelligentiæ sunt ex nihilo, seu ex nullo præsuppositō subiecto, effectiue productæ, igitur sunt creatæ; Maior propositio claret à descriptione ad descriptum, Minor elucet, quoniam cum sint intelligentiæ formę simplices, & penitus immateriales, nequeunt ex aliqua materia, seu potentia subiectiua produci, Itidem de cœlestibus dicendum est corporibus, quoniam etsi materiam habeant, siue eiusdem rationis, vt plerisque placet, siue alterius, ab istis inferioribus, vt veritati consonat, nihilominus secundum omnem eorum substantiam nempe quo ad materiam, & quo ad formam sunt effectiue productæ, sicque creatæ. Verum id quod hac in re difficultatem affert, est, quia mortales his duntaxat inferioribus assueti actionibus, & productionibus, quæ per motum, ac mutationem fiunt, haud facile capere possunt, quomodo effectus, sit suæ causæ coæuus, & ab ipsa, esse, accipiat; Videtur siquidem, quòd causa efficiens, duratione, suum debeat præcedere effectum, propterea hoc aperiendum declarandumque est. Perbelle autem aperietur, si docuerimus nullam implicare contradictionem, nec vllum sequi impossibile, aliquid, à deo in essentia diuersum, nunquam in tempore incepisse, & tamen creatum esse. Id autem sic suadetur pariter & demonstra

Probatur eadem prima conclusio, ratione.

tur

tur; Quia si contradictionem implicaret & propterea impossibile sequeretur, hoc altero ex duobus modis esset, vel quia oportet causam agentem, suum præcedere effectum duratione, vel quia opus est, non esse, duratione ipsum esse præcedere, ex eo quòd ex nihilo est creatum, atqui ex nullo istorum duorum modorum contradictio oritur vel impossibilitas igitur verissime poni potest aliquid à deo diuersum in substantia non habere durationis principium, seu semper esse, & tamen ab ipso esse creatum. Primum ostenditur nempe non necessarium fore, quòd deus vt causa agens, duratione, suum creatum præcedat. Quia nullum agens, seu efficiens, suum producens effectum sine motu, necessario suum effectum duratione præcedit, at deus est efficiens, sine motu, suum producens effectum, igitur deus vt efficiens non necessario suum duratione præcedit effectum. Maior ex eo claret, quia si ab actione agentis subtrahatur motus qui necessario est successiuus, & cuius principium, eiusdem motus, finem, præcedit, actu agens, in instanti agit, & sic non est necesse ipsum agens suum præcedere effectum. In actionibus enim instantaneis simul est fieri & factum esse, cum indiuisibiles sint, & omni successione carentes, sicuti patet in solis illuminatione, quoniam posito sole, illico & in instanti ponuntur astra illuminata. Minor vero probatur. Quia cum Deus summe immaterialis sit, agens solũ per suum intelligere, & suum velle, quod est suum producere & creare, quodque est ipsamet dei substantia penitus indiuisibilis, vt etiam testatur Arist. xij. Metaphys. tex. comm. lj. propterea sine motu agit. Secundum quoque declaratur, nempe quòd non necessum est, non esse effectus, duratione præcedere ipsum esse, ex eo quòd talis effectus ex nihilo productus est. Id enim asserere contradictionem minime implicat, sicque hoc manifestum fit. Nam licet creatura, quælibet & essentia omnis alia à deo, ex se, non

Non implicat contradictionem effectum aliquem esse suæ causæ coæuum.

ens sit, idque ubi conueniat in tertio modo dicendi per se, quoniam res quælibet à deo in substantia diuersa, solitarie sumpta, non ens est, haud tamen deduci potest vt tale non ens creaturę, duratione prius sit, esse ipsius. Sufficit enim vt prius natura non ens sit, quàm ens; Eapropter dicimus, quòd si creatura ab ęterno esse ponatur, (vt firmiter tenuit Arist. ac eius Commentator) non ob id ab ea demeretur, quin creata diceretur; Talis enim creatio, esset productio illius, de non esse, ad esse, sine quacunque essendi inceptione. Eadem autem productio, & conseruatio diceretur, vtpote esse præhabiti conseruatiua. Cum itaque ex his clarescat, nullam sequi contradictionem nec vllum impossibile ex positione ęternitatis mundi, & productione presertim intelligentiarum, ac corporum cœlestium ex nihilo, merito ponenda est ipsa creatio, absque essendi nouitate. At si tunc quispiam occurrens, inferret, igitur creatio & conseruatio in ęternis non discriminantur, dicitur quòd ratione quidem differunt at non re, Quod pulcherrime declaratur, & præcipue ex. Diui Thomæ sententia. De Potentia dei. q. v. art. j. ad secundum, inquientis, deum non alia operatione res ipsas in esse producere, & easdem in esse conseruare, quia cum esse rerum permanentium per se indiuisibile sit, licet per accidens diuisibile asseratur, prout motui subiacet, secundum se in instanti fit, eapropter dei operatio, quæ per se causa est ipsius esse rei, non alia est, prout est principium essendi, & continuationis ipsius esse. Hoc idem habetur. prima parte. q. ciiij. art. j. ad quartum, vbi sic inquit. Conseruatio rerum à deo, non est per aliquam nouam actionem, sed per continuationem, qua dat esse, quæ quidem actio, est sine motu & tempore sicut etiã conseruatio luminis in aëre, per continuatum influxum à sole. Ratione vero, seu penes rationes formales discriminantur, creatio, & conseruatio, presertim respectu

spectu incorruptibilium quæ semper fuere, & erunt, quoniam actio ipsa vt connotans habitudinem dun taxat influxus essendi, nulla præsupposita materia creatio appellaretur, eadem quoque actio, vt connotans habitudinem manutenentiæ ipsius esse præhabiti, vlla absque interruptione, conseruatio merito diceretur. Et hæc quidem quo ad primam conclusionem. Quo ad secundam conclusionem, nempe quòd iuxta Arist. doctrinam admittenda sit creatio, cum nouitate essendi facillime commoti habitur, si tamen duo prius ad eius mentem supposuerimus, alterum quidem quòd anima intellectiua immortalitate gaudeat, alterum vero quòd humani corporis vera sit forma, ei esse substantiale tribuens. Et ne videamur hæc vti falsa supponere, vtrunque ex ipsomet Aristotele probatur. Et primum quidem pluribus ex textibus Arist. Nam primo de Anima tex. xiij. cum dixisset animam esse à corpore separabilem, nempe vti perpetuum à corruptibili, si propriam haberet operationem. iij. de Anima tex. vj. concluſit intellectum possibilem propriam operationem habere, ob id quia in tali, non indiget organo corporeo, & in tex. iiij. eundem etiam omnino immixtum vt omnia intelligat, & in tex. vij. illum ipsum esse penitus impassibilem astruit, quibus ex textibus concludit intellectum iam dictum esse omnino immaterialem ad quam sanè immortalitas sequitur. Amplius tertio eiusdem libri de Anima. tex. xx. ponens discrimen inter intellectum secundum proprium nominis significatum, & intellectum secundum significatum improprium, inquit, quòd intellectus tantum in hoc quod vere est, seu secundum hoc quod vere est, vt habetur in græco, quod est dictu, secundum proprium nominis significatum, separatus est, non autem secundum improprium, quo dicitur de cogitatiua, Separatus inquam vterque intellectus est agens, scilicet & possibilis, de quibus loquitur Arist.

Secundæ conclusionis probatio.

Animam esse immortalem ex Arist. dictis perpulchre probatur.

quia vtriusque operatio, non exercetur aliquo corporeo organo, quo fit vt vterque intellectus, immortalis sit & incorruptibilis, Passiuus vero intellectus secundum improprium significatum, acceptus, qui cogitatiua dicitur, corruptibilis exrat. Clare igitur patet ex hoc textu, totam partem intellectiuam posse à corpore separari, Quod & colligi potest ex. xij. Metaph. tex. xvij. vbi postquã Arist. in tex. xvj. quæsiuit si formę sint ante materiam vel simul, & si possibile est aliquam post materiam remanere, sic inquit. Si autem posterius aliquid manet, perscrutandum est, In quibusdam enim nihil prohibet, vt si est anima talis, non omnis, sed intellectus. Omne nanque impossibile forsan: Hinc mehercle elicitur q̃ non omnis anima remanet corrupto corpore & substantia composita, verum nihil prohibet aliquam formam remanere, vt si est anima talis qualis est intellectiua, vt clare textus inquit; Verum vt tandem clarissimum textum, & irrefragabilem in medium ad ducamus, intentum probantem, libeat quæso cuilibet vel mediocriter docto, illum, erectis auribus audire. Sic enim inquit secundo. De generatione animal. cap. iij. de Anima ipsa loquens, & concludens, eam ipsam de potentia materię eductam minime esse, vt anima vegetatiua sensitiuaque educuntur. Mens itaque extrinsecus accedit, eaque sola diuina est, eo quòd nihil cum eius actione, communicet, actio corporalis. Nihil sanè apertius de animę immortalitate dicere poterat Arist. qua re primum claret suppositum, quod à nobis necessario supponendum erat. Secundum vero, quòd hæc anima intellectiua sit actus humani corporis ac eius substantialis forma, et se substantiale corpori communicans, ex eius definitione. ij. de Anima. tex. vij. posita liquet, quam nihilominus definitionem tex. xxiiij. eiusdem. ij. sic probat, Illud quo primo viuimus, sentimus, mouemur & intelligimus, est actus & forma corporis phy

sici

ſici organici. anima intellectiua eſt quo primo viuimus, ſentimus, mouemur & intelligimus, igitur eſt actus & forma corporis, ſicque ſecundum à nobis hac in re, ſupponendum, eluceſcit. His itaque duobus ſuppoſitis vti veriſſimis, iam probatur, creationem dari cum nouitate eſſendi. Nam Ariſt. xij. Metaphyſicæ. tex. xvj. ponens diſcrimen inter cauſas agentes, ſiue mouentes, & cauſas formales, inquit quòd cauſę agentes ſiue mouentes, præexiſtunt rebus factis, cum ſint principia motus, qui ad rem factam terminatur, at cauſæ formales ſimul eſſe incipiunt cum rebus quarum ſunt formæ. Cum igitur hac ex aſſignata harum cauſarum differẽtia, optime conſtet cauſas formales oportere ſimul eſſe cum proprijs materijs quas informant, ſitque anima intellectiua forma vti diximus, operæprecium eſt, vt quotienſcunque materia fuerit diſpoſita, vltima diſpoſitione, animam ipſam expoſcente, neceſſario in hac ipſa introducatur, & cum nequeat introduci per eductionem de potentia eiuſdem materiæ, quandoquidẽ immaterialis ſit, in ipſa recipietur per ipſius ſummi dei productionem, quæ quidem productio ex nihilo erit, & ita creata aſtruetur. Cumque creatio hęc continue fiat prout materiæ ab agentibus naturalibus, diſponuntur, & poſtrema diſpoſitione expoſtulãte animæ infuſionem & creationem, quæ profecto temporaria eſt, iccirco ſemper ac nouiter incipiet eſſe, & ſic creatio cum eſſendi nouitate, ex Ariſt. ſententia, neceſſario erit admittenda. Quare ex his omnibus antedictis elucere iam arbitror, vtranque admittendam eſſe creationem, ſi Ariſtotelis dictis germane interpretatis, inhærendum eſt.

Poſtremo in medium adducenda ſunt argumenta hac in re fortiora, quibus creatio ipſa ſimpliciter impugnari videtur. *Duobus argumentis, creatio impugnatur.*

Et primum quidem eſt, quoniam quod eſt contra communem omnium philoſophorum conceptionẽ, non

non est admittendum, at aliquid ex nihilo fieri quod creationis nomine significatur, est contra communem omnium philosophorum conceptionem, igitur aliquid ex nihilo fieri non est admittendum.

Secundum. Omne agens aliquid, illud per motum agit, at primum agens nequit per motum intelligentias producere, igitur primum agens non eas producit, Maior ex Arist. j. de gener. tex. com. xlv. eli citur. Amplius Arist. xij. Metaphys. tex. com. xij. inquit quòd omnis productio tria exigit, à quo, ex quo, & ad quod, quæ in intelligentijs reperiri nequeunt presertim ex quo, cum ipse non habeant subiectum aliquod ex quo fiant. Ex duabus postremo Commentatoris auctoritatibus arguitur, quarum primam quam Ioannem à Gandauo. j. Physic. q. xxij. vti fortem magnificat, ex comm. lxxj. j. Physic. sumitur, & est. Ex non ente simpliciter non potest quippiam fieri, quoniam sequeretur (inquit) quòd transmutatum, esset & fieret sine transmutatione quod est impossibile. Secunda vero ex. iiij. Cœl. habetur, quadicitur, Nullum æternum habere efficiens vere nisi per modum forme & finis.

Duabus Commentatoris auctoritatibus probatur, non esse creationem admittendã

His autem argumentis ex supradictis facillime respondetur, nullo alio iacto fundamento, vt ex concluſa veritate horum argumentorum solutiones, enitescant.

Et ad primum quidem dicitur quòd ex nihilo aliquid fieri, bifariam intelligi potest, aut factione & productione physica, & materiali, aut productione Metaphysica, & primo quidem modo argumentum concludit, at non aduersus conclusiones nostras, secundo aũt modo, minor, est falsa, quoniam ex nihilo aliquid fieri non aduersatur communi conceptioni philosophorum ac sapientum, præcipue Arist. vti iã ex ipsius mente declaratum est, & patet ex. j. Phys. tex. com. lxxvj. vbi inquit, ꝙ si fieret animal per se fieret ex non animali simpliciter ita pari modo arguendum

guendum est si fieret secundum ipsum ens simpliciter & per se. fieret ex non ente simpliciter, quod sanè est ex nihilo fieri, creationis nomine significatum.

Ad secundum super Arist. auctoritate fundatum, & ad ambas Commentatoris auctoritates, simul ac pauciſſimis, respondendo verbis, dicitur. Quòd omnes hæ auctoritates, de agente physico & naturali, ac naturaliter agente intelligendæ sunt, quod quidem ex locis vnde decerpte sunt, elarescere potest. Nam cum in locis citatis, libri omnes ad physicam solum spectent philosophiam. propterea non n si de physica actione & physico ac naturali agente sermo est, cum quo sanè stat actionem Metaphysicam & agens Metaphysi. um dari oportere, vti supra abun de declarauimus. Nec verum est quod asserit Ioannes à Gandauo, vbi supra ad primum vbi ait, deum non ess omnipotentem nisi ex potentia actiua, quæ sine passiua esse non potest, hoc inquam falsissimum est, quia talis dei actiua potentia, nullam supponit passiuam potentiam, at solum omne possibile. & omne id quod contradictionem non implicat quod possibile logicum à philosophis vocitatur. Nec postremo sequeretur quòd transmutatum, sine transmutatione esset quoniam actio qua ex nihilo siue ex non ente, aliquid fit, non physica est, quæ potentiam passiuam supponit at Metaphysica, quæ simplex vocatur emanatio, simplexque effluxus. Quòd si obijciatur Commentatorem creationem ipsam negare, vt testatur etiam. D. Thom. vij. Physic. tex. com. v. Dicitur, ꝙ solum creationem cum nouitate essendi inficiatus est, & iccirco inquit. D. Thom. quòd Commentator ipse occasionem sumpsit loquendi contra fidem quam tenemus; Et cum non alia impresentia rum occurrant difficultatem, afferentia in hac ipsa quæstione, quæ ex dictis facillime solui non possint, eapropter hæc dicta sufficiant.

DOMINI

DOMINI FLORIANI
TVRCI BONONIENSIS,
ASTRONOMI PERITISSIMI,
in huius laudem Tractatus,

CARMINA.



RGONE congestos tot nocte, dieque labores
Lethe Tartareis obruet atra vadis?
Huc precor Aonij precor adsis gloria collis
Vranie, & studijs consule diua tuis.
Nã datur hinc motus semp reuolubilis orbis,
Et datur obliquum noscere solis iter;
Et cur hæc recto nostras oriantur ad auras,
Illaque cur prono tramite signa cadant;
Hinc patet, vt cœlo niteat nunc luna sereno,
Perq; vices lateat sub Phlegetonta nigrũ:
Sic fessi subijsse olim Tyrinthius hæros
Atlantis duro vertice fertur onus.
Prodeat ergo sacer Diua aspirante libellus,
Nec timeat morsus, inuida lingua, tuos.

EIVSDEM

EIVSDEM GEORGII VERCELLENSIS, SACRAE THEOLOGIAE PROFESSORIS, PRAEDICATORVM ORDINIS.

Breuis Tractatus super tertium Sphæræ caput.

De Ortu & occasu signorum secundum Poëtas.

QVONIAM ortus occasusq; signorum, aliter secundum Poëtas, aliter secundum Astronomos accipitur, ob id differēdum est quotupliciter apud Poëtas accipiatur, & quibus modis apud astronomos. Trifariam igitur apud Poëtas, dicitur signorum ortus, & occasus, Cosmicus videlicet, Cronicus, & Eliacus.

Signorū ortus, & occasus, secundum poëtas tripliciter dicitur.

Cosmicus siue mondanus est, cum signum, vel aliqua stella, ab orientali parte, supra orizontem, de die ascendit, Et ortus hic dicitur, non quidem ad hunc modum,

modum, vt stellæ ipsæ vel signa, nouiter oriantur, cum prius non fuerint, quoniam id falsissimum extat, Nam quotidie oriuntur & occidunt, atqui oriri dicuntur, atque occidere, similitudine quadam, ad res mortales, tum orientes, tum occidentes. Sicut enim res mortales, cum vere ortum habent, vere apparere dicuntur quæ antea non videbantur, & cum destruuntur, non amplius apparent quæ antea apparebant. ita dicimus signa vel stellas oriri, cum prius ipsis non apparentibus, videri incipiunt, & occidere, cum videri desinunt, prius ipsis apparentibus. Et licet quolibet die artificiali, sex semper oriantur, sexq. semper occidant, nihilominus antonomastice signum illud cosmice oriri dicitur, quod in octaua sphæra duntaxat reperitur. cum quo, seu in quo, sol mane oritur. Occasus vero cosmicus ortui oppositus est, cum signum oppositum, signo, cum sole orienti, se abscondere dicitur, vt si sole oriente, Tauri signum cosmice oriatur, vt circa medium Aprilis accidit, Scorpionis signum, huic diametraliter oppositum, cosmice occidet, seu à nostro declinabit orizonte & occultabitur. Et licet hic ortus vel occasus cosmicus, sensu percipi nequeat respectu signorum, licet fortasse non respectu Veneris, attamen intellectu id comprehendi potest.

Quo modo signa oriri cosmice dicátur, vel occidere.

Cronicus siue temporalis signorum ortus, vel occasus est, cum occidente sole, supra orizontem, ex parte orientis, aliquod signum, vel stella emergit, Occasus vero est cronicus, cum oppositum signum, alterius signi in sero orientis occidit seu sub orizonte occultur. Exempli gratia si occidente sole, supra orizontem nostrum oriatur & appareat, signum Cãeri, tunc isto oriente, Capricorni signum, huic oppositum, cronice occidit, & sub orizonte cadit.

Heliacus ortus siue solaris, est, cum signum vel astrum ita elongatur vt videri possit, cum prius non videretur, Occasus vero eliacus est, cum signum vel astrum,

astrum, ita soli propinquum efficitur, vt ex maximo solis splendore, videri nequeat. Lux enim solis astra omnia occultat, & ob id in die maxime post solis ortum supra emisphærium nostrum, vsque ad occasum, stellæ omnes, dici possunt occasum eliacum habere, & quo ad hunc ortum vel occasum, nullus habet respectus ad orizontem, sicut dicebatur, de ortu, & occasu Cosmico, & temporali. at solum respectus in hoc habetur, ad propinquitatem, scilicet & elongationem ipsius signi, vel astri, ad solem.

De Ortu & occasu signorum in sphæra recta, secundum Astronomos.

Quod discrimē sit inter ortum, occasumq; signoriam, apud Poëtas, & Astronomos

AD dicendorum claritudinem, id annotandum est, quòd ortus & occasus signorum secundum Astronomos, in hoc discriminatur ab ortu occasuque signorum apud Poëtas, quoniam apud Astronomos nō considerator de ortu heliaco, siue solari, sub ratione ortus, nec speculatio ortus Cosmici, vel cronici, fit sub hac ratione, vt mane vel sero oriantur, at solum ratione ascensus eorundem signorum supra orizontē ab orientali plaga, quocunque tempore id fiat. Estque talis signorum ortus, cum pars aliqua ipsius æquinoctialis exoritur, cum eaque simul aliquod signum nascitur supra orizontem, vel potius ascendit. Occasus illorum est, cū aliqua æquinoctionalis pars occidit, & sub orizonte occultatur cum qua, aliquod signum, sub orizonte se abscondit. At quoniam non vno eodemque modo, hic ortus vel occasus, in sphæra recta fit & obliqua, ob id quoniam modo, in vtraque fiat, enucleandum est. Et ad huiusce rei euidentiam,

Quæ sphæra recta, quæue obliqua sit et qui sub ipsis sint.

tiam sciendum est primo, quòd tam in sphæra recta, quàm obliqua, id est tam respectu habitantium sub circulo æquinoctiali, qui soli sphæram habent rectã, quàm habitantium extra præfatum circulum, qui obliquam sphæram habere dicuntur, semper æquinoctialis circulus vniformiter supra orizontem ascendit; Hæc autem vniformitas in eo consistit, vt in temporibus æqualibus, æquales arcus ipsius æquinoctialis ascendant & appareant; Nec potest angulus quem efficit æquinoctialis, cum orizonte obliquo in aliquibus horis diuersificari, quia motus primi mobilis semper vniformis est, & super polis mundi fit.

Aequinoctialis partes, habẽt æquales ascensiones. Zodiaci vero partes, minime.

Tametsi igitur in vtraque sphæra partes æquinoctialis, æquales habeant ascensiones quolibet tempore, haud tam partes zodiaci, in vtraque sphærà æquales habent ascensiones dum mouentur super polis mundi, ita vt tãta Zodiaci pars, in vna hora supra orizontem ascendat, sicut in alia, & sic differmiter partes eius ascendunt; Dum tamẽ mouetur super proprijs polis vniformiter partes eius ascendunt, at solum nunc eiusdem partium ascensiones contemplamur, prout Zodiacus ipse non super proprijs, sed alienis polis, nempe ipsius mundi mouetur. Quòd autem huiusmodi Zodiaci partes sic differmiter irregulariterque in diuersis horis ascendant, & in vna hora maior pars, in alia vero minor, ascendat, sic declaratur.

Quòd in vna hora, maior pars. Zodiaci ascendat, in alia hora minor, declarãt.

Nam Zodiacus, circulus obliquus est, tendens à signo cancri vsque ad signum capricorni, intersecans circulum æquinoctialem in duobus punctis, scilicet arietis & libre, & ob id aliqua eius pars rectè oritur, & aliqua oblique, & ea pars quæ rectè oritur & ascendit supra orizontem, tardius oritur & ascendit, ea vero pars quæ oblique nascitur cirius & celerius ascendit, & sic cum semper sex ipsius Zodiaci signa exoriãtur in die artificiali, siue longa, siue breui, & nonnulla rectè, oblique nonnulla nascantur, hinc optime sequitur vt signa rectè orientia tardius, & oblique, celerius

celerius moueantur, & ita in horis æqualibus, inæquales zodiaci arcus, supra orizontem ascendunt. Et quoniam hæc signa irregulariter mouentur, volentes Astronomi irregularitatem hanc, ad regularitatẽ reducere, speculati sunt quodlibet signum, cum aliqua æquinoctialis parte oriri, & ideo vt exemplo dicamus, dignouere, in quanto tempore, Aries, & singulum signorum oriatur, ex parte æquinoctialis vniformiter semper ascendente. Nam si pars æquinoctialis orta, erit. xv. gradus, signum cum hac parte ortum, in vna hora exortum erit, si pars erit. xxx. gradus, signum ortum cum hac parte, in duabus horis exortum erit. Ascensio enim. xv. graduum ipsius æquinoctialis, & aliorum circulorum supra orizontem, spacium est vnius hore. Et illud quod de ortu signorum & æquinoctialis supra orizontem dicitur, idem dicendum est de eorum occasu sub orizonte. Quando vero ipsius zodiaci signa, rectum vel obliquum ortum habere dicantur ex hoc facile dignosci potest; Nam signum aliquod tunc rectè oritur, cum quo maior pars æquinoctialis. oriri dicitur; Tunc vero maior pars exoriri dicitur, cum perfectè nascente signo, pars illa arcualis erit plusquam. xxx. gradus, tuncque oblique nascetur, cum pars illa orta minus erit quàm. xxx. gradus. Itidem de occasu dicendum est. Quæ autem signa ortum habeant rectum vel obliquum, & pariter occasum, in vtraque sphæra, sic aperimus. Nam in zodiaco quattuor sunt puncta principalia, siue cardinalia, videlicet Punctum solstitij æstiualis in principio Cancri, cum sol. xiij. Iunij ipsum ingreditur, Aliud est, solstitium hiemale in primo gradu capricorni, cum sol. xij. die Decembris præfatum signum ingreditur. Tertium est, æquinoctium veris, quod fit in primo arietis gradu, cum sol. xj. die Martij arietem ipsum subintrat. Postremum vero est, æquinoctium autumnale in principio libræ, cum sol. xiiij. die Septembris,

Quando zodiaci signa ortũ rectũ, vel obliquũ, habere dicãtur, per pulchre ostenditur.

libram ipſam ingreditur. Suntque iſta duo, æquinoctia in duabus interſectionibus æquinoctialis à zodiaco, in quibus æqualitas eſt dierum, & noctium in vniuerſa terra, in duobus autem ſolſtitijs eſt omnino inæqualitas; Ex his modo quattuor punctis, zodiaci, oritur diuiſio in quattuor partes æquales, quarum quælibet. xc. graduum eſt, & in ſphæra recta, iſte quattuor quartæ zodiaci, ab iſtis quattuor punctis in choate, ſuis adæquantur aſcenſionibus, vt quantum, videlicet temporis conſumit vna zodiaci quarta, ſuo in ortu, in tanto tempore, quarta æquinoctialis illi conterminalis ſibique correſpondens, peroritur, at partes harum quartarum variantur, ita quòd inæquales aſcenſiones habent, quia cum ſigna rectè oriuntur, maiores æquinoctionalis partes, aſcendunt, & cum oblique naſcuntur, minores partes apparent, vt dictum eſt. Vt vero quis facile dignoſcere poſſit, quæ ſigna habent æquales aſcenſiones, & quæ inæquales ſcire debet, quòd omnia ſigna æquæ diſtantia à quattuor punctis iam dictis, duobus, ſcilicet ſolſtitialibus, & duobus æquinoctialibus, habent aſcenſiones æquales, vt Aquarius, quo ad poſtremum eius gradum, & Taurus quo ad primum gradum, cum æqualiter diſtent à primo gradu Arietis, æquinoctium veris conſtituentis, æquales habent aſcenſiones; Similiter Taurus, quo ad poſtremum eius graduum, & Leo quo ad primum, æque diſtant à primo puncto Cancri, ſolſtitium æſtiuale conſtituentis, & ideo æquales habent aſcenſiones, & æquæ oriuntur in ſphæra recta, hincque fit, vt etiam omnia oppoſita ſicut Aries, & libra. Taurus, & Scorpio, Gemini & Sagittarius, Cancer, & Capricornus, Leo, & Aquarius, Virgo & Piſces, æquales habeant aſcenſiones, cum æquæ diſtent ab aliquo prædictorum punctorum. Dicuntur autem ſigna oppoſita quorum linea protracta diametraliter, & tranſiens per centrum mundi, vtrunque contingit. Et quod dicitur de ortu talium

Quæ ſigna æquales habent aſcenſiones quæue inæquales, optime cõmoſtratur

Quæ ſigna dicãtur eſſe oppoſita.

lium signorum, itidem de eorum occasu dicendum est. At si quispiam diceret, impossibile esse, vt quattuor quartæ zodiaci, æquentur suis ascensionibus, id est quattuor quartis æquinoctialis, ita vt simul oriantur in sphæra recta, & simul occidant, non tamen partes harum quartarum, videlicet zodiaci, & æquinoctialis, quia si hæ quattuor quartæ simul oriri incipiunt, & simul desinunt seu occidunt, proculdubio & partes ipse harum quartarum zodiaci, & æquinoctialis, simul & eodem tempore orientur, & occident. Dicendum est id possibile esse, inspecta natura harum quartarum, quia licet omnes quartæ zodiaci correspondentes quartis æquinoctionalis eodem tempore, & tanto, simul exorte sint, & occiderint, cũ tamen istarum quartarum, medietas singularum, citius oriatur, illa nempe cuius signa oblique oriuntur, & alia medietas tardius, nempe illa cuius signa rectè oriuntur, pulcherrime fit, vt proportionata velocitate vnius medietatis, cum tarditate alterius medietatis, simul tota quarta zodiaci, oriatur & æqualiter cum tota quarta æquinoctialis, sibi conterminali, nec tamen medietates vnius quartæ zodiaci eodẽ tpe, cum medietatibus vnius quartæ æquinoctialis sibi conterminalis, orientur, quia quanto partes zodiaci, viciniores sunt punctis æquinoctialibus tanto velocius oriuntur, & quanto propinquiores sunt pũctis solstitialibus, tanto tardius peroriuntur, quoniã partes æquinoctijs viciniores, oblique oriuntur, & ob id citius, & maior pars vnius quartæ zodiaci oritur, quàm ipsius æquinoctialis, partes vero propinquiores solstitijs, rectè nascuntur, & hac de causa tardius. Exempli gratia. Si sumamus, eam quartam zodiaci, quæ continet, hæc tria signa, videlicet Arietem, Taurum, & geminos, & similiter alteram quartam eiusdem zodiaci quæ pariter libram. Scorpionem, & sagittarium, cõtinet, semper prima medietas harum quartarum, zodiaci, velocius ascendet quàm

Obiectio.

Ad obiectionem, responsio.

medietas quartarum conterminalium ipſius æquinoctialis, & ſic maior pars de zodiaco & minor de æquinoctiali apparebit, reliquæ vero duæ medietates prædictarum quartarum tardius aſcendent, cum rectè oriantur, & nihilominus maior pars de circulo æquinoctionali ſemper apparebit, quàm de zodiaco vſque in finem quartæ propter velocitatem iam primæ partis motæ, & in fine ipſius quartæ, ambæ quartæ tam zodiaci, quæ æquinoctialis erunt æquales. Oppoſito vero modo accidet in alijs duabus quartis, ſcilicet quæ continent, Cancrum, Leonem, & Virginem, & alterius quartæ continentis Capricornum, Aquarium, & Piſces, Nam primæ medietates zodiaci, habent ortum, & aſcenſionem rectam reliquæ vero obliquam, & ſic primæ tardius, reliquæ velocius mouebuntur, & orientur, & iſta diuerſitas ſemper prouenit ex diuerſitate ortus recti vel obliqui, quia quando eſt ortus rectus, ſemper maior pars æquinoctialis oritur, quàm pars zodiaci ſibi conterminalis, cum hoc tamen vti dicebamus, quattuor quartæ, & complete zodiaci, eodem tempore, & præciſe, in ſphæra recta eaſdem habent aſcenſiones, & ortus, cum quattuor quartis circuli æquinoctialis ſibi conterminalibus. Id enim hoc exemplo clariuſcule patebit. Sint duo mobilia, puta Socrates, & Plato, quę mobilia, ambo, ſint per tranſitura, ſpacium duorum milliariorum, at alterum eorum, per vnum milliare, altero velocius moueatur, per alterum vero, mobile, tardius motum, per præfatum milliare, velocius altero, eadem præciſe, & proportionali velocitate, qua primum mouebatur, moueatur, tunc iſto in caſu, mobile primum, velocius motum per primum milliare maius ſpacium vſque ad finem ſecundi milliaris erit pertranſitum at in fine æquabuntur; & id quidem euenit, quia quantum ſpacium plus primum mobile velocius motum, pertranſijt, per primum milliare, tantum ſecundum mobile,

Ad dictorum intelligẽtiam, exemplũ apriſsimũ, at pulcherrimum.

bile, velocius motum, per secundum milliare pertrāsibit & excedet primum, & in fine secundi milliaris æquabuntur, etsi semper antea spacia inæqualia fuerint. Quantum enim mobile tardius motum, per vnum milliare deperdidit, tantum in secundo milliario velocius motum, recuperat, & sic in fine æqualia pertransita spacia erunt.

Quæ autem astra simul cum signis oriantur & occidant breuiter explicandum est.

Quæ astra simul cum signis oriantur & occidant.

CVM ariete enim oritur Andromede, pro parte sinistra, & Perſæus dimidius.

Cum Tauro. oritur totus Perſæus, Auriga, & Pistris.

Cum Geminis, oritur Eridanus, & Orion.

Cum Cancro. oritur media pars Corone Ariadnes, Piscis australis, & Engonasis.

Cum Leone. oritur caput Idræ, totus Lepus, & tota Aquila.

Cum Virgine. oritur Idra, Canis maior, Nauis, & Crater.

Cum Libra. oritur Bootes, & Arcturus, & cauda Cētauri.

Cum Scorpione. oritur tota Andromede, cum capite Cephei.

Cum Sagittario. oritur Ophiulcus, totus Anguis, & tota Lyra, cum humeris Cæphei.

Cum Capricorno. oritur pars superior Argos, cum Pupi.

Cum Aquario, oritur Centaurus vsque ad humeros.

Cum Piscibus. oritur Pisces, qui vocatur Notion, & dexira pars Andromede.

Cum occasu Arietis, occidit. Ara.

Cum Tauro. occidit Boores, nunquam tamen occidit totus, quia manu sinistra, circulum arcticum tenet.

Cum Geminis. occidit Ophiulcus à pedibus vsque ad genua.

Cum Cancro. occidit totus Orion.

Cum Leone. occidit Anguis, Boores totus, partes manus qua tenet circulum arcticum.

Cum Virgine. occidit Lyra, Sagita, Delphinus, caput Holoris, seu eigni.

Cum Libra. occidit reliquum Holoris, caput Andromede, & Persei.

Cum Scorpione. occidit Casiopeia. tota Corona, & cauda Idre.

Cum Sagittario. occidit Canis maior, cum toto lepore, & Orione.

Cum Capricorno, occidit reliqua figura Nauis, & Protion.

Cum Aquario. occidit caput Idre, vsque ad humeros.

Cum Piscibus. occidit reliquum corpus Idre, & Centaurus.

De Ortu, & occasu signorum in sphæra obliqua.

IN Sphæra obliqua commorantes, cum non habeant orizontem transeuntem per polos mundi, sicuti habent commorantes in sphæra recta, at semper alter polorum appareat alter autem semper occultatur, fieri ne quit,

quit, vt cum sol in punctis est solstitialibus, poli æquinoctialis,& poli zodiaci sint in orizonte,sicuti in sphæra recta eueniebat, & hinc oritur, vt orizon intersecet tunc æquinoctialem, & zodiacum, non ad angulos rectos,vt in sphæra recta, & hinc etiam fit, vt quartæ principales zodiaci, oriri nequeant cum quartis principalibus æquinoctialis,vt in sphæra recta, at solum duæ medietates ipsius zodiaci quæ sunt à duobus punctis æquinoctialibus, scilicet à principio arietis,vsque in finem Virginis,& à principio libræ vsque in finem Piscium, simul & eodem tempore oriuntur cum duabus medietatibus ipsius æquinoctialis sibi conterminalibus, & sic hæ duæ zodiaci medietates æquantur suis ascensionibus. Nam cum idem punctus medietates vtriusque, zodiaci videlicet,& æquinoctialis,inchoet, & illas terminet necessario, in eodem instanti circulum orizontis attingunt,& in eodem,eundem relinquunt, Verum partes istarum duarum medietatum, variantur secundum suas ascẽsiones,quoniam in medietate illa quæ est à principio Arietis,vsque in finem Virginis,semper maior pars de zodiaco oritur, quàm de æquinoctiali,& quartæ ipsius zodiaci, in sphæra obliqua nõ adæquantur suis ascensionibus, seu quartis ipsius æquinoctialis, & tamen ipse medietates simul perorĩ tur. Causa vero huiusce inadęquationis est obliquitas orizontis,quia citius quarta zodiaci attingit orizontem, quàm quarta circuli æquinoctialis sibi conterminalis; Et similiter quælibet pars huius medietatis zodiaci semper inæqualiter oritur cum suis ascensionibus, quandoquidem arcus zodiaci, à principio Arietis,vsque in finem Virginis, maiores sint, quàm arcus æquinoctialis sibi correspondentes, attamen in fine medietatis erunt æquales. Econtra vero accidit in reliqua medietate quæ est à principio libræ vsque in finem piscium, quoniam etsi medietas hæc æquetur medietati ipsius æquinoctialis sibi conterminalis;

nalis, & simul peroriatur non tamē partes huius medietatis, quia semper maior pars de æquinoctiali oritur, & maiores arcus, quàm de zodiaco, & ob id, hæ partes non æquantur suis ascensionibus. Nam plus semper de æquinoctialis parte, ascendit, quàm de zodiaci parte super orizontem. Et id quidem euenit, quia talia signa in hac medietate contenta, rectè oriri dicuntur, & ob id tardius; Hincque fit, vt quanto signa, erunt principio Arietis, viciniora, tanto obliquius nascantur & velocius, & quanto erunt vicinio ra princ pio Librę, tanto rectius oriantur & tardius; Econtra vero de eorum occasu. Nam quanto signa erunt Arieti, propinquiora, tanto rectius occident & tardius, & quanto Libræ magis proxima erunt, tā to obliquius occident, & velocius. Hinc sequitur vlterius, vt omnia signa principium Arietis, in medium, statuentia, obliquę oriantur, & rectè occidant, & hæc sex sunt, videlicet, Capricornus, Aquarius, Pisces, Aries, Taurus, & Gemini. Alia vero sex quæ principium libræ in medium adducunt ortum habēt rectum, & occasum obliquum, & sunt Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpio, & Sagittarius. Si modo quod absolute dictum est de ortu & occasu signorum in sphæra obliqua, ad ortum & occasum eorundem signorum in sphæra recta, comparemus, sic astruendum est. Vt omnia signa obliquæ orientia deficiunt ab ortu quem haberent in sphæra recta, & omnia signa habentia ortum rectum, in sphæra obliqua, augeant in ortu suo. xij. gradus quos non habent in sphæra recta; Exempli causa. Aries, in sphæra obliqua, solum in ortu suo, habet. xvj. gradus, & in sphæra recta. xxviij. & sic aries, ex ortu obliquo, deficit ab ortu recto, in gradibus. xij. Libra vero Arieti opposita. ex eo quòd in sphæra obliqua, ortū habet rectum, augebit ascensionem suam, quia plures gradus in ortu suo habet, quàm habeat in sphæra recta; Nam in ipsa recta sphæra, libra. xxviij. gradus

Quādo signa, obliquius, & rectius oriātur, & occidant.

Exemplū prædicta clarificāt.

in

in ortu suo duntaxat haber,& in sphæra obliqua. xl. & sic dum oritur libra, cum simul in sphæra recta oriantur solum xxviij. gradus æquinoctialis,in sphæra obliqua,per oriuntur. xl. & ita auget ascensionem suam per gradus. xij. Hinc etiam fit vt quantum deficit aliquod signum in sphæra obliqua,ab eo quod in ortu suo haberet in sphæra recta: tantum oppositum signum in ortu suo,auget in sphæra obliqua,quemadmodum de Ariete & Libra exemplificatum est. Et quod de his duobus signis oppositis dictum est, pariter de omnibus alijs oppositis dicendum erit;Et hoc est quod pulcherrime astruit sphæræ author, cap. iij. dum inquit,quòd arcus, qui succedunt Arieti, vsque in finem virginis in sphæra obliqua,minuunt ascensiones suas, supra ascensiones eorundem arcuum in sphæra recta, quia minus de æquinoctiali oritur. Et arcus, qui succedunt Libræ vsque ad finem Pisciu in sphæra obliqua, augent ascensiones suas supra ascensiones eorundem arcuum in sphæra recta, quia plus de æquinoctiali oritur. Augent (inquit) secundum tantam quantitatem,in quanta arcus succedentes,Arieti,minuunt. Et hinc quoque sequitur quòd signa quæcunque opposita in sphæra obliqua si quo ad ortum simul iungantur, talis ortus coniunctio, æqualis erit coniunctioni ortus signorum eorundē in sphæra recta. Exempli gratia, Aries, in sphæra obliqua in ortu suo,solum. xvj. gradus habet, & libra eidem opposita. xl.qui gradus si adinuicem coniungantur erunt.lvj. gradus,quorum duorum signorum oppositorum ortus, si in sphæra recta adinuicē coniunganrur, cum quodlibet eorum oriatur cum gradibus. xxviij. adinuicem hi gradus iuncti erunt. lvj. Et hoc idem asserendum est de eorundem occasu, hoc excepto, quòd signū illud quod in ortu suo, in sphæra obliqua gradus auget,in occasu. gradus diminuit,Exempli causa. Aries,in sphæra obliqua,habebat in ortu suo gradus sexdecim,in occasu vero habebit

Predicta esse vera confirmatur auctoritate Ioānis de Sacro busto auctoris sphæræ.

bebit gradus. xl. Oppositum autem in libra euenier, Nam in ortu suo habebat gradus. xl. in occasu vero solum habebit gradus. xvj. Qui signorum occasus si adinuicem coniungantur, conficient gradus. lvj. qui etiã si in sphæra recta adunentur totidem gradus efficient, quia vnumquodque horum duorum signorum habebat in occasu gradus. xxviij. & ita de alijs dicendum erit. Hinc regula vna sumi potest, vt omnia signa, quæ in medium ponunt, principium Arietis, quæ incipiunt à Capricorno vsque ad finem Geminorum, in sphæra obliqua, obliquæ & velociter oriuntur, & rectè ac tarde occidunt, & quæcunque signa, in medium afferunt principium libræ, quæ inchoant à Cancro vsque in finem sagittarij in sphæra obliqua, rectè ac tarde oriuntur, & obliquæ, ac veloci ter occidunt; Et hinc oritur vt dies longiores sint vno tempore quàm alio, & pariter noctes. Et ideo ad claritudinem longitudinis & breuitatis dierum ac noctium sciendum est, quòd qualibet die, siue longa, siue breui, semper sex signa oriuntur & sex nocte occidunt, Nam semper media zodiaci pars, est supra orizontem nostrum, & media, occultatur, & ob id si ponamus solem in primo puncto tauri, oriri, & supra orizontem nostrum apparere, in eodem instanti quo oritur, primum, scorpionis sibi oppositi, punctum, ab orizonte nostro recedet, & antipodis orietur, quia zodiacus & orizon, cum sint circuli maiores, sese æqualiter intersecant. Si igitur sol motu diurno moueatur versus occasum, cum primũ Tauri punctum, in quo oriebatur sol peruenerit, in sero ad orizontem occasus, tunc primum punctum scorpionis, in eodem tempore reuertetur in orizonte ortus ipsius solis, cum hæc signa opposita sint; Et sic patet in vna die, ortam esse medietatem zodiaci, & consequenter sex signa; Itidem omnino eueniet, si ponamus solem oriri in Capricorno in quo inchoatur hiems, vel in Cancro, in quo inchoatur æstas.

Regula generalis.

Longitudinis, ac breuitatis dierũ, ac noctium, causa declaratur.

Hoc

Hoc stante, dicendum est, cautam longitudinis, & breuitatis dierum ac noctium, esse ortum signorum, vel obliquæ, vel rectè, quia quanto plura signa rectè orientur, in vna die, tanto dies, longior erit, cum signa, ortum habentia rectum, tardius oriantur signis obliquæ ortis, & ob id plures gradus æquinoctialis orientur, cum signis, rectè ortis, quàm obliquæ. Cumque sex signa rectè oriantur, & sex obliquæ, ueniet sanè, quòd quando sol erit in primo puncto cancri, & simul cum eo orietur, cum tunc sex signa ortum habentia rectum, in die oriantur, dies ille omnibus alijs sit longior, & nox breuior. Et hæc sex signa, vti iam dictum est sunt, Cancer, Leo, Virgo Libra, Scorpio, & Sagittarius. Oppositum omnino eueniet, cum sol orietur vna cum sex signis, obliquũ habẽtibus ortum, videlicet cum Capricorno, Aquario, Piscibus, Ariete, Tauro, ac Geminis, Nam sole oriente cum primo puncto Capricorni, cum simul oriantur prędicta sex signa obliquę, dies erit breuior omnibus diebus anni, & nox longior; Cum verò accidit vt sole oriente, tria signa rectè, & tria obliquæ oriantur, dies tunc erunt noctibus æquales, sicuti accidit in principio Arietis, & in principio Libræ. Et hæc erit generalis regula, quòd quanto plura signa rectè oriuntur, tanto dies longiores sunt, & quanto plura signa obliquæ oriuntur, tanto, dies sunt breuiores, & itidem de noctibus asserimus, quia quanto signa plura rectius occidunt, tanto noctes longiores, & quanto obliquius tãto breuiores sunt.

Signorũ ortus, obliquus vel rectus, longitudinẽ, ac breuitatẽ tum dierũ, tũ noctium causat.

Generalis regula.

De Diuersitate dierum naturalium, & artificialium.

Dies apud Astronomos quidam naturalis est, & quidã artificialis, et quid vterq; sit aperitur.

HOC in loco sciendum est, quòd dies apud Astronomos bifariam sumitur, Nam quidam naturalis est, quidam artificialis. Naturalis est tempus elapsum. xxiij. horarum, seu est motus, siue cursus solis quem facit circa totã terram, motu diurno, seu motu primi mobilis, seu etiam clarius, est tempus in quo fit reuolutio totius circuli æquinoctialis, & vltra, alicuius eius partis quæ oritur, cum zodiaci parte, ab ortu ad ortum, ab ipso sole motu proprio pertranſita. Et est hæc pars à sole pertranſita motu proprio. lix. minuta & octo secunda; Et ideo cum totus æquinoctialis semel reuolutus fuerit, & amplius tanta pars eiusdem æquinoctialis, quæ est. lix. minutorum &. viij. secundarum, quæ quidẽ pars quasi vnius est gradus, erit dies vnus naturalis; Atqui cum quolibet die, ab Ariete, vsque ad primum punctum Cancri, quasi vno gradu vti diximus motu proprio moueatur, ob id, dies naturalis semper excrescet & sic in primo puncto Cancri, dies longissima erit. Et vt facilius quod dicimus percipiatur; Aduertendum est, quòd quando sol est in principio Arietis, tunc cum sex signa oriantur, & tria quidem obliquæ vt Aries, Taurus, & Gemini, & tria rectè scilicet. Cancer, Leo & Virgo, ob id dies æquales sunt noctibus, dies inquam artificiales, Quando vero sol ingreditur Taurum tunc oriũtur solum duo signa obliquæ, videlicet Taurus. & Gemini, & quatuor rectè, scilicet Cancer, Leo, Virgo, & libra, & ideo dies noctibus sunt longiores, Quando autem sol est in Geminis, tunc solum vnũ signum obliquæ oritur, Gemini, scilicet, & quinque rectè,

Pulcherrima declaratio, qua dierũ, ac noctium æqualitas & inæqualitas ostenditur.

rectè, videlicet, Cancer, Leo, Virgo, Libra, & Scorpio, & ideo adhuc longiores sunt & noctes breuiores; Quando postremo sol est in Cancro, tunc sex signa rectè oriuntur, videlicet, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpio & Sagittarius, & dies tunc adhuc longiores sunt, & noctes breuiores, nec amplius longiores esse possunt, quin dum sol est in Leone iam solũ quinque signa rectè oriuntur, & vnum obliquæ, scilicet Capricornus; Vnde vero inchoetur hic dies quem naturalem nuncupamus, dicendum est secundum Astronomos, inchoare à puncto interdiei, ideſt cum sol est in Meridiano, & reuertitur ad meridiãnũ eundem, secundum nonnullos vero incipit ab ortu solis, & terminatur ad ortum sequentem; secundum alios vero incipit ab occasu ipsius solis, id est à prima noctis hora, vsque ad primam alterius noctis, & sic in Italia, inchoatur.

Vnde inchoetur dies naturalis secũdũ Astronomos.

Dies vero artificialis semper duodecim est horarum, siue sit longissima, vt in æstate, siue breuissima, vt in hieme. Atqui ad huiusce rei claritudinem, sciendum est, horam constituentem artificialem diẽ, duplicem esse, artificialem, scilicet, & naturalem; Artificialis est. xxv. pars, diei naturalis, id est vna xxiiij. horarum, & quo ad hanc horam, non omnes dies artificiales dicuntur æquales, quia vnus quandoque est tredecim, quandoque quatuordecim, quandoque quindecim &c. horarum, vocatusque est artificialis, quia secundum institutum humanum, diuisus est dies naturalis, in. xxiiij horis æqualibus: Naturalis vero hora est, tantum tempus secundum Astronomos, quantum medietas vnius signi supra orizontẽ ascendit, cum vero quolibet die artificiali sex signa oriantur, & id quidem infallibiliter eueniat, sexque signa duodecim medietates constituant, inde sequitur vt. xij. horas naturales, quilibet dies artificialis contineat, siue longa, siue brevis existat, Dicuntur q. hæ horæ naturales, quia constitute sunt secundum

Hora diẽ artificialẽ constituẽs duplex ẽ, & quæ vtraque sit ostenditur.

domi

dominum Planetarum, & fortasse etiam, quia constituuntur secundum naturales ascensiones medietatum signorum zodiaci. Et licet quilibet artificialis dies ex talibus horis.xij. naturalibus constitutus sit, non propterea tales dies æquales esse dicuntur, at inæquales ex horarum naturalium inæqualitate. Quod sic manifestum euadit. Nam cum signa vti dictum est superius, nonnulla rectè oriantur, & nonnulla obliquę cum accidit vt vno die artificiali, signa magis rectè oriuntur, & ob id tardius, quàm quæ obliquæ oriuntur, necessum est dies longiores esse, hijs in quibus signa minus rectè oriuntur. Quòd si eueniat vt vno die artificiali omnia sex signa rectè oriantur, & dies erunt longissime & hore pariter, dies ipsos constituentes. Ortus igitur signorum rectus vel obliquus, est vna causarum longitudinis vel breuitatis dierum naturalium & inæqualitatis eorundem; Alia causa diuersitatis, & inæqualitatis dierum & noctium in sphęra obliqua, est maioritas arcuum à sole descriptorum, & ab orizonte obliquo inæqualiter intersectorum. Pro cuius euidentia sciendum est, quòd sol tendens à primo puncto Capricorni, per arietem vsque ad primum punctum Cancri, raptu primi mobilis describit. clxxxij. circulos pararellos, qui dicuntur pararelli, id est æquidistantes abinuicem, inter quos circulos sunt duo Tropici, & æquinoctialis, Et cum rursum mouetur à primo puncto Cancri, vsque ad primum punctum Capricorni, totidem describit, & sic quolibet die describet vnum circulum, & in primo pũcto Capricorni describet Tropicum hiemalem, in primo Arietis, circulum æquinoctialem, & in primo puncto Cancri, Tropicum æstiualem. Isti circuli, dierum naturalium circuli appellantur, & arcus ab orizonte intersecti, qui sunt supra ipsum, arcus dierum artificialium sunt, Arcus vero sub orizonte reperti, arcus noctium sunt; Et quia in sphęra recta eius orizon, transit per polos mundi,

Alia assignat causa diuersitatis, & inæqualitatis dierum ac noctium in sphæra obliqua.

mundi, ideo diuidit omnes istos circulos prædictos in duas partes æquales, & ideo habentibus sphæram rectam; id est commorantibus sub circulo æquinoctiali, erunt dierum circuli, omnino æquales, circulis noctium, & hac de re talibus habitatoribus, semper est æquinoctium. At in obliqua sphæra, orizon obliquus, solum diuidit circulum æquinoctialem in duas partes æquales in principio Arietis & in principio libræ, & ideo tunc est æquinoctium in vniuersa terra, verum alios circulos omnes, orizon obliquus diuidit in partes inæquales, adeo quòd in circulis omnibus, qui sunt ab æquinoctiali vsque ad Tropicum Cancri, & in ipso Tropico, maiores sunt arcus diei, id est qui supra orizontem, & hemisphærium nostrum sunt, quàm sint arcus noctis; id est sub orizonte existentes; Et hinc fit vt in toto tempore quo sol mouetur à principio Arietis per cancrum vsque in finem Virginis, dies maiores sint noctibus; Et tanto plus dies excrescunt, & maiores extant, quanto plus, sol accedit ad Cancrum, & tanto minorantur, quanto magis ab ipso recedunt. Cum autem sol percurrit signa australia, Libram scilicet, & alia omnia vsq; ad finem Piscium, econtra euenit, quia maiores erùt circuli sub orizonte, quàm supra, & sic cum sint arcus noctium, maiores erunt noctes, quàm dies, Et propterea quanto magis receditur à libra, & tenditur versus primum punctum Capricorni, tanto magis noctes augentur, & longiores fiunt, & quanto magis receditur à Capricorno, tanto magis minorantur noctes; Sunt tamen noctes tales semper diebus maiores vsque ad primum punctum Arietis.

De

De temporum varietate respectu habitatorum.

Habitantes sub circulo æquinoctiali, duas habent æstates, & duas hiemes.

ABITANTIBVS sub circulo equinoctiali, cum zenith, sit sub eodem circulo, & bis in anno per tale zenith capitis eorum sol transeat, videlicet, in principio Arietis, & in principio libræ, iccirco talibus duo erunt solstitia alta, scilicet in Ariete, & in libra, & sic duas ętates quia tunc ętas est, quando sol est in zenith, vel propè, & est maximus calor, & duo alia yma, videlicet cum sol erit in Cancro vel in Capricorno, & tunc cum maxime remouebitur à zenith capitis eorum, erit maximum frigus, & ita duas hiemes habebunt. Hincque fit, vt tempora nobis, Ver, & autumnum, causantia, illis duas æstates, & tempora quæ nobis, tum æstatem, tum hiemem adducunt, illis duas hiemes gignant, His quoque habitatoribus quinque causantur vmbre; Nam cum sol est in Oriente, vmbra ad Occidentem porrigitur, cum est in Occidente, econtra ad Orientem extenditur, & cum est in puncto meridiei, vmbra sub pedibus cadit, cum sol est in signis australibus, vmbra ad septẽtrionem, cum est in signis septentrionalibus, vmbra ad austrum declinat.

Habitatoribus sub æquinoctiali circulo quinque causantur vmbræ.

Illis habitatoribus quorum zenith est inter circulum æquinoctialem, & Tropicum Cancri, apparet polus septentrionalis seu articus, & stelle circa ipsum, alter vero polus semper occultatur; Hij quoque duas habebunt æstates, & duas hiemes, quoniam sol bis in anno pertransibit per zenith capitis eorum, habebunt & vmbras quinque sicut & habitantes sub æquinoctiali; In hoc autem situ videtur esse Arabia. Prædicti autem habitatores ex eo quòd Orizontẽ

non

non habent transeuntes per polos mundi, & consequenter non intersecantem æqualiter dierum circulos, ob id dies non habebunt semper noctibus æquales, at solum cum sol in punctis erit æquinoctialibus.

Incolis illis, quorum zenith est in tropico Cancri, cum solum semel in anno sol pertranseat per zenith capitis eorum, scilicet cum est in primo puncto Cancri, solum vna æstas est, & vna hiems, videlicet, cum sol est in primo puncto Capricorni, & talibus solum in vnica vnius diei hora, est vmbra perpendicularis, siue sub pedibus, & tunc est, cum sol est in primo puncto Cancri, & in tali situ dicitur esse Syene Ciuitas, iuxta illud Lucani. Vmbra nusquam flectente syene, & hoc intelligendum est in meridie vnius diei. In residuo vero tempore totius anni, vmbra flectitur ad septentrionem, & id euenit, quoniam sol versus septẽtrionem, nunquam trãsgreditur primum punctum Cancri, at ab illo recedens tendit versus Austrum, & propterea causat vmbram semper versus septentrionem. Hij autem eam diuersitatem dierum, & noctium habent, quam habere noscuntur habitantes inter æquinoctialem, & Tropicum Cancri.

Quibus zenith est in tropico cancri habent solũ vnam æstatem.

Habitantibus terram, quorum zenith, est inter tropicum Cancri & circulum arcticum, cum sol nunquam transeat per zenith capitis eorum, nunquam est vmbra perpendicularis, seu sub pedibus, at illis semper est versus septentrionem & tales solum vnã habent æstatem, cum videlicet sol appropinquat zenith capitis eorum, & vnam hiemem; Et talis est situs noster, eritque nobis bis in anno æquinoctium, scilicet in primo puncto Arietis, & Libræ, reliquo vero tempore, vel dies, noctibus sunt longiores, vel econtra. Nam quando sol percurrit signa septentrionalia tunc dies longiores sunt noctibus, quando vero permeat per signa australia, noctes, diebus sunt prolixiores. Notandum est, quòd discrimen ali-

Nos zenith habemus inter tropicum cancri & circulum arcticum.

quod in Auctorem sphæræ est, & Albertum. Nam Auctor sphæræ Ethiopiam collocat sub circulo æquinoctiali, Albertus vero sub Tropico Cancri, ob maximum calorem, & ob id asserit, quòd ita nigri nascuntur, Ptolemæus tamen dicere videtur in quadripartito, Ethiopiam ipsam partim sub æquinoctiali esse, quæ secundum se totam, vsque ad tropicum cancri protenditur, quo posito & admisso, vtraque prædictarum opinionum veritate gauderet, Atqui Alberti opinio rationabilior ac verior esse videtur.

Illis terræ habitatoribus, quorum zenith est in circulo arctico, cum quolibet anni die, zenith capitis eorum sit idem cum polo zodiaci, tunc habebunt ecliptica m, zodiacum æqualiter diuidentem, pro orizonte, & cum sint circuli maiores intersecabunt sese, & hęc intersectio in instanti erit; & huiusce euentus causa est, quia cum zenith idem existens cum polo zodiaci, ab eodem polo discedit, quod in instanti fit, etiam orizon in instanti desinet esse idem cum ecliptica, & sic intersecabunt se in duas partes æquales, cum sint circuli maiores, tuncque medietas zodiaci erit supra terram, & alia medietas subtus, & id quidem in instanti eueniet, & ita sex signa in instanti nascentur, & reliqua sex in toto tempore, seu spacio. xxiiij. horarum. Et id prouenit ex maxima orizontis obliquitate vel rectitudine. Nam Capricornus, Aquarius, Pisces, Aries, Taurus & Gemini, ita obliquè oriuntur, & tanta velocitate, vt nil æquinoctialis cum illis consurgat, Cancer vero, Leo, Virgo, Libra, Scorpio, & Sagittarius, adeo rectè oriuntur & tanta cum tarditate, vt solum in. xxiiij. horis oriantur cum toto æquinoctiali, hincque fit vt cum sol erit in primo puncto Cancri, dies erit. xxiiij. horarum & nox vnius instantis, econtra vero cum sol erit in primo puncto Capricorni nox erit. xxiiij. horarum, & dies vnius instantis. Dum enim sol in his punctis existit, orizon in instanti occidit & statim emergit; Respectu

Quando prefati habitatores, habent p vna die.

ctu vero occasus est oppositio modo; Nam signa rectè orientia, in instanti occidunt, & obliquæ orientia, in. xxiiij. horis occidunt. Possumus quoque huius longitudinis diei, ac noctis, respectu habentium zenith in arctico circulo vel antarctico, aliam assignare rationem. Estque talis, quia cum sol est in primo puncto Cancri, vel Capricorni, non potest orizon intersecare omnes circulos diei, at duo remanēt non intersecti, videlicet circulus Tropici Cancri, & Tropici Capricorni, & ob id dies per. xxiiij. horas continuatur, dum sol est in primo puncto Cancri, & nox per totidem horas, dum est in primo puncto Capricorni. Vmbras vero hij habitatores semper habent versus septentrionem sicuti nos.

xxiiij horas, & pro vna nocte solum instans, & econtra.

Alia longitudinis diei ac noctis, assignatur rō

Illis habitatoribus quorum zenith est inter circulum arcticum, & polum mundi, arcticum, continget quòd orizon illorum intersecet zodiacum in duobus punctis æque distantibus à tropico Cancri, & illa pars zodiaci intercepta semper relinquetur super orizontem, quamdiu igitur sol erit in illa portione intercepta, erit vnus dies continuus sine nocte; Et si illa portio erit ad quantitatem vnius signi, erit ibi dies continuus vnius mensis sine nocte, si ad quantitatem duorum signorum, erit duorum mensium, & ita deinceps, vt inquit auctor sphæræ. Cum autem sol mouebitur in illa portione æqualiter distante à primo puncto Capricorni, tunc illa portio sub orizonte erit & sic eisdem supradictis habitatoribus erit continua nox secundum quantitatem maiorem, vel minorem portionis intercepte vti superius nuncnūc dictum est. Reliqua autem signa eis orientia & occidentia, præpostere oriuntur & occidunt. Præpostere oriuntur, sicut Taurus, ante Arietem, & Aries, ante Pisces, & Pisces, ante Aquarium, occumbunt autem directe, & suo ordine. Oppositi autem his signa recto oriuntur ordine, & occidunt præpostere, vt Scorpio ante Libram, & Libra, ante Virginem.

Quibus dies vna possit esse vnus mensis vel plꝰ & similiter nox.

Quibus dies esse possit per sex menses continuos, & nox pariter

Terram incolentibus, quorum zenith est in polo arctico, orizon est equinoctionalis, q cum intersecet zodiacum in partes equales, & orizon eundem æqualiter intersecabit, relinquendo eius medietatem supra, & reliquam infra, & cum euenerit, vt sol percurrat illam medietatem quæ est à principio Arietis vsque in finem Virginis, illis erit vnus continuus dies sine nocte, & ita per sex menses dies erit continuus; Et cum decurrerit per aliam medietatem quæ est à principio Libræ vsq; in finem Piscium vna erit nox continua sine die, hincque fit vt medietas vnius anni, vna sit dies artificialis, & alia medietas vna nox, & totus annus erit vna dies naturalis; Et hoc verum est si per diem naturalem intelligamus præsentiam lucis & tenebrarum, & per diem artificialem intelligamus præsentiam vel lucis, vel tenebrarum, non autem si per diem accipiamus reuolutionem præcisam cœli, quia in. xxiiij. horis hæc absoluitur. Et simili ter hoc quod dictum est, de die naturali, & artificiali, intelligendum est secundum rationem physicam, & naturalem ab ortu solis secundum suam substantiam vsque ad occasum sub orizonte. Et licet dum sol est sub orizonte, distet ab æquinoctiali solum. xxiij. gradibus, & 30. vnum minutis, & videatur dies esse antequam sol eleuetur super terram per gradus. xviij. secundum Ptolomæum, nihilominus ex vaporibus maximis eleuatis, & non consumptis, non serenatur aër, & ob id non erit dies clara, at ob scura. Quæritur.

PRAEFATI GEORGII VERCELLENSIS, SACRAE THEOLOGIAE PROFESSORIS, Ordinis Prædicatorum.

QVAESTIONES THEOLOGICAE.

Quæstio. De hominis fine naturali, & supernaturali, & de eius appetitu.

QVAERITVR. Nũ Deus Optimus Max. vt est, beatitudinis supernaturalis finis, hominis, dicendus sit, eiusdem finis naturalis, vel potius supernaturalis, anque ab eodem naturaliter appetatur, vel appeti possit.

In quæstione hac perdifficili, ob variam excellentissimorum virorum, opinionem, hoc tramite, hocque ordine procedemus, Vt prius terminos in quęstione positos elucidemus, Deinde ponamus eã,

quam. D. Thomæ opinionem esse certo credimus, vna suis cum fundamentis, clarissimis; Postremo oppositam aduersariorum opinionem adducemus, & rationes ac argumenta quibus innituntur, perpulchre dissoluemus.

Deus, sicuti duplicē habet summi boni, rōnem, naturalis, videlicet, et supernaturalis, ita duplicem habet rationem finis, naturalis, scilicet, & supernaturalis.

Quo ad primum sciendum est, q̄ quemadmodum deus duplicem subit rationem summi boni, ita & duplicem subit rationem finis, quandoquidem quippiā nequeat habere rationem finis, nisi habeat rationem boni, & id, quod habet primi, & vltimi finis, rationem, necessario habet & rationem summi boni. Cum itaque constet deum esse summum bonum, vt docent philosophi, presertim Arist. xij. Metaph. tex. com. xxxvj. &. xxxviij. quod mouet, vt appetibile, & intelligibile, & vt amatum, & ab omnibus exoptatum, & ad quod tale summum bonum, totius vniuersi bonum ordinatur ex tex. lij. vtque edocent pariter Theologi, præcipue. D. Thom. j. q. vj. art. iij. &. iiij. ac in omnibus doctrinæ suæ locis, manifestum item erit, & deum ipsum sub tali ratione consideratum, esse omnium rerum creatarum, seu totius vniuersi, finem naturalem, quem omnia exoptant, & in quem, cuncta suapte natura feruntur. Est enim vniuersalis omnium finis, sicut est vniuersale omnium agens, & efficiens. Constetque præterea & ipsummet deum esse summum bonum supernaturale, in quo, supernaturalis, omnium creaturarum intellectualium beatitudo, consistit, quæ sanè solum, in clara apertaque ipsius visione sicuti est, collocatur, clarescet etiam eundem, finem esse supernaturalem, quo cognito, intellectuales creaturę, in ipsum tendunt ac ipsum assequi exoptant. Et hinc fit, vt deus, vere, optimeque dici queat, & naturalis, rerum omnium finis, & supernaturalis, respectu creaturarum intellectualium. Sciendum præterea est, quòd appetitus quandoque sumitur pro inclinatione cuiusque rei qua naturaliter vnaquaque tendit in propriū finem,

finem,ſicut appetitus grauis,vel leuis, eſt, inclinatio quędam ipſorum naturam ſequens, qua alterum,ad centrum deſcendit,alterum vero cœlum verſus,aſcendit,ſicut ad proprium locum, naturalemq. finem. Hicque appetitus reperitur non ſolum in rebus materialibus at eriam in rebus intellectualibus,quia cum talis appetitus naturam ſemper ſequatur, quæ cunctis rebus communis eſt, quæque ſemper præcedit intellectum, & voluntatem, quatenus intellectus ac voluntas eſt, propterea creaturæ omnes intellectuales, tali gaudent appetitu quo ſuapte natura,in ſuum feruntur bonum, propriumque finem. Quandoque appetitus, ſumitur pro actu elicito ipſius potentiæ; Et dicitur actus elicitus, quia immediate ab ipſa potentia manat, & iſto modo vel le,dicitur actus elicitus,ipſius voluntatis. His prænotatis,dicitur, clarum quæſiti ſenſum hunc eſſe, vt quæratur, Num Deus Optimus Maximus, vt obiectum,& finis ſuper naturalis beatitudinis,conſiſtentis in aperta claraque ipſius dei viſione, dici queat, naturalis hominis finis,& ab ipſomet homine naturaliter ſecluſo quocunque habitu infuſo, appeti poſſit,non quidem actu elicito, at naturali quadam ipſius inclinatione.

Appetitus bifariam accipit, videlicet pro inclinatione cuiuſcunque rei & pro actu elicito ab ipſa potentia.

Ad hoc quæſitum à. D. Thoma pleriſque in locis tractatum,vt infra videbitur, hac vnica concluſione,reſpondetur.

Cõcluſio.

Deum ipſum Optimum Maximum, vt finem ſupernaturalis beatitudinis, naturalem hominis finẽ, appellitari minime poſſe,nec dici debere, nec eundẽ quoque naturaliter appetere, in ipſumque ferri valere.

Pluribus. D Thomæ auctoritatibus, & rõne, probatur ipſius concluſionis prima pars.

Hæc concluſio, duas cum habeat partes, quo ad ambas quampulchre dilucidabitur. Et quo ad primam quidem, quòd finis minime naturalis, exter, probatur primo ex. D. Thomæ doctrina. j. quæſt. j. art. j. Nam hoc in loco, probare contendens,præ-

ter physicas disciplinas, doctrinam aliam necessario esse dandam, nempe sacram Theologiam, diuinitus reuelatam, sic ait. Quòd quia homo ordinatur ad deum veluti ad finem quendam, comprehensionem rationis excedentem, iuxta illud Esaia.lxiij. Oculus non vidit deus absque te, quæ præparasti diligentibus te, oportetque finem mortalibus esse prægnitum, vt suas valeant intentiones actionesque in eundem ordinare, ob id, necessarium fuit homini ad capessendam salutem suam, quòd ei, quædam per reuelationem diuinam nota fierent, quæ rationem penitus excedunt humanam. Rursus. q.xxiij. art.j. ait. Ad prouidentiam pertinet res in finem ordinare; Finis autem ad quem res create ordinatur à deo duplex est. Vnus quidem, qui naturæ creatæ proportionem excedit & facultatem, & finis hic vita extat æterna, quæ in diuina visione consistit, quæ est supra naturam cuiuslibet creaturæ. Alius autem finis est naturæ creatæ proportionatus, quem scilicet res creata secundum virtutem suæ naturæ potest attingere. Amplius. q.lxij.art.ij. sic inquit. Angeli, gratia indiguerunt ad hoc quòd conuerterentur in deū, prout est obiectum beatitudinis, Quia inclinatio naturalis voluntatis, est ad id, quod secundum naturā conueniens est, eapropter si aliquid supra naturam sit, voluntas in id, ferri non potest, nisi ab aliquo supernaturali principio adiuta. Sicuti patet quòd ignis habet naturalem inclinationem ad calefaciendum, ad aliumque ignem generandum, Atqui generare carnem, supra naturalem est ignis virtutem. Qua re nullam ad hoc habet inclinationem, nisi secundum, quòd mouetur veluti instrumentum ab anima nutritiua. Ostensum est autem supra cum de dei cognitione ageretur, quòd videre deum per essentiam, in quo vltima creaturæ rationalis beatitudo consistit, est supra naturam cuiuslibet intellectus creati. Vnde nulla creatura rationalis potest habere motum voluntatis

luntatis ordinatum ad illam beatitudinem, nisi à supernaturali agente mota. Postremo. Inquit. D. Thom. j. ij. q.v. art.v. quòd beatitudo hominis perfecta consistit in visione diuinæ essentiæ, videre autem deum per essentiam est supra naturam non solum hominis, sed omnis creaturę, Et art. vj. sic ait. Ostensum est, quòd beatitudo est quoddam bonum excedens naturam creatam, Ex his sanè dictis omnibus, clarissime constat, Deum Optimum Maximum vt obiectum supernaturalis beatitudinis, finē esse supernaturalem, vtpote excedentem omnem rationis comprehensionem, & cuiuslibet creatæ naturæ facultatem, quo fit vt sub ratione hac deus ipse considera tus, dici nequeat naturalis hominis finis; Et ad primam conclusionis partem comprobandam, talis ratio formari potest. Finis omnis, excedens omnem creatæ naturæ facultatem, omnemque comprehensionem, finis hominis naturalis dici nequit, & appellari, atqui deus optimus, vt obiectum supernaturalis beatitudinis, est finis excedens omnem creatę naturę facultatem, omnemque comprehensionem, igitur deus vt obiectum supernaturalis beatitudinis, nequit dici & appellitari finis hominis naturalis, Minor ex supradictis. D. Thom. dictis clarissime constat. Maior vero facillime probatur. Quia finis, & ordinatum in finem debent adinuicem proportionem habere, & ita quidem, quòd vnum, alterum non excedat, quoniam vno, alterum, excedente, illico proportio abest, Cum autem deus, vt finis reuelate & supernaturalis beatitudinis, in infinitum excedat hominem in puris naturalibus existentem, ob id, nequit homo in talem naturaliter ferri finem, vt sibi naturalem. Ille quippe apud omnes philosophos, ac Theologos rectè sentientes, dicendus est naturalis hominis finis sibique proportionatus, in quem proprijs naturæ viribus potest homo ipse peruenire, ipsum assequi, ipsoque frui. Iccirco enim naturalis

Ratio ad conclusionis probationem.

finis

finis dicitur, quia naturaliter appetitur appetitu, inclinationem quandam dicente, quæ appetentis naturã sequitur; Natura autem ſm ſe, nudeq. accepta, vt omni eſt expoliata diuino munere, non inclinat niſi ad id quod infra cuiuſdem naturæ limites eſt, id autem nequit eſſe deus vt finis eſt ſupernaturalis beatitudinis. Abſonum eſt etenim dicere formam naturalem, inclinare ad aliquid quod naturæ facultatem excellit. Quare deus optimus taliter contemplatus, nequit dici naturalis hominis finis, & ſic elucet maioris propoſitionis veritas, primaque concluſionis pars.

Deus vt ſupernaturalis beatitudinis, finis, ab homine naturaliter appeti nequit.

Quo ad ſecundam partem, nempe, quòd Deus vt ſupernaturalis beatitudinis finis, nequeat ab homine naturaliter appeti, ſeu quòd idem eſt, nequeat eius deſiderium, quo in ipſummet deum vt in finem ſupernaturalis beatitudinis tendit, & fertur, eſſe naturale, pulcherrime probatur, præmiſſa tamen hac perneceſſaria diſtinctione, etiam ab alijs doctoribus tacta, videlicet, quòd homo bifariam conſiderari poteſt, Altero quidem modo abſolute, vt in puris, ſcilicet naturalibus extat, nullo penitus decoratus perfuſuſque ſuperno lumine. Altero vero vt ex diuina prouidentia ad felicitatem ordinatur ſupernam, in viſione diuinæ eſſentiæ clariſſima, conſiſtentem; Hac diſtinctione ſuppoſita, dicitur hominem primo modo conſideratum, nullatenus poſſe, deum, vt finem ſupernaturalis beatitudinis naturaliter exoptare nec eius deſiderium, vt in præfatum finem fertur, naturale vnquam dici poſſe; Quia ſi tale deſiderium creaturę rationalis, naturale foret, valeretque talem finem naturaliter appetere, cum natura in neceſſarijs minime deficiat, ex. v. De Genera. animalium cap. viij. &. Primo Politicorum. cap. j. & ij. Cęl. tex. com. 50. proculdubio ei potentiam, facultatem, modumque dediſſet, quibus, poſſet proprijs ex viribus, propriaq. virtute, ſecluſo quocunque diuino ſuffragio, ad finẽ

Homo bifariam cõſiderari poteſt.

præfatum

præfatum peruenire, quoniam teſte Ariſt. ij. Cœl. textu citato, ſi natura, ſtellis ipſis, motum progreſſiuum tribuiſſet, vtique & eiſdem organa dediſſet ad talem motum perficiendum, Cum igitur nequeat creatura ipſa rationalis, naturali ſua virtute naturaliq́ue facultate, prædictum adipiſci finem, nequibit tale eius deſiderium naturale dici. A veritate quippe abhorret in dedecusq́ue naturæ reſultat, aſſerere, naturam ipſam dediſſe hominibus naturalem inclinationem, naturaleq́ue deſiderium, diuinam videndi eſſentiam ſicuti eſt, ſeu vt perſonarum continet trinitatẽ, & non dediſſe perneceſſaria media, quibus hanc ipſam ex ſe propriaq́ue facultate conſequi poſſit.

Admittendum tamen eſt, hominem, naturali inclinatione, naturaliq́ue appetitu, in ſummum bonum, vt obiectum naturalis beatitudinis, & in ipſum deum vt naturalem omnium finem ferri poſſe, quem ſub hac ratione contemplatum, naturaliter attingere poteſt. Quòd autem actu elicito, hunc ipſum appetere valeat, nemini dubium eſt, Quia cum actus voluntatis elicitus, ſit ipſum velle, quod ſemper cognitionẽ ſequitur, eapropter homo deum intelligens ex miris effectibus ab ipſo productis, eſſe omnium cauſam efficientem ſummum bonum, & totius vniuerſi finem, ad quem creaturæ omnes ordinantur, naturaliter vult & expetit illum, naturaliterq́ue ipſum ac eius eſſentiam, vt cunctorum effectricem cauſam, & finem agnoſcere cupit, non tamen vt ſupernaturalis beatitudinis obiectum, niſi (vt aiunt) materialiter ad hũc, videlicet ſenſum, quia ipſemet deus, qui obiectum eſt & finis naturalis ſelicitatis, eſt etiam obiectum, & finis ſupernaturalis, & ob id dicitur, appeti quidem deus vt ſubſtat rationi formali vtriuſque beatitudinis, haud tamen appetitur naturaliter ſub ratione obiecti, & finis ſupernaturalis ſelicitatis. Sunt enim hæ rationes diuerſe, & taliter, vt poſſit deus ſub vna ratione, & non ſub alia, concupiſci. Et propterea

Homo, naturali inclinatione, appetitu; naturali in ſummum bonum, ſiue in ipſum Deum, vt obiectum, naturaliter, non autẽ ſupernaturalis beatitudinis: ferri poſ-

in

nquiebat. D. Thom. iiij. dist. xlix. q. j. art. iij. quæstiuncula. j. ad secundum, quòd tametsi diuina visio sit ipsa beatitudo, non sequitur tamen, quòd quicunque appetit beatitudinem, appetat diuinam visionē. Et prima. ij. q. v. art. viij. &. De Ver. q. xxij. art. vij. & super. Boëtio de Trin. q. vlt. art. vlt. ad quintum. ait. Quòd quanquam homo, beatitudinem secundum communem rationem naturaliter appetat, & sub eadem ratione, in finem vltimum naturaliter inclinetur, non tamen sub particulari ratione, nec eundem finem naturaliter adipisci valet propter eius eminentiam. Nec mihi placet Magistri Franciscī Ferrariensis dictum. iij. Contra Gent. cap. lj. in responsione ad primum, illud nempe, quòd visio diuinæ essentiæ dicitur finis supernaturalis, non quia nullo modo naturaliter desideretur, sed quia non potest ad ipsum ex solis naturæ principijs peruenīri, non placet inquam, tum quia in hoc videtur opinioni Scotice arridere, tum quia infra, in responsione ad secundum, oppositum astruit, dum dicit ad auctoritates. D. Thom. respondendo, & antecedens negando, quòd ipse. D. Thom. loquitur de naturali, appetitu visionis diuinæ essentiæ, inquantum est summum bonum, & vt terminatur ad deum vt est obiectum supernaturalis beatitudinis, & parum infra, subdit, Visio illo modo non appetitur naturaliter, natura absolute considerata, sed tantum vt natura est ad ipsum ordinata tanquam ad vltimum finem, & suppositā relatione, quòd ipsa sit summum bonum, & felicitas vt dictum est in. j. lib. cap. v. vbi in responsione ad secundum sic ait. Quòd si simpliciter accipiatur homo quantum ad naturalia, non naturaliter appetit in sua natura consideratus, visionem diuinæ essentię vt est summum bonum, & vltimus finis ad quem natura intellectualis est per diuinam prouidentiam ordinata. Hæc ille. Liquet enim his suis ex dictis, hominem absolutę consideratum, & vt in puris naturalibus, non naturaliter appetere visionem diuinæ essentiæ, quæ est supernaturalis beatitudo, & finis. Quòd autem naturaliter appetat beatitudinem, & finem vltimum, & quòd ad illum naturaliter inclinetur, & quòd non possit sine naturali peccato naturali appetitu illum finem naturalem abnegare, & ab illo naturaliter auerti, & quòd naturaliter appetat illum finem vltimum, & beatitudinem

turalibus extat, non posse naturaliter deum, vt supernaturalis beatitudinis finem vllatenus expetere, nec eundem hominis finem esse naturalem. Altero vero modo contemplatur homo, vt per diuinam prouidentiam in supernaturalem ordinatur felicitatem, & isto modo consideratus, cum lumine fidei, quosdam noscat effectus totam naturæ facultatem excedentes, vt sunt gratia, & gloria, quorum deus non vt naturale, ac vniuersale agens, at vt efficiens supernaturale, causa solummodo est, eapropter his agnitis effectibus, innascitur naturale desiderium appetitusque, hanc cognitionem sequens, naturaliter videndi deum ipsum vt obiectum, & finem supernaturalis beatitudinis. Et in hoc solum secundo sensu astruxit. D. Thom. j. q. xij. art. j. &. iij. Contra Gen. cap. 50. &. 51. inane fore tum hominis, tum angeli, desideriu m naturale, ni pertingere possit ad contuendum diuinam essentiam, supernaturalis felicitatis obiectum. Oportet enim cognitionem quampiam antecedere qua dignoscatur deus, finem nostrum esse supernaturalem pariter & angelorum, si eius visio clara exoptari naturaliterque desiderari debet. Sermo etenim. D. Thomæ in præfatis locis, semper est de appetitu, ac desiderio naturali, vt voluntatis actus est elicitus, & non de naturali inclinatione, vt cuilibet ipsum legenti, patet, & propterea semper cognitionem sequitur, quæ nequit haberi, nisi supposita prædictorum effectuum naturam transcendentium, reuelatione. Et hanc opinionem, quam iudicio meo, arbitror esse verissimam, tenet ac tutatur Reuerendissimus Caietanus. j. parte loco citato. Animaduertit tamen ipse Reuerendiss. Caietanus, non oportuisse. D. Thomam præfatis in locis exprimere, se loqui, de intellectuali creatura, non absolute, sed vt ad supremam felicitatem ordinata, quoniam cuilibet scientiæ est commune, quòd semper intelligantur termini formaliter, vt illi scientiæ subsunt, vt

patet

patet de quantitate in physicis, quam naturalis philosophus sub sua ratione formali speculatur, tametsi etiam à Mathematico sub alia ratione consideretur. Constat autem ex. ij. Contra Gent. cap. iiij. creaturas intellectuales non esse de consideratione Theologi nisi vt reguntur, gubernantur, & prædestinantur à deo, in ipsumque diriguntur vt supremum omnium finem, & beatitudinis supernaturalis obiectū. Vnde loco supra citato. cap. iij. aiebat. Hominem per fidem, in deum duci, sicut in vltimum finem. Ex his clarescit rationes quas Magister Franciscus. iij. Contra Gent. cap. lj. aduersus hanc Caietani opinionem adducit nil penitus militare. Concludunt enim solum creaturas intellectuales, ex naturalium effectuum cognitione, incitari, & naturaliter appetere cognitionem causæ, vt talium effectuum productiuam, & non aliter, quod & ipsemet fatetur & declarat, lib. j, cap. v. ad secundum Scoti argumētum vt supra eius verba attulimus. Ex his quoque liquet. Dominicum Soto. in libro de Natura & Gratia, cap. iiij. Caietanum impugnantem, eo quòd teneat felicitatem illam supremam, finem esse supernaturalem, errare, rationesque suas, quas adducit ad confirmationem suæ opinionis asseuerantis, finem prædictum, intellectualibus creaturis naturalem esse, nullius esse roboris, & iam ex prædictis esse solutas. Illud autem vulgatum. D. Augustini dictum super quo potissimum ipse fundatur, scilicet. Fecisti nos domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te, intelligitur sanè de nobis viatoribus ex diuina prouidentia ordinatis & prędestinatis ad claram perfectamque dei visionem; Non est igitur beatitudo ipsa in clarissima diuinæ essentiæ visione, consistens, finis hominis naturalis & naturaliter appetitus, etiam sumendo appetitionem, pro naturali inclinatione, naturam sequente, atqui supernaturalis vt sæpius assertum est. Nec vllatenus sequitur, si talis

Rōnes Magistri Fráciſci Ferrarienſis aduerſus Caietanū factæ, nequaquā militant.

Errat Dominicus Soto, & eius rōnes aduerſus Caietanū nil penit' cōcludūt.

talis finis naturalis est minime,quòd nullus esset vltimus finis appetitus humani, quoniam vnus quidem est hominis absolute considerati, naturalis finis,quoniam vt inquit. D.Thom. De Ver. q.xxij. art.vij. inditus est homini appetitus vltimi finis sui, in communi, vt scilicet appetat naturaliter se esse completum in bonitate. Et. iiij. dist. xlix. q. j. art. iij. quæstiuncula prima in fine,sic concludendo ait. Et ideo sicut quælibet res alia, naturaliter suum appetit bonum, ita quælibet creatura rationalis suam exoptat beatitudinem,non quidem sub ratione particulari, at communi, vt pulcherrime ostenditur loco supra citato quæstiuncula.iij.vbi sic dicitur. quòd tametsi ex naturali inclinatione voluntas habeat, vt in beatitudinem feratur secundum communem rationem,quòd tamen feratur in talem, vel talem beatitudinem,id,non est ex naturæ inclinatione. Quod & confirmatur ex dictis. j. ij. q. v. art. vltimo vbi affirmat, omnem quidem hominem beatitudinem velle sub communi ratione beatitudinis,non autem sub speciali ratione, quantum ad id, scilicet, in quo beatitudo consistit,quia nullus scit. cui rei, communis ratio beatitudinis, conueniat. Constat autem talem beatitudinem sub communi ratione consideratam,naturalem hominis finem esse, visionem autem diuinam,qua idem homo intueri potest diuinā essentiam,tribus personis communicatam,&sub vniuersali communiq́ue ratione beatitudinis contentam, finem esse eiusdem hominis supernaturalem, talemq́ue naturaliter ab ipso appeti minime posse, nisi supposita fide, seu quorundam effectuum supernaturalium agnitione, vt supra probatum est.

Aduersus præfatam conclusionem triplicitер arguit. Scotus.

Verum aduersus conclusionem prædictam tripliciter instat Sco. j. q. prologi. primi sent. Et primo quidem auctoritate. D. Augustini lib.j.De prædesti. sanctorum. cap.iiij. inquientis. Proinde posse habere fidem sicut posse habere caritatem, naturæ est hominum,

hominum, habere autem fidem quemadmodum habere caritatem, gratiæ est fidelium. igitur posse habere fidem atque caritatem, naturaliter homini conuenit.

Secundo ex appetitu arguit. Homo naturaliter illum appetit finem, quem astruis esse supernaturalem, igitur eidem naturalis est.

Tertio ratione naturalitatis. Potentia ad actum comparata, aut est naturalis, aut violenta, aut neutra, nec est ibi aliqua supernaturalitas, ergo anima naturaliter ordinatur ad dei visionem, seu fruitionē. Antecedens quo ad partem affirmatiuam, hinc claret, quia potentia, aut inclinatur, ad talem actum, aut illi repugnat, aut neutraliter se habet. Quo ad partem vero negatiuam, declaratur. Nam discrimen inter naturalitatem, & supernaturalitatē, attenditur penes comparationem potentiæ ad agens, naturaliter vel supernaturaliter impressiuum in potentiam ipsam. Qua re si potentia ad actum comparetur, hic nulla interuenit supernaturalitas. Consequentia vero ex eo elucet, quoniam anima inclinatur in omnem suam, & presertim summam perfectionem, qualis est diuinæ fruitionis actus.

Ad claram horum argumentorum solutionem, illud annotandum occurrit, quòd potentia quæque ad aures. D. Thomæ, vel naturalis est, vel violenta, aut obedientialis, & hæc quidem tam actui, quàm agenti comparata, nulla autem in rerum natura extat potentia neutra. Obedientialis autem potentia, à Thomistis, & ab ipsomet. D. Thoma, plerisque in locis, & presertim. iij. q. xj. art. j. in cor. posita, talis denominatur, non quidem p comparationem ad agēs naturale, atqui ad agens primum, deum ipsum, videlicet, qui potest creaturam quamlibet, in actum aliquem reducere, altiorem, actu quocunque ab agente naturali, reducto, vel reducibili, & est aptitudo rei, ad hoc, vt in ea fiat quidquid fiendum dispo-

Quotuplex sit potentia secūdum. D. Th. doctrinam.

rit ordinaueritque deus, Et in tali potentia dicitur anima nostra esse constituta respectu pollicite beatitudinis, supernaturalis finis, & cunctorum similium.

Aliud est aliquid esse homini naturale, aliud esse naturæ hominum

Hoc annotato, ad primum Scoti argumentum dicitur ipsum. D. Augustini auctoritatem, & eius sensum, nequaquam plenè attigisse, cum non distinxerit, inter esse quippiam naturale hominibus, & esse naturæ hominum, primum enim obiectum respicit naturale, secundum vero subiectum, seu vt alij dicunt, primum respicit & dicit modum potentiæ. Secundum vero illius subiectum. Intellexit itaque Augustinus, quòd posse habere fidem, & posse habere caritatem, est quidem naturæ hominum, quia secundum animam intellectiuam qua decorantur, homines, habent potentiam obedientialem, & capacitatem, recipiendi fidem, & caritatem, quæ habitus sunt supernaturales, vtpote, à solo deo infusi, quam potentiam non habent cætera animalia, cum horum habituum careant receptiuo subiecto, non autem posse fidem habere pariter, & caritatem, est homini naturale, quoniam potentia naturalis, actum duntaxat naturalem respicit, quem ipsa potest elicere, Cumque hij duo actus, seu habitus, scilicet fidei, & caritatis, sint penitus supernaturales, nullatenus sunt à potentia naturali respecti, nec ad eosdem naturaliter ordinati, quandoquidem naturalem omnem potentiam excedant, ea propter posse habere fidem, possèque habere caritatem, naturalem excedit potentiam, & sic naturalis potentia dici, minime potest. Nam vt pulcherrime docet. D. Thom. prima. ij. q. xiiij. art. ij. Actus cuiuscunque rei, non ordinatur diuinitus ad aliquid excedens proportionem virtutis, quæ est principium actus, quoniam id est ex diuinæ prouidentiæ institutione, vt nil agat vltra virtutem suam. Verum hic statim dubium ex. D. Th. occurrit, inquiente prima ij. q. xiij. art. x. quòd ani-

ma naturaliter est gratiæ capax. quia eo ipso, quòd facta est ad imaginem dei, capax est eiusdem dei per gratiam, vt Augustinus dicit, cuius oppositum expresse docuimus. Huic dubio à Reuerendissimo Caietano vbi supra etiam moto, ipse respondet, & sanè subtiliter perdoctèque, inquiendo, quòd potentia animæ ad gratiam, modo quodam naturalis est, modo vero alio, supernaturalis, naturalis, quidem, quatenus actus liberi arbitrij quo præparatur ad gratiã suscipiendam, educitur de naturali eiusdem liberi arbitrij potentia, supernaturalis vero, quatenus actus ille, vt dispositio ad gratiam, à sola gratuita dei motione esse valet, & quatenus actus est forma ipsa, gratia, videlicet, supremi est ordinis, & super totius naturæ ordinem, vt asseruit. D. Thom. art. ix. ad secundum præfate quæstionis, inquiens, bonum gratiæ, vnius hominis, maius esse bono naturæ totius vniuersi. Et quia medium, vtriusque extremi naturam induit, ob id, talis animæ potentia ad gratiam, quandoque naturalis, quandoque non naturalis, at obedientialis aut supernaturalis vocitatur, simpliciter tamen non naturalis vocitanda est, cum ad rem supremi ordinis sit à deo ipso ordinata.

Ad secundum negatur antecedens, si solum consideretur homo, vt in puris extat naturalibus; quoniã taliter contemplatus, visionem diuinæ essentiæ vt summum bonum, & vltimus finis extat, naturaliter appetere nequit, vt supradictum est.

Supernaturalitas, nõ solum attẽditur penes comparationẽ agentis naturaliter impressiui

Ad tertium negatur antecedens & quo ad tertium affirmatiue partis membrum, & quo ad partem negatiuam, quoniam supernaturalitas, non solum attenditur penes comparationem agentis supernaturaliter impressiui in talem potentiam, verumetiam penes comparationem potẽtiæ ad actum, seu habitum à solo deo productum, & producibilem, totum naturæ ordinem transcendentem, qualis actus est gratia, & gloria, & huiusmodi similes; Hij enim suo ex

genere

genere ſupernaturales ſunt, omnium creaturarum virtutem atque potentiam exuperantes. Nec eſt verum, quòd anima inclinetur in omnem ſuam, & ſummam perfectionem, qualis eſt actus diuinæ viſionis, & fruitionis, niſi quatenus ad illã eſt per diuinam prouidentiam ordinatus, quod nil noſtro obſtat propoſito. Et hæc de præſenti quæſtione, ſufficiant.

ui in potẽtiam, ſed & penes comparationem potentiæ ad actum à ſolo deo producibilem.

Quæstio de diuina prouidentia.

E diuina prouidentia sermonem habituri, illud primo videndum occurrit, illã ne antiqui concesserint, Deinde quid de illa ipsa senserint posteriores philosophi, vt Aristoteles ac Commentator, quidque eadem sit, seu qualem suscipere possit definitionem, iuxta horum opinionem. Dehinc illustrissimorum finitionem Theologorum clarissimam adducemus. Secundo enucleandum erit cunctarum ne rerum creatarum cum vniuersalium, tum singularium, diuina sit prouidentia, tertio. An cunctos mortalium actus, cum bonos, tum malos, optime complectatur. Quarto rebus ne ipsis prouisis, eam necessitatem imponat, vt nullus euenire possit effectus seu actus contingens, vel liber dilucidandum erit. Nam id omnium potissimum est cognituque difficillimum in quo nimirum plerique errauere, asserentes id omnino impossibile fore, vt diuina sit prouidentia certa, & infallibilis, & liberum extet hominis arbitrium. Postremo dubium quoddam arduum, ac perdifficile in definitione prouidentiæ implicitũ, enodandum erit, an scilicet cum dicitur, Prouidentiam esse rationem ordinis rerum in finem, hæc ipsa, rationem ordinis tantum in finem, & non euentũ, an vtrunque simul dicat, rationem, videlicet, ordinis in finem, & infallibilem euentum. Et dubium hoc oriri expresse conspicitur ex diuersis. D. Thomæ dictis, quæ inter sese pugnantiam habere videntur, sicque huiusce quæstionis quinque erunt articuli.

Articulus

Articulus primus.

QVO ad articulum primum, clarissime constat, antiquorum plerosque diuinam negasse prouidentiam eos omnes, scilicet qui solam mortalium rerum causam materialem, non itē finalem posuere, è quorū numero fuisse vñr, Thales Milesius, Heraclitus, Diogenes, ac cæteri his similes. Empedocles quoque, & Anaxagoras, licet præter materialem causam effectricem tetigerint, finalem tamen & ipsi neglexerunt, vt ex Aristot. j. Physicorum colligi potest. Quo fit vt & hij prouidentiam inficientur, cum sublata causa finali, & prouidentiam auferri necesse sit. Democritus etiam Epicurus, mundum casu factum, nempe ex infinitorum concursu athomorum affirmans, à rebus ipsis causam abstulit finalem, & ob id, prouidentiam, quæ sine ipsa, constare nequit. Zenonem postremo stoicorum principem, & prouidentiam ipsam negasse, omnes asseruerunt. Aristoteles autem philosophorum omnium parens ac Commentator Aueroës libro Diui norum. xij. & horum sectatores prouidentiam diui nam pulcherrime concessere. Nam vt ex tex. lij. eiusdem citati libri habetur, constanter astruxit, omnia ad vnum primum principium ordinata esse veluti exercitus ad vnum primum ducem, huiusque causam optimam reddit, quia cum vniuersi totius, bonum & optimum, in ordine consistat, sitque talis ordo, intrinsecus, quandoquidem ex sua forma resultet, dependeatque nihilominus, ordo talis, taleque bonum, à primo principio effectiue atque finaliter, ex tex. xxxviij. Ob id totum vniuersum ad primum principium, primumque finem, veluti ad bonum omnino separatum ordinatur, à quo maiorem boni tatem, quàm ex suarum partium ordine, trahit, quēadmodum conspicimus, exercitus bonitatem, in ordine

Qui antè quorū prouidentiā negauerint.

Aristotēles ac eius Commentator Aueroës, prouidētiam cōcessere pulcherrimē; declarauere

dine consistentem, à bonitate ducis, exercitui præsidentis, proficisci. Nam dux ipse, exercitus finis esse asseritur, finis vero his quæ ad finem ordinantur, præstantior esse prædicatur, hinćque clare conspicitur, cuncta creata, ad primum ordinari principium, vti ad bonum suum perfectum ac optimum, quo fit vt ipsarum creatarum rerum, deus ipse curam habeat & solicitudinem, quo & modo, dux sui curam habet exercitus. Atqui non æqualiter ordinantur omnia, nec æqualiter omnibus, primum prouidet principium, subinculcat Aristoteles; Cum enim inæqualiter omnia quæ in vniuerso reperiuntur, in disparíque sint constituta gradu, talem inter sese ordinem habent vt inferiora, vtpote, imperfectiora, ad superiora veluti perfectiora semper ordinentur, sicuti plante & vegetabilia, ad animalia, hæc vero ad hominem, homo autem ad primum principium. Vt autem inæqualis hæc solicitudo, ac prouidentia rerum, facile innotescat, familiarissimo patrisfamilias, declarat exemplo, inquiens, quòd in vnaquaque domo familiaue, diuersi sunt gradus, dum in eadem existunt filij patrisfamilias, serui, equi, canes, ac cætera animalia, quibus paterfamilias non æqualiter prouidet, quia filijs, seu liberis ita prouidet, vt eorum actiones, ac operationes legibus indefectibilibus regi velit, quibus ad finem suum ab ipso patrefamilias statutum, sine errore perueniant, idque maxima ex propinquitate ad patrem euenire confirmat. Seruorum vero ac animalium operationes, non ea indefectibili lege arcentur, vt à proprio nequeãt fine decidere, quoniam multotiens finem proprium minime attingunt. Et id quidem euenire edocet ex minori quam habent, ad patrem familias, propinquitate, eorum commune bonum intendente. Huiusce vero exempli, alius nequaquam verior sensus excogitari potest, quàm vt fateamur Deum ipsum optimum maximum, primum omnium rerum

Non omnium est æqualis prouidentia secundũ Arist.

rum principium, patremfamilias esse, eius familiam, totum vniuersum ab ipso moderatum, in quo filij cernuntur, Intelligentiæ, scilicet, & corpora cœlestia, quæ suis in operibus, ob maximam ad deum proximitatem minime deficiunt, aliorum vero omnium sub lunari globo existentium operationes quãdoque ob eorundem remotionem à primo principio, aperte deficiunt. Tendunt itaque res omnes, suos in proprios fines, atqui nonnullæ indefectibiliter, defectibiliter aliæ. Haud tamen ob id sequitur sensisse Aristotelem, primum principium, nempè deum ipsum, humanorum actuum curam, seu solicitudinem minime habere vt nonnulli eidem falso attribuunt. Licet enim actus humani à proprio quandoque fine deficiant non propterea ab illis diuina subtrahenda est prouidentia, quandoquidem ipsa malum defectumque minime excludat, vt infra pulcherrime ostendetur. Si nanque diuina prouidentia respectu causarum contingentium, & libertate gaudentium, effectuum deficientiam nequaquam admitteret, iam non suauiter cuncta disponeret, quoniam causarum contingentia atque libertas, necessario exposcunt suorum effectuum futurorum aliquando defectum. Nec oppositum imaginari potest, vt causa ipsa, suapte natura defectibilis, non aliquando deficiat. Non etiam huic sententiæ effectus casuales atque fortuiti quidquam officere possunt, quinimò hanc ipsam magis corroborant, & affirmant, quoniam cum casualia, talia esse asserantur, quia præter finem intentum eueniunt, hinc optime deducitur, vt cuncta ad finem aliquem sint ordinata, tametsi nonnulla ab ipso fine deficiant; Deficiunt equidem à primario fine ab agente particulari intento, at non ab omni, quoniam id quod præter intentionem particularis agentis est, quodque casuale vel fortuitum astruitur, respectu vniuersalissimi agentis, nempe ipsius dei vniuersalissimi, prouisoris, intentum,

Casualis effectus, & fortuitus, prouidentiam minime excludit.

tentum, asseueratur, vt pulcherrime docet. D. Thom. De Ver. q. v. arc. iiij. ad septimum. Quid enim diuini intellectus obtutum? quid diuinæ voluntatis amplitudinem? quid postremo eiusdem prouisionē effugere valet? Nihil sanè, quia quicquid à deo prouisum est, eo quo prouisum est modo, & intentum, euenit vt clarius infra patebit; Commentatoris vero sententia, equidem est, vt deus rebus ipsis prouideat, vt Physicorum. ij. com. lxxv. & Metaphysic. xij. com. lij. exoresse sustineat, verum quòd rebus particularibus ac singularibus cunctis, quo ad omnes earum operationes proprias prouideat, id inficiatur omnino, asserens earum actionum solummodo curam habere, quæ cum alijs communicant indiuiduis, illisque sunt communes, vt quòd hic homo vel hic equus, sibi simile gignat, ne species ipsa deficiat. Hanc fuisse expressam eius sententiam ex com. xxxvij. eiusdem. xij. libri clarissime liquet, vbi sic ait. Dicentes autem quòd deus solicitus est circa vnumquodque indiuiduum aliqualiter verum est, & aliqualiter non, quia nullum indiuiduum habet dispositionem propriam, nisi illa dispositio inueniatur in aliquo modo illius speciei, & hoc modo verum est, deum solicitari circa indiuidua. Solicitudo autem circa indiuiduum tali modo, quòd nullam habeat communicationem cum eo, hoc non est fas diuinæ bonitati. Atqui hanc opinionem absurdissimam falsissimam ue omnino putamus, quare penitus relinquenda est. Ad celeberrimorum modo philosophorum definitionem verissimam accedamus; At quoniam ex sensibilibus, diuina clarescunt, & ex infernis, supernorum nanciscimur cognitionem, ob id, antequam prouidentiam ipsam definiamus, similitudine quadam ipsam colligere studeamus. Effingamus igitur imaginemurque principem quempiam, ciuitatem quandam seu rempublicam, condere volentem. In hoc sanè negocio, quattuor ordine quodam

Errauit Commentator dū negauit deū optimum, singularium secundum se absolute consideratorum prouidentiam non habere.

dam intueri licebit; Primum enim eidem aderit voluntas ciuitatem, seu rempublicam instituendi, deinde partium ciuitatis accedet excogitatio, quales, scilicet partes habere debeat, quibus optime integretur. Operæprecium est enim in ciuitate, siue republica, nobiles esse, doctores, iudices, mercatores, milites, equites, & agricolas, qui omnes in commune ciuitatis bonum concurrant, hæc autem excogitatio, dispositio vocitatur. Tertium illico, subsequitur cum meditatur, quæ media oportuna, congrua, ac necessaria, cuilibet ciuitatis parti, conferenda sint, quibus vnaquæque pars, suũ consequatur finem. Hæc autem mediorum excogitatio, ac ordinatio, prouidentia proprie nuncupatur. Quæ sic pulcherrime definiri potest, Prouidentia est excogitatio intellectus, de mediis, vnicuique rei in finem ordinate, conferendi vt finem suum consequi possit. Postremo inest sibi actualis mediorum collatio, partiumque sic ordinatarum in finem proprium, iuxta media, vnicuiq; collata, suauis motio, Et hæc gubernatio proprio nomine vocitatur. Ex his modo dictis, facile coniectari potest, quid diuina sit ipsa prouidentia. Nam cum tria, hæc ipsa simpliciter absolutéque sumpta necessario exigat, volitionem, scilicet finis, partium dispositionem ad finem proprium ordinatarum, & excogitationem denique mediorum cuilibet parti tribuendorum, quibus proprium finem consequi possint, Diuina sanè prouidentia essentialiter erit excogitatio intellectus diuini seu ratio ordinis rerum in finem vt ex. D. Thom. j. q. xxij. art. j. clare habetur. Qua sanè definitione liquet, Prouidentiam ad intellectum essentialiter pertinere. quandoquidem ordinis ratio ad intellectum attineat, licet voluntatis finem omnino supponat, cum nulla mediorum excogitatio esse valeat, nisi quispiam prius finis exoptetur, ac intendatur. Huic similem finitionem Boëtius. iiij. de consol. prosa. vj. pulcherrime posuit,

Pulcherrima prouidentiæ definitio, q̃ & Theologorum definitioni, cõformis est.

Prouidentia essentialiter ad intellectum spectat, licet voluntatẽ supponat.

fuit, inquiens, Prouidentiam fore, ipsam illam rationem in summo omnium principe constitutam, quæ cuncta disponit. Quam definitionem. D. Thom. De Ver. q. v. art. j. ad octauum perpulchre interpretatur dum ait. Prouidentiam esse rationem quidem diuinam, sed non nisi adiuncto ordine ad finem ad quem supponitur voluntas finis, Et subdit eam quidem ipsam ad intellectum essentialiter spectare verum, & voluntatem modo quodam includere. Si vero quispiam percontaretur, quid diuina hæc ratio importet, huic illico pulcherrime respondendum est, rationem hanc, diuinam esse essentiam intellectam, siue ydeam, seu formam intellectam, vel conceptionem practicam in mente diuina existentem, ordinis rerum in proprios fines, regulatiuam, quemad modum artem diuinam dicimus, exemplar esse rerum, prout egrediuntur à deo, & suis in gradibus collocantur, tametsi improprie dici queat excogitatio ordinis rerum in finem, vt supra dicebatur; Dicit autem excogitatio hæc, & explicat, actum intellectus diuini, terminatum ad ydeam vel exemplar talis ordinis. Atqui diligenter annotandum est, nomine rationis ordinis rerum in finem, non accipi exemplar, quo solum ipsa repræsentatur habitudo, & ordo cunctarum rerum in proprios fines, at quo etiam practice repræsentantur, & disponuntur in diuina mente, ea omnia quæ ad executionem finis sunt conferentia, queque finis eiusdem assecutionem, omnino sunt prohibentia. Eapropter prouidendo deus toti vniuerso, sua in mente perpulchre disponit, & ad quem finem vniuersæ res sint ordinandæ, & quæ illis ipsis media sint conferenda tanquam ad finem vtilia, & etiam quæ sunt penitus remouenda tanquam finis assecutionem impedientia. Et vt id quod dicimus maxime clarescat, hoc subicimus exemplum. Nam homo, cum ex prouidentia diuina suo intellectu, ad rerum cognitionem ordinatur, ob id haud sibi bruta

le

le corpus, sed taliter complexionatum, quod intellectiue cognitioni, deseruire valeat, collatum est, Dum autem de medijs ad assecutionem finis conferentibus, loquimur, non æque de omnibus intelligendum est; Nam respectu principalis prouisi nempè vniuersi, prouidentia ipsa diuina, omnia tribuit ad finem conferentia, & omnia tam extrinseca, quàm intrinseca, remouet impedimenta, assecutioni finis obsistentia, quia non solum ordinem ad finem respicit, verum etiam finis euentum, qui diuinæ manifestatio est bonitatis, & eiusdem tali modo communicatio, vt scilicet ordo partium vniuersi, ad talem communicationem, ac manifestationem ordinetur. Respectu autem non principalis prouisi, nempe respectu rerum ad vniuersi perfectionem ordinatarum sic eus dicendum est. Nam prouidentia, à natura quidem intrinseca remouet impedimenta, vt videlicet, res ipsæ nil habeant in sua natura, fini improportionatum, ad quem ordinantur, at non omnia extrinseca aufert impedimenta, quandoquidem non omnia sic prouisa sunt, vt omnino suum consequantur finem, sed solum nonnulla sic sunt prouisa, vt ordinem habeant & proportionem ad finem, non autem vt nequeant à consecutione finis impediri. Aduertendum est autem hoc in loco, quòd licet ratio ordinis rerum in finem prouidentia sit, haud tamen est ipse ordo in rebus repertus cum hæc ratio quam essentiam diximus diuinam intellectam, siue ydeam, siue exemplar, ab excogitatione, seu actu intelligendi diuino re minime seiungatur, ratione tamen ex nostro intelligendi modo, secernitur. Si vero quæritet quispiam in quo prouidentia à gubernatione discriminetur dicendum est in hoc seiungi, quoniam prouidentia, rationem ipsam practicam ordinis rerum in finem, gubernatio vero executionem rerum ad finem ordinatarum per talem practicam rationem, siue conceptionem dicit sicque adinuicem comparantur,

Prouidentia, nõ ordo rerum in ipsis rebus est, sed ordinis ratio in diuina mẽte existens.

Prouidentia in quo ab ipsa gubernatione discriminetur.

parantur, vt ratio domus producendæ, in artificis mente existens, & ipsa actualis domus productio. Ex his itaque satis superque clarum esse arbitramur, quid ipsa in communi prouidentia sit, quidque diuina, & in quo à gubernatione discriminetur. Et hæc de primo articulo.

Articulus secundus.

QVO ad secundum articulum, dubitatur num omnia, diuinæ subsint prouidentiæ. Nonnulli siquidem ad cœlestia duntaxat corpora, incorruptione lætantia, diuinam extendere prouidentiam, ad corruptibilia vero individua extendendam penitus negauere. Huiusce autem positionis suæ fundamentum trahebant ex dicto Iob. cap. xxij. male intellecto, vbi de deo sic ait. Nubes latibulum eius, & circa cardines cœli perambulat, nec nostra considerat. Rursus sese muniunt Boëtij auctoritate primo de consol. metro. v. vbi Boëtius diuinam extollens prouidentiam, eamipsam ab actibus humanis remouere videtur, hisce verbis. Omnia certo fine gubernas. Hominum solos respuis actus. Trahit & positio hæc ex apostolo. j. Cor. ix. firmitatem ac robur, vbi ait, diuinam solicitudinem circa boues minime versari. Itidem approbare videtur Rabbi Moyses. Alij vero admiserunt corruptibilium quidem rerum esse prouidentiam, at non nisi secundum eorum species.

Vera interpretatio auctoritatum quibus nõ nulli falso arbitrati sunt prouidentiã dei ad corruptibilia non se extendi.

Verum opiniones hæ vti falsæ, facile elidentur ex oppositæ opinionis validissimis rationibus infra adducendis. Falsa est mehercule horum positio, nec huic, Iob, vel Apostolus, vel Boëtius, vllatenus faciunt. Nam Iob verba illa, non in propria at aliorum persona, loquitur. Sunt enim illa ipsa verba Eliphaz, Iob irridentis, vt ex litera illius capituli patet. Apostolus vero hisce suis verbis, non à bobus, nec

nec à ceteris brutis, eorumque operationibus diuinam aufert prouidentiam, quoniam cum vniuersorum sit conditor deus, est & cunctorum vniuersalis prouisor, atqui talem dei prouidentiam & solicitudinem duntaxat à bobus remouet, qualem mortalibus conuenire videmus. Mortales namque ita diuinæ subduntur prouidentiæ, vt illorum operibus à libera facultate proficiscentibus, proindeque meriti vel demeriti rationem habentibus, à deo, merces, vel pena, reddatur, quæ sanè cura ac solicitudo à bobus ceterisque brutis prorsus seiungitur, vt perpulchre. D. Thom. j. q. xxij. art. ij. ad quintum seu vltimum declarat. Hanc eandem auctoritatem, idem. D. Thom. De Ver. q. v. art. vj. ad primum sic interpretatur, vt scilicet non eam curam brutorum deus habeat, quòd propter ipsa, homini legem det, qua eis dem vel benefaciat, vel ab eorundem abstineat occisione, cum ad hominis vsum ipsa sint effecta. Et ob id sequitur non propter seipsa, at propter hominem esse prouisa. Theophilatus quoque huic secundæ alludens responsioni, ait, Deum æquidem brutorum curam habere atqui non ita vt de eis legem tulerit. Et Haymo his conformiter inquit, Deo quidem de bobus esse curam, at non vt inter præcepta quæ homini dedit, ad sui salutem, præciperet bouis curam habere, nec esse opus per legem scriptam hominem admonere, quonam modo suo consuleret boui. Boëcij quoque auctoritas pfate positioni minime suffragatur, quoniam ea deprompsit tunc carmina dum in statu erat quo aduersa afficiebatur fortuna, & infortunati hominis, vicem gerebat. Nam bonos, vt ipse erat, deprimi conspiciens, ex olliq. malos quasi de diuina se conquerens prouidentia, illos cecinit versus. Qui tamen veri inconcussique hominis formam induens, animi serenitate gaudentis de eadem diuina prouidentia, diuine scripsit atque cecinit. libro j. metro. v. lib. iij. metro. viiij. & lib. iiij. prosa. vj. &

Theophilacti interpretatio.

Haymonis expositio.

vj. & metro. vj. vt infra patebit. Astruendum est igitur constanterque dicendum, omnia condita, cum vniuersalia, tum singularia, siue incorruptibilia, siue corruptibilia, diuinæ prorsus subdi prouidentiæ. Quod sic facile commostrari potest. Cum enim apud tum philosophos, tum Theologos deus cunctarum rerum sit vniuersale principium, ac vnum, ex vltimo tex. xij Metaphys. operæprecium est res ipsas ob aliquem condidisse finē, (ni fruſtra ipsum operari, velimus) quod nephas est dicere, cum omnia à deo profecta, vtpote sapientissimo, ordinatissima sint, & sapientis sit omnia in proprium finem dirigere, ac ordinare; Cum inquam ita sit ponamusque deum ipsum supercœlestium, cœlestium, & terrestriū, effectorem esse, & hæc omnia ad proprios fines ordinasse, vt his quoque omnibus conueniens dederit media, quibus proprios fines consequi possint, fatetur, necessum est, Id autem prouidentiam sonat. Deus igitur vniuersalis est omnium prouisor. Amplius cum deus cuncta dignoscat, eiusque scientia ad cognita, veluti artificis cognitio, ad artificiata comparetur, artificiata vero omnia, artis seu artificis ordini supponantur, & omnia diuino ordini, diuinæque arti, subijci necessum est. Non enim potest quippiam diuinum hunc ordinem effugere, quemadmodum contingit effectum aliquem causæ particularis, ob impedimentum alterius singularis causæ ordinem exire; quia vniuersalissima causa qualis est deus, cum omnium causarum particularium virtutes complectatur, & efficaciam, & earundem effectus quoslibet, complecti necesse est. Hinc fit vt ea quæ casu atque fortuito hisce in rebus mortalibus suis causis particularibus comparate eueniunt, à deo prouisa sint pariter & intenta. Casuales quippe effectus atque fortuiti, eo eueniunt, quo præter intentum agentis finem accidunt ac prodeunt. Id autem quod dicimus huius accommodatissimi exempli veritate firmatur.

Duplici ratione ostenditur, Deum omnium prouidentiam habere.

matur. Mittat enim dominus quispiam secreto seruos duos, duabus vijs ad determinatum locum in plateam, scilicet, vt ibi inuicem obuient, obuiationem autem hanc, futuram, cum ignoret vterque, hæc ipsa respectu vtriusque casualis erit atque fortuita, at respectu mittentis domini, erit intenta. Et alio id rursus patefiat exemplo. Est arbor vna quæ in vere florere incipit, dumque hæc sic floreſcit, & alia, eodē tempore, eodemque momento, flores emittere incipiat, nōne hæc simultanea arborum floritio, ad suas causas comparata particulares, casualis penitus erit? Et tamen ad cœlestium corporum virtutes vniuersales, mirabilesque influxus comparata, omnino erit intenta. Atqui ex dictis dubitatio maior insurgit. Si nanq; deus optimus vniuersalis est omnium prouisor, ac minimarum quarumlibet rerum prouidentiam habens, cum hæc præstantissima, ac optima sit, cur casuales effectus atque fortuitos euenire permittit? Cur rerum corruptiones, innumeros defectus, ac infinita penè mala, ab his sublunaribus non remouet? Cur demum malos, diuitijs exuberare pariter & extolli, bonos vero malis cunctis, & aduersa comprimi fortuna, patitur? Cur tantas inquit Boëtius lib. j. de consol. metro. vj. lubrica versat, fortuna vices, premit, insontes? Esset nimirum tunc sapientissimus prouisor, si nullum admitteret malū, corruptionem nullam, nullamque miseriam. Si improbos punitione æque paupertate afficeret, si eosdem penitus deprimeret, & bonis, diuitias, sublimitates, elargiretur & præmia. His omnibus adamussim, seriatimque fieri satis. Admirabili sane dei consilio admittuntur hæc omnia. Nam vniuersalissimum sapientissimumque decet prouisorem, vt omnium entium gradus, tum perfectos tum imperfectos, & mala etiā in vniuerso permittantur, quo ipsum perfectius, illustrius, pulchriusue reddatur. Rerum enim diuersitas, maximam constituit pulchritudinē,

Obiectio.

Obiectio pulcherrime satisfit.

&

& ea sublata illico turpitudo consurgit. Si enim vniuersum ipsum, ex cœlestibus solum corporibus, vel elementis duntaxat, aut omnibus, eiusdem solum speciei, quæ obsecro in ipso pulchritudo, conspiceretur? Nulla certe vel minima; At quia nunc plurima graduum varietate, & innumera penè specierum multitudine exornatur, propterea pulcherrimum euadit. Si enim omnia necessaria forent, nulla esset rerum contingentia, & si omnia contingentia extarent, cuncta exularent necessaria, sicque graduum, ac perfectionum diuersitas, tolleretur, & inde formositas omnis. Vt autem hæc splendeat pulchritudo, rerum varietas exorta est. Cur autem corruptiones, defectus, ac cætera mala permittat sapientissimus deus, haud id iniuria facit. Non enim commune, vniuersaleque bonum, nec specierum æternitas conseruari posset, ni particularium corruptio superueniret. Quo enim modo mihi, leonis, ac cęterorum rapacium animalium species conseruari posset, ni esset pullorum, ouium, ac aliorum animalium occisio, quibus aluntur ac conseruantur? Corruptio etenim vnius, alterius est generatio, inquiebat Arist. j. de Gen. & cor. tex. com. xvij. Perirent certe nonnullorum animalium species, nisi occisio & mors multorum animalium particularium foret; Est quidem mors ipsa contra naturæ particularis bonum, & propterea vnumquodque quoad potest ipsam refugit, verum hæc ipsa in naturæ vniuersalis nempe speciei, bonum maxime cedit; Nonne etiam ex hominum morte, maximum elicitur bonum? Vbi nanque martirum patientia esset atque corona, nisi immanis tirannorum extitisset persecutio? Hinc Augustinus in Enchiridion aiebat, Deum adeo esse omnipotentem, vt nullatenus malum quippiam in suis fineret esse operibus, nisi vsque adeo esset omnipotens, & bonus, vt benefaceret etiam de malo. Hinc etiam exoritur vt deus optimus, malos ac improbos

sustineat,

sustineat, quia ex ipsis plurima bona promanant, quibus prauis ablatis, vniuersa cōplura bona deessent. At longe excellentiorem prouidentiam hominum iustorum, quàm impiorum, deum habere fatemur, quandoquidem nil iustis probisque euenire permittat quod aliquando valeat suam impedire salutem, quoniam diligentibus deum, teste Apostolo, omnia cooperantur in bonum. Ad cœlestem quippe gloriam eos perducit. Impios vero sic diuina regi prouidentia dicimus, vt hoc ex regimine, à malitia sua, minime retrahantur. Liberum enim vnicuique est in crimen dilabi, liberumque resipiscere, at dum non resipiscunt, quàm iustissime puniuntur. Et licet tali ex punitione, illis malum insit, hoc bonum tamen indeelucet, ac splendet, nempe iustitia diuina punitiua. At scisciabitur quispiam, cur si deus suaui prouidentia cuncta gubernat, angelorum atque hominum casum permisit? Nonne satius fuisset ad vniuersi perfectionem, & ad bonum propius accessisset, si tum angelos, tum homines ita gratia perfudisset, vt possent semper sua bonitate gaudere? Nonne sic illustrior dei prouidentia euasisset? Sic equidem videtur. His siquidem luculenter responderi potest, ob id, deum optimum, tot angelorum permisisse casum, tot tantasque hominum admittere culpas, vt suauis rerum dispositio, vniuersique perfectio maxime ostenderetur, & nunquam non pateat. Permisit id rursus, quoniam si ab angelis & hominibus, culpæ malum abstulisset, & ab eisdem quoque liberum sustulisset arbitrium, ne in malum flecti valuissent, quod puræ sanè creaturæ naturaliter repugnat. Ne itaque tale ab vniuerso adimeretur liberum arbitrium, vt peccare possent, tum angeli, tum homines, sapientissime deus effecit. Nec proinde perfectius fuisset vniuersum, si culpis criminibusque caruisset, quinimò imperfectius extitisset, quoniam virtutes permultæ atque præclare, ex his occasionaliter promanantes

Interrogatio.

Interrogationi pulcherrima responsio.

manantes vti martirum patientia, punitiuaque iustitia, vniuerso penitus defuissent. Nec ad id rectè responderi potest, quòd ad martirum patientiam sola suffeciisset animi præparatio, quoniam virtutis bonum ac perfectio, non in habitu, at in secundo consistit actu, vtpote perfectiori. Permisit poltremo hominum culpas ne admirabili illo inneffabilique Incarnationis filij dei, bono, vniuersum, foret orbatum. Dum enim Adam prothoparens nolter peccauit, quo perditum erat genus humanum, illius miser tus dei filius, fragilem hanc noltram allumpsit naturam vt morte deinde eius intercedente, eidem felicitatem afferret æternam. Hinc euenit illa dulcis Gregorij exclamatio. O felix culpa quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem. Excellit siquidem immensum hoc Incarnationis filij dei, bonum, omnium mortalium culpas, quod sanè iuxta sanctorum doctorum sententiam, (quicquid afferat Scotus) non extitisset, ni Adæ culpa præcessisset. Et huius accessione boni, pulcherrimum, perfectissimum, ac glorioslissimum redditum est vniuersum. Hæc de secundo.

Articulus tertius.

Pulcherrime declaratur & elucidatur id qđ maxime mirãtur, homines, cur scilicet malis, bona, bonis vero

QVO ad tertium articulum, quæritur, cur bonis, sæpenumero mala, malis vero bona, euenire permittat diuinus ipse prouisor. Id enim est quod maxime scire appetunt homines. Quæstionem hanc sic absoluendam esse putamus, dicentes, id iccirco contingere, quia non ea mentis integritate degunt homines, vt quos probos improbosue esse censuerint, eos quoque vti existimant, esse necesse sit. Atqui pugnantia sunt hominum iudicia, dum aliquos, nonnulli, præmio, alij supplicio dignos, arbitrantur, nequæuntque probos, ab improbis facile discernere, quod tamẽ deum cuncta spectantem

ctantem ac intime, latere minime potest. Hinc optime fit, vt deus optimus, malis sanè semper mala, bonis vero bona, nunquam non retribuat. At fallacia hominum iudicia, quos bonos existimant, cum mali sint, eisdem, aduersa, quosque malos putant, cum boni existant, ipsis, bona aduenire arbitrantur simulatque mirantur. Sed supponamus hominum iudicia, bonos, ab improbis discernere, bonisque mala, ac malis bona prouenire; Id enim & iustissime, diuinæ altitudo prouidentiæ summusque prouisor, qui cuncta conspectat, vnicuique vt expedit, expediteque dignoscit, euenire sinit, quod ignorantes homines, admodum admirantur. Porrò sicut plerique, cui sanis corporibus, his quidem dulcia, his vera amara, conueniant, & ægris, cui, alijs quidem leuia, alijs vero acriora remedia tribuantur, ignorantes, admirantur. medicus tamen tum sanitatis, tum ægritudinis causam, naturarumque diuersitatem agnoscens, minime miratur, nouitque quid sanis, ægrisque quibusque, conueniat, sic deus optimus, bonorum agnitor animorum pariter & prauorum, scit, quid bonis animis, virtutibusque exornatis, quidue malis, ac vitijs affectis, optime conueniant. Nam plerunque bonis, aduersa, prospera malis, à deo, optima medella esse censentur, quod mortales secus adiudicarent, vti præclarissimum apud Lucanum extat exemplum. Qui percunctatus cuius esset belli inter Pompeium Iuliumque Cæsarem iustior causa, sic eum respondisse dignoscimus. Victrix causa dijs placuit, sed victa Catoni. Arbitrabatur planè Cato, belli Pompei, causam esse iustiorem, at Dij Iulij Cæsaris æquiorem. Atqui sit, vt diuinum pariter & humanum conueniant iudicium, ita vt bonis, mala, & malis, bona, euenire dijudicent. Id nimirum consultissimo fiet, quia bonos quosdam deus aduersitate remordet, ne nimia fœlicitate luxurient, malos ac improbos, diuitijs implet, vt boni, malos, ob id, non

mala, euenire, conspectent.

esse felices ediscant, quandoquidem malis, felicitas vera aduenire non possit. Efficit id rursus Deus optimus, ne tam præceps importunaque malorum natura, rei familiaris inopia, in peiora scelera prolabantur. Facile etenim, praui, in furta, rapinasque erumperent, ni pecuniæ, diuitiarumque remedio mederentur. Agit id item diuinus prouisor, vt fœdatam vitijs conscientiam, spectantes, fortunæque prosperæ comparantes, mali pertimescunt, ob eorum nequitiam, diuitiarum amissionem, cuius iucundus est vsus, sicque formidine hac, à sua prauitate discedant. Postremo permittit id deus, vt maiorem in miseriam atque infelicitatem elabantur; Nam infelicissimum infortunij genus, est aliquando fuisse felicem. Ex his omnibus clarescere facile arbitror, quàm iustissime diuinam prouidentiam, aliquando bonis, aduersa, & malis prospera, permittere, & eam ad quæque creata sese porrigere, vt dictum est, quamuis rursus nobis libeat, hoc vltimum, Boëtij carminibus. iij. De consol. metro. viij. firmare, qui sic clarissime cecinit.

Boëtij carmina.

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum cœlique sator, qui tempus ab æuo,
Ire iubes, stabilisque manens, das cuncta moueri.
Quem non externæ, pepulerunt fingere causæ,
Materiæ fluitantis opus, verum insita simul,
Forma boni liuore carens, tu cuncta superno,
Ducis ab exemplo, pulchrum, pulcherrimus ipse,
Mundum mente gerens, similique imagine formans,
Perfectasq; iubes, perfectu absoluere partes.

Tu numeris elementa ligas, vt frigora flāmis.
Arida, conueniant liquidis, ne purior ignis.
Euolet: aut merſas deducant pōdera terras;
Tu triplicis mediam, naturæ cuncta mouentē,
Conuertens animam, per conſona membra reſoluis.
Quæ cum ſecta duos motum glomerauit in orbes,
In ſemet reditura meat, mentemque profundam,
Circuit: & ſimili conuertit imagine cœlum.
Tu cauſis animas paribus: vitasque minores,
Prouehis: et leuibus ſublimes curribus aptās.
In cœlum terramq; ſeris: quas lege benigna,
Ad te conuerſas, reduci, facis igne reuerti.

Reticeo quæ ad hoc idem canit lib. j. metro. v. vbi ſic inchoat. O ſtelliferi conditor orbis. Et lib. iiij. Metro. vj. vbi ſic exorditur. Si vis celſi, iura tonantis, &c. His enim in locis ad omnia diuinam extendit prouidentiam. Verum ad quartum accedamus articulum, in quo titubant mortalium mentes ob nimiam eius difficultatem, & celſitudinem.

Articulus quartus.

QVO ad quartum articulum, in quo quæritur num diuina prouidentia, rebus prouiſis, eam neceſſitatem imponat, vt nullus omnino effectus contingens vel liber euenire poſſit; dicendum eſt, dubium hoc perarduum eſſe cognituque difficillimum, in quo ſanè plurimi trepidant, vacil-

lant, hallucinantur; Verum superis fauentibus, à nobis, ea qua potest facilitate, ac claritudine discutiendum erit; Quia vero haud facile id definiri potest, ni prius fati materia prægustetur, ob id, quid fatum ipsum sit, & in quo ab diuina discriminetur prouidentia, perquirendum est, ac decernendum, deinde nec fatum ipsum, nec prouidentiam, rebus fatuitis, vel prouisis, necessitatem imponere, (vt plerisque placuit, pro viribus ostendemus. Illud igitur primo animaduertendum est, plerosque fatum prouidentiamque negasse, eos, scilicet, qui effectus casuales fortuitos ue inficiati sunt inter quos Tullius annumeratur, vt ex Augustino. v. de Ciuit. dei patet, & etiam ex ipsomet Tullio libro de Diuinatione. Eos quoque omnes fatum negasse collucet, quos & causam finalem non admisisse constat; Verum hij à vero veritatis tramite deuiarunt; Nam cum prouidentiam diuinam, vti firmatam est, ponendam esse decreuerimus, & fatum quoque poni necessum est, quandoquidem diuina exerceri nequeat prouidentia, si fatum è medio tollatur, vti paulò post, patebit. Fatum autem à Boëtio. iiij. lib. De Consol. prosa. vj. pulcherrime sic definitur. Fatum est inhærens rebus mobilibus dispositio, per quam prouidentia, suis quæque nectit ordinibus. Qua ex definitione, duo perpulchre colliguntur, alterum quidem vt fatum non in rebus cunctis, at in mobilibus duntaxat valeat reperiri, alterum vero vt idipsum, re, ab ipsa prouidentia seiungatur. Quo fit vt in deo ipso angelicisque spiritibus, vtpote immobilibus, fatum reperiri nequeat; Reperietur autem maxime in cœlestibus ipsis corporibus, quæ & causæ vniuersales & superiores sunt, quæque motu suo tempori subduntur. Siquidem series, ordoue causarum secundarum, potissimum tempori subiectarum, farū ab omnibus ferè nuncupatur, & ob id, dispositio, series, vel ordo, rebus mobilibus inhærens, dicitur.

Plerique fatum negauere, e quorum numero, teste Augustino, est M. *Tullius.*

Quid fatum sit secundum Boëtium, & quibusq; rebus reperiatur.

Istis

Istis vero causis secundis hac causarum serie, diuina exercetur prouidentia, hac suaui dispositione, cuncta ad suum proprium que finem perducuntur. In hoc autem à prouidentia, fatum discrepare didicimus, q prouidentia cuncta simul quamuis diuersa, quamuis infinita, complectitur, fatum vero singula digerit ac diuidit in motum: locis, formis, ac temporibus distributa, & alterum ex altero pendet, vti è causa pendet effectus. Nullatenus autem ordo causarum secundarum, fatum dici valeret, ni ex ipsa oriretur prouidentia, nec ordo fatalis nuncupatetur, nisi ex diuinæ prouidentiæ simplicitate procederet. Hæcq. temporalis explicatio ordinis, in diuinæ mentis adunata prospectu, prouidentia est, & eadem adunatio, temporibus explicata atque digesta, fatum vocitatur. Sicque adinuicem pulcherrime comparantur, vt sicut forma artificis puta ædificatoris, mente concepta, atque perspecta, qua domum construere dispo nit, ars vocitatur siue ydea, & quod præsentariæ pro spexerat, per temporales ordines ducit, artis executio, vocari potest, ita prouidentia diuina ea est, qua deus cuncta facienda disponit, & id quo sic disposita, multipliciter temporaliterque administrat, fatum appellitatur; Et hoc sanè est quod præclare. D. Th. prima. q. cxvj. art. ij. edocuit, inquiens. Effectuum ordinationem bifariam posse considerari, vt in deo, scilicet sunt, & sic ordinatio talis, prouidentia vocitatur, vt vero secundis in causis, ac medijs à deo ordinatis, ad aliquos effectus producendos reperitur, fatum appellatur. At si quæritet quispiam, sit ne mobile fatum an immobile, vnum vel plura, huic protinus respondendum est, Fatum ad duo comparari posse, ad diuinam, videlicet, prouidentiam à qua proficiscitur, & huic comparatum, cum ipsa immobilis sit, & ipsum erit immobile, Et hinc fit vt falso astruãt nonnulli, fatum hoc modo consideratum, mobile esse, quo errore Aegyptij decenti, arbitrati sunt, qui-

In quo, fatum à prouidentia discrimi-netur.

Num fatũ sit mobile, vnum, vel plura, optime declaratur.

busdam sacrificijs, fatum ipsum mutari posse; Et hac eadem ratione asseuerandum est, ex sui principij vnitate, & vnum esse. Si vero ad res in quibus reperitur, ad causas nempe secundas quibus inhæret, comparetur, cum causæ ipsæ multiplicentur, & ipsum quoque multiplicari, necessum est. Cumque causæ ipsæ secundæ mobiles sint ipsum quoque & mobile erit; Hinc optime fit vt fatum ad diuinam relatum prouidentiam sit necessitati, non quidem absolutę, at conditionatę, obnoxium, ad causas vero secundas comparatum, respectu effectuum producendorum, nullam dicat absolutam necessitatem. Quod vel ex hoc colligi facile potest. Nam cum operatione cœlestium corporum in quibus maxime fatum residet, impediri possint effectus futuri, nequaquam necessario producentur. Idque præcipue apparet in homine cuius opera necessitati fatali minime subiguntur. Hinc demum sequitur, non omnia ac mobilia duntaxat fato subijci, tametsi omnia diuinæ subdantur prouidentiæ. His autem de fato decisis, ad principale quæsitum respondendum est, quo quærebatur, num diuina prouidentia, rebus prouisis necessitatem imponat.

In quo huiusce quæstionis cõsistat difficultas, aperitur.

Verum antequam id decernatur, prius id quod difficultatem hac in re, affert, tangendum est. Incompossibilia quippe hæc adinuicem esse videntur, vt certa infallibilisque sit diuina prouidentia, & res prouise contingenter, vel libere eueniant. Extante enim causa certa, infallibili, ac necessaria, ex ea, effectum contingentem sequi, vel liberum, impossibile apparet, & si effectus contingens vel liber admittatur, veluti de facto admittendus est, cum deficere possit, iam ipso deficiente, & prouidentia fallibilis incertaque videbitur. Si enim vt exemplo dicamus, præuidit me deus crastina die lecturum, stante hac præuisione certa, & infallibili, non potero non legere, & sic necessario legam, & si potero non legere, iam

iam diuina prouidentia fallibilis erit & incerta. atqui diuina prouidentia, causa est certa, infallibilis, ac necessaria, igitur omnia ex necessitate, & non contingenter euenient. Ob id & pleraque his similia, nequeunt imaginari quàm plurimi, quonam modo in homine arbitrij libertas, cum diuinæ prouidentiæ infallibilitate saluari queat, & quo etiam modo, consilia, orationes, cæteraque id genus, vna cum eadem infallibilitate, subsistere valeant. Nam stante (inquiunt) aliqua conditione immutabili immobili, & necessaria, dum stat illa conditio. fatuum est ad oppositum conari, Cumque diuinæ prouidentiæ semper stet ista conditio, nempe vt immobilis, immutabilis ac necessaria sit, fatuum erit ad oppositum conari ne eueniat, sicque fiet vt effectus quilibet à deo prouisus, omnino euenire debeat, & ob id, auferatur à rebus contingentia vel libertas. Hæc facillime dissoluuntur, si modum certitudinis, infallibilitatis, ac immutabilitatis diuinæ prouidentiæ perueſtigauerimus, qualisque in hac ipsa necessitas inueniatur. Hoc quippe patefacto, similium rationum eluceſcet infirmitas; illud igitur primo annotandum occurrit, ea omnia quæ à deo sciuntur & prouidentur ab æterno sibi esse præsentia, cumque æternitas sit tota simul, nullam prorsus successionem admittens, eaq. actus ipse diuinus, nempe intelligere, quo omnia scit, omnibusque prouidet, pulcherrime mensuretur, nihil sibi præteritum, nihilque sibi futurum erit, at omnia sibi præsentia, contuebiturque omnia simul quæ in toto temporis decursu extiterunt, sunt, & erunt, vt intueor ipse, quæ ante meum proponuntur conspectum. Verum sicuti mea ex visione solum, necessarium quippiam non efficitur absolute, ita ex diuina visione, non trahit aliquid absolutam necessitatem, at solum conditionatam. Non enim res à deo scite, & vise, quia vise sunt, absolute necessitatis modum induunt, vt scilicet omnes necessariæ sint,

Fundamentum ponitur, quo præposita soluitur difficultas.

sint, quia complures à deo res vise simpliciter contingentes sunt, & nonnullæ libere, at solum necessitatem quampiam trahunt conditionatam, hanc, scilicet, vt sic vise præsentialiter, & actu, vt sunt, aliter esse non possint sicuti omne quod est dum est, ipsum esse, necesse est. Hæc autem necessitas, haud consequentis, quæ absoluta est, sed consequentię, quæ conditionata, seu suppositionis est. Idque perinde est, ac si diceremus. Si quippiam est à deo scitum, illud vt scitum, & eo modo quo scitum est, necessario eueniet, quia immutabiliter eueniet. Est enim necessitas hæc vti diximus, non absoluta, at immutabilitatis, quia non aliter res eueniunt, quàm ab æterno præuiderit deus eas ipsas nostro in tempore, esse futuras. At quoniam inter scita diuina, quædam simpliciter necessaria, quædam contingentia vel libera sunt, ob id necessaria, à necessarijs causis, & necessario, & contingentia, vel libera, à contingentibus, vel liberes causis, contingenter & libere proficiscuntur. Cum hac tamen contingenti vel libero euentu, stat necessitas immutabilitatis, quia hæc duo nempe euentus contingens, vel liber, & euentus necessarius necessitate immutabilitatis, non pugnant adinuicem. Quod his sic declaratur exemplis, altero quidem in naturalibus, in voluntarijs, altero. Sit arbor crastina die, flores productura sit, & sortes, crastina etiam die, suum ad viridarium iturus, constat arborem respectu crastinæ floritionis & sortem, respectu progressionis, causas fore, alteram quidem contingentem, alteram vero liberam, & ambas defectibiles, quandoquidem à suorum effectuum productione, impediri valeant, Constat quoque has duas causas, suorum effectuum productiuas, ab æterno, deo esse præsentes; Cumque in æternitate nulla extet successio, & ab æterno prospexerit deus, arborem actu floresscere, sed contingenter, & sortem ad viridarium actu pariter accedere, at libere,

libere, propterea asseueramus hos duos effectus, immutabiliter à suis causis proficisci, & proinde necessario, hac immutabilitatis necessitate, quia omne quod fit, dum fit, fieri, necessum est, & omne quod est, dum est, si Aristoteli credimus, necesse est esse. Euenient igitur omnes effectus, tum contingentes, tum liberi, ab æterno à deo præuisi, euenient inquam à suis causis producti, contingenter & libere, quia cum in eius prospectu, semper præsentes sint, & actu producantur, & ita dum producuntur, non possunt non produci, ob id, tales effectus nobis futuri, & deo præsentes, immutabiliter euenient; Hæc sole clariora mihi esse videntur, & quisquis hæc ipsa non percipit, hebetis sanè ingenij est. Erit itaque conditionalis hæc vera ac perneceſſaria, Si deus quippiam futurum præuidit, eo quo præuidit modo, illud infallibiliter immutabiliterque euenier. Verum id quod plerosque fallit ac decipit, hac in re, est falsa eorundem imaginatio. Imaginantur siquidem res, sicuti nobis, ita & deo esse futuras, quod dicere, nephas est. Et quia respectu nostri, causæ contingentes, quandoque à sui effectus productione deficiunt, sicuti si ipse crastina die cum aliquo, disputationem vel colloquium habere decreuero, ob aliquodque impedimentum mihi aueniens, vel meam ob mutationem, nequaquam disputem, vel colloquium habeam, iudicabitur effectum hunc contingentem, vel liberum, à sua causa defeciſſe, pari modo illi de deo censent esse dicendum, quod absurdissimum est, & cogitatu prorsus indignum. Nam quia Deus, id quod mihi futurum erat præsentialiter & actu contuetur, iccirco etsi crastina die, disputare, vel colloquium habere decreuerim, haud tamen disputem vel colloquium habiam, ipse tamen deus, ab æterno me crastina die non disputaturum aut colloquium habiturum perpulchre conſpexit. Et propterea effectus hic libere euenit, infallibiliter tamen & immutabiliter, ac neceſſario, vt

In æternitate, nulla est succeſſio, quo fit. vt oĩa ſint deo p̃ſentia.

Falſa multorũ imaginatio ẽ eis deceptionis cã

neceſſitas

necessitas hæc immutabilitatem sonat. Quis igitur extante diuina hac prouidentia certa & infallibili, audebit asserere, nil contingenter aut libere euenire? Commostratum est mehercle, luce clarius, (vt reor) effectus ipsos contingentes & liberos, certitudini, & infallibilitati diuinæ prouidentiæ, minime repugnare. Qua de re, liberum arbitrium consilia, & orationes, à mortalibus tollenda sunt minime. Libere enim agunt homines, perpulchre consiliantur, optime deo sanctisque suis, preces effundunt, vt præclare sanctæque omnes scripturę conclamant; Et cum his cunctis, infallibilis perstat dei prouidentia. Hincque fit vt falso autument hæretici quidam, & doceant, omnia, absoluta euenire necessitate, è quorum numero est Ioannes Vuiteleff. vt patet articulo eius. xxvij. cum cęteris damnato, à Concilio Constantiensi, in octaua sessione, & Martinus Lutherus, vt constat ex vno suorum articulorum nempe. xxxvj. (si rectè recolo) à Leone. x. pontifice maximo cum alijs damnato, vt etiam testimonium perhibet Alfonsus de Castro in libro aduersus hæreses titulo de Futuro contingenti; Liquet enim hos omnes, à sacris litteris, ab Ecclesiæ determinatione, & à vera etiam recedere phylosophia. Nec huic solidissime catholicæque veritati, argumenta prætacta quicquam officiunt. Non primum quidem quo dicebatur, quòd extante causa certa, infallibili, ac necessaria nequit contingens vllus vel liber prouenire effectus, quia hæc maior assumpta, falsa est, & omnino neganda; Nam quòd existente diuina prouidentia vt causa certa & infallibili, contingens proueniat effectus vel liber, iam satis superque enucleatum ac commostratum est. Quodque existente causa necessaria, nullus euenire possit effectus contingens vel liber & id esse falsissimum pulcherrimè ostendit. D. Thom. prima q. xiiij. art. xiij. ad primum & q. xix. art. iij. ad quartum. De Ver. q. v. art. ix. ad xij. q. ij. art. xiiij. ad quintum,

Falsissimum est, omnia euenire absoluta necessitate, vt garriunt hæretici.

Argumentis in oppositum, optime respondetur

tum,& dist.xxxviij.primi sent.q.j art.v. ad primum, & fusius in corpore articuli vbi ait, effectum, non à causa prima & suprema, at solum à causa proxima, necessitatem trahere, hocque declarans clarissime inquit. Qui quandocunque causæ permultæ sunt adinuicem ordinatæ, effectus vltimus, primam non sequitur causam, in necessitate, & contingentia, at proximam, quandoquidem virtus causæ primæ, in secunda recipiatur secundum modum ipsius causæ secundæ, cum vnumquodque recipiatur iuxta recipientis modum ex ij. de Anima tex. com. xxiiij. sicuti euidentissime patet in arboris floritione, cuius quidem causa prima, & remota, est motus solis, proxima autem est virtus plantæ generatiua; Nam licet motus solis, necessario fuit, & inuariabilis existat, & causa appellitetur necessaria, quia tamen eius virtus & influxus in floritione arboris impediri potest, ob impedimentum virtutis generatiuæ, propterea floritio ipsa non necessario, at contingenter & impedibiliter euenit. Cum itaque diuina prouidentia quandoque quidem per causas secundas ac necessarias, quandoque vero per causas contingentes vel liberas exercetur vti declaratum est, dum de fato habitus est sermo, & ipsamet prouidentia vti causa prima & suprema, (tametsi in se necessaria sit) in secundis modificetur causis, ac in eisdem eius virtus & causalitas recipiatur, secundum modum ipsarum quandoquidem hasce particulares ac proximas causas suauiter moueat, & iuxta proprias virtutes, quarum nonnullæ contingentes, nonnullæ liberæ sunt, ideireo ex his effectus producentur contingentes, vel liberi, non obstante ipsius prouidentiæ necessitate. Nam semper effectus naturaliter suæ propriæ ac proximæ assimilatur causæ, & proinde suam necessitatem vel contingentiam, haud à prima & remota, sed proxima, trahit, veluti in syllogismo patet, in quo maiore existente necessaria, & minore contingenti, semper sequitur

quitur conclusio, quæ est præmissarum effectus, omnino contingens. Nec huic splendidissime veritati, quicquam officit magnus ille Scoti Achilles. xxxix. dist. primi positus, nempe quòd causa quæ mouet in quam, tum mota, si necessario mouetur, necessario mouet, Et quia omnis causa secunda mouet & agit quatenus à prima est mota, igitur si necessario mouetur à prima & necessario mouebit & aget, qua re nulla, contingenter vel etiam libere suum producet effectum. Huic inquam nihil hoc officit argumentum quoniam maior assumitur falsissima; Non enim necesse est si causa secunda, à prima necessario moueatur, vt eadem necessario moueat, quoniam motio primæ causæ, in secunda, & proxima causa modificatur, vti iam dictum est, nec causa hæc proxima vtpote contingens quæ potest agere & non agere, virtutem recipit motiuam à prima, vt eodem modo in ipsa sit, sicuti reperitur in prima, atqui eamipsam recipit secundum eius modum & capacitatem, & prout suæ proportionatur naturæ, veluti aër & luna quæ lumen à sole recipiunt & illuminatiuam virtutem, non eodem modo recipiunt quo in sole existit, at secundum modum & capacitatem tum aëri, tum lunæ conuenientem. Modificabitur itaque motio primæ causæ à contingentia vel libertate secundæ causæ, si causa libera est, & sic contingenter vel liberæ mouebit & aget. Asseritur & hinc falla hæc maior assumpta propositio, cum dicitur. Causa quæ mouet inquantum mota, si necessario mouetur, necessario mouet, quoniam si intelligitur quòd causa secunda moueat præcisæ inquantum mota, quemadmodum innuit ipse Scotus, tunc non solum falsa est, at contradictionem implicans quoniam sequitur, quòd causa sit, & non causa, causa quidem, quia ex se & sua pte natura propriam habet actionem & optationem in effectum influens, non causam vero, quia si præcisæ mouet, & non aliter nisi quia mouetur, nihil ex

Scoti Achilles.

Interimitur Scoti Achilles.

se

se ágit, nihilque ex se in effectum influit. Quare in hoc argumento admodum deceptus est Scotus, nec sequitur vt idem asserit dist. prima. j. q. iij. philosophos, latenter duo concessisse contradictoria, dum posuere, aliquid contingenter fieri, & causam primam necessario causare, quoniam vti declaratum est, hæc duo sibi optime cohærent. Atqui rursus ab eodem obijcitur Scoto. Causa prior, prius naturaliter & simpliciter respicit effectum, quàm causa posterior, igitur in illo priori, causa prima si de necessitate agit, & mouet, effectui necessitatem tribuet, & ob id, nequibit causa proxima, eidem effectui, contingentiam elargiri, ex quo ipse, vti clarum sustinet, quòd necessitas & contingentia in effectu causæ proximę, ex prima oritur causa. Hic quoque hallucinatur Scotus, quoniam si in suo antecedente intelligat causam priorem prius naturaliter & simpliciter secundum prioritatem aliquam durationis etiam instantaneę, nempe in vno instanti attingere effectum causæ posterioris, in quo, ipsa, illum minime attingat, at solum in alio, falsissimum assumit antecedens, quindo quidem simul eodemque penitus instanti, ab vtraque idem attingatur effectus; Nec inter hasce causas est alia prioritas respectu productionis effectus, nisi independentiæ & immediationis virtutis, dum prima causa independentem habet virtutem quia à se secunda vero à prima dependentem, & prima item immediatur immediatione virtutis, effectum attingit quàm secunda. Non est igitur hic ordo durationis at causalitatis duntaxat, & ab vtraque causa necessaria scilicet, virtutem suam, in contingenti, modificatam, habente, & ab ipsamet contingenti, contingentiam, suscipit effectus. Aduertendum est autem hoc in loco, & in materia tam ardua, ne attribuatur. D. Thomæ eiusdem sententiam fuisse quòd effectus quispiam, à prima causa, necessario proueniat, & contingenter à secunda quemadmodum falso imaginantur

Rursus arguit Scotus

Diluitur Scoti argumentum.

ginantur eiusdem. D. Thomæ impugnatores, quoniam hoc falsissimum extat, & expresse ab ipsomet. D. Thoma prima q. xix. art. viij. in corpore reprobatur, dum ponit diuinæ voluntatis efficatiam, contingentiæ cuiuslibet fore radicem, quoniam inquit ipse, cum causa quæpiam, ad agendum efficax fuerit, suus effectus non solum causam consequitur secundum id quod fit, verumetiam secundum modum fiẽdi, & essendi, sicuti cum in patre, seminis virtus, fortis fuerit, & efficax, similem sibi procreat filium, si autem debilis, dissimilem. Cum autem inquit diuina voluntas efficacissima sit, hinc sequitur vt non solum ea fiant quæ vult, at eo etiam modo quo fieri sibi libet, & cum velit quædam, necessario, nonnullaue contingenter, fieri, vt vniuersi perfectio optime resultet, eapropter effectibus necessarijs necessarias causas, & contingentibus, contingentes, præparauit, Et concludendo subdit, Non igitur effectus à deo voliti, contingenter eueniunt, quia eorum causæ proximæ sunt contingentes, sed potius quia voluit, eos, deus contingenter euenire, contingentes eis causas præparauit; Quid obsecro clarius. D. Thomas, de vera contingentiæ seu etiam libertatis radice effari poterat? Ex his etenim & alia Scoti argumenta eliduntur vtpote D. Thomam minime impugnantia, dum astruit omnes effectus contingentes causæ secundæ immediatæ posse à deo produci, & quòd de facto eosipsos produxit, & propterea tales effectus, non trahere suam contingentiam à præfatis causis secundis. Iam enim constat, id non impugnare quinimò. D. Thomæ confirmare doctrinam. Ob id tamen non auferetur quin si duæ causæ ad alicuius effectus contingentis productionem concurrant, quarum prima & remota sit necessaria altera vero proxima scilicet, sit contingens, effectus talis à causa proxima, virtutem primæ, modificante, contingentiam suam trahat. Hoc enim iam supra dilucidatum

est.

est. Annotandum quoque est ex prædictis clarissime deduci, & colligi, deum ipsum vtpote sanè intelligentem, summæque volentem, non agere de necessitate naturæ, neque vt necessitas naturæ, necessariam dicit inclinationem ad agendum, prout intelligere præuenit velle, eo modo quo diceremus, hominem, ex naturę necessitate, cibum digerere, ignem calefacere, & solem illuminare, neque naturæ necessitate, vt ipsum intelligere implicat & velle, cum determinatione ad intelligendum & volendum ita vt non possit, non solum non intelligere, quæ intelligit, sed etiam nequeat non velle quæcunque vult; sicque deum agere de necessitate naturæ erit, ipsum, suam volendo necessario bonitatem velle etiam & necessario omnia in suam bonitatem reducibilia velleque vnicuique suam necessario communicare bonitatem iuxta rerum ipsarum capacitatem. Et hoc expresse habetur à D. Thom. ij Contra Gent. cap. xxiij. vbi inter nouem quas adducit rationes ad id probandum, seprimam duntaxat, in medium afferimus, quæ est, Agenti primo, prima debetur actio sicuti primo mobili, primus motus, at deus est primum agens, nedum ex Theologorum, verum ex philosophorum sententia, igitur eidem, prima debetur actio, at talis est non naturæ, sed voluntatis actio, quia hæc voluntatis actio, perfectior est, quod ex eo liquet, quoniam quæ per voluntatem apud nos agunt, agentibus per naturæ necessitatem, perfectiora sunt; Actionem autem per voluntatem agentis, actione ex necessitate naturæ, operantis, perfectiorem dicimus, si vtraque ad aliquid terminetur extrinsecum. Nam si naturæ actio, vt de deo ipso loquamur, ad aliquid effentiæ suæ intrinsecum ad filium scilicet, & voluntatis actio ad extrinsecum aliquod nempe ad creaturas terminetur, perfectior tunc erit naturæ, quàm voluntatis actio, vt de Potentia dei. q. iij. art. xv. D. Thomas interpretari videtur, vbi & materiam hanc

Deus, de necessitate naturæ non agit, quod & declaratur.

Obiectio.

Obiectioni respondetur.

diffusæ pertractat. At si quispiam diceret, natura diuina secundum rationem, seu secundum nostrum intelligendi modum, suum præuenit intellectum suamq. voluntatem, igitur cum eiusdē diuinę naturæ actio, qua seipsam cōcat, siue ad intra, siue ad extra, ex eius fęcunditate proueniat, & ipsa, intellectus ac voluntatis actionem præcedat, eaipsa omnino de necessitate naturæ aget & non libere, seu per intellectum & voluntatem. Huic respondemus, inquientes, quòd quia natura diuina pure intellectualis est, immo ipsamet intellectualitas, esto quòd fęcūdissima sit, cum tamen sibi repugnet, per actionem transeuntem communicari, per solam actionem immanentem eidem naturæ idemptificatam, communicabitur, talis autem actio immanens, est solum intelligere & velle, quare per intellectionem & volitionem duntaxat, communicabilis erit, & actu communicatur. Nec est verum quòd actus, naturæ communicatiuus, quouis ordine, actum intellectus præueniat & voluntatis, quoniam ipsi naturæ diuinæ repugnat per alium actum, quàm intellectus & voluntatis communicari. Et licet secundum nostrum intelligendi modum, natura, intellectum præcedat ac voluntatem, quia tamē horum, eadem est virtus eadem operatio, ita vt primum sine secundo operari nequeat, propterea communicatio hæc naturæ sine intellectu ac voluntate minime fit; Non enim imaginandum est naturam, & intellectum, ad quem necessario voluntas sequitur quasi duas esse naturas, ac potius intellectualitatem, differentiam esse naturæ constitutiuam in tali rerum genere dicimus, ita, quòd aut natura infęcunda est & dicitur, aut fœcunda solum per intelligibiles actus, quales sunt intellectus & voluntatis. Et secundum nostrum intelligendi modum, natura, principium primum, intellectus vero & voluntas, principium proximum & immediatum dicitur operationis & communicationis.

Atqui

Atqui nonnulli oppositum sensere, è quorum numero est Magister Chrisostomus, qui. vj. Metaph. q. x. arbitratur ad Arist. aures, omnino tenendum esse, Deum ipsum, de necessitate naturæ agere. Verum vt eidem ostendamus hanc nequaquam fuisse Arist. mentem, suis respondendum est rationibus.

Magistri Chrisostomi opinio, tenentis ad mentē, Aristdeum agere de necessitate naturæ.

Et ad primam quidem in qua supponitur Arist. viij. phyſic. probasse motum in communi, esse æternum, vt patet tex. com. xij. & xiij. & etiam tex. com. xi. dicitur, quòd probauit equidem at non demōstrauit quoniam. D. Thom. super præfato tex. xiij. soluit omnes ipsius Arist. rationes quibus hanc æternitatem, probare nititur. Probauit rursus generationem esse æternam, vti constat ex ij. de Gener. & cor. tex. com. lix. &. lxj. at nec id demonstratiue comprobatum est. Admittimus quoque ex ipsa continua & perpetua generatione, ipsummet Aristotelem probasse, motum cœli esse continuum & perpetuum, xij Metaph. tex. com. xxxiiij. &. viij. phyſ. tex. com. lxxiij. & mundum insuper esse æternum, vt ex primo Cœl. & mundi, patet, verum his in locis, nullum istorum demonstratiua ratione probauit, Quod suadetur, tum ex. D. Thomæ, tum ex ipsius Arist. dictis. Nam. D. Thom. primo Cœl. tex. com. vltimi, cunctas ipsiusmet Arist. rationes, mundi æternitatem probare contendentes, optime dissoluit, vt ibidem videre libet; Aristoteles vero in primo tex. ij. libri. sic ait. Quod quidem igitur, neque est omne factum cœlum, neque contingit corrumpi, quemadmodum quidam dicunt ipsum, sed est vnum & sempiternum, principium quidem & consumationem non habent. Habens autem & continens in seipso infinitum tempus, ex dictis, licet accipere fidem. Si enim fidem accipere licet, non sanè demonstrationem, quoniam firmitatem quidem rei, fides ipsa, dicit & inhęsionem, at non eiusdem rei euidentiam, quam scientiam, dicit, Cum autem astruit motum cœli de necessitate

Ad primā rationem respondetur.

fore æternum, negatur hoc assumptum de necessitate absoluta loquendo, non autem de necessitate suppositionis, seu conditionata, Nam cum potentia rationalis, & intellectualis ad opposita contrariæ vel contradictorię sit ex. ix. Metaphys. tex. com. iij. cum deus summe sit intellectualis, quandoquidem summe immaterialis potuit motum, tempus, generationem, ac corruptionem, necnon mundum secundum philosophum ab æterno non producere, sicuti secundum ipsum ab æterno produxit, cum ad res alias à se, nullam habeat necessariam habitudinem, qua eas ipsas producere cogatur, aliter actionem ad oppositа minime haberet, De necessitate autem conditionata vel suppositionis, antecedens assumptum verificari potest, quoniam si ab æterno decreuit deus mundum producere, cœlos perpetuo moueri, generationem, ac corruptionem continuam, ac sempiternam esse, post hanc suæ voluntatis determinationem nō potuit non mundum producere, non mouere cœlos, non generationem corruptionem ue continuare, cum penitus immutabilis sit; Dum formatigitur consequentiam hanc, Probauit Arist. motum cœli esse æternum de necessitate, ergo & motorem primum de necessitate mouere, de necessitate conditionata, seu suppositionis loquendo, antecedens est verum pariter & consequentia, de necessitate autem absoluta, vtrunque falsum est, Itidem de generatione, ac corruptione dicendum est.

Ad secundam. Ad secundam autem cum inquit oportere ad causandum sempiternum, motum, motorem non solū esse potentia mouentem at semper actū, ex. xij. Metaphys. tex. com. xxx. quia aliter contingeret non esse motum, & sic de necessitate mouere. Respondetur quemadmodum ad primam, quoniam si supponatur motum fore æternum, necesse est & ipsum motorem esse semper actu mouentem, & ob id necessario, necessitate conditionata, siue suppositionis, non autem

autem absoluta, quoniam cum agens primum summa libertate gaudeat, potuit ante suæ voluntatis determinationem, non producere mundum ab æterno,& consequenter,nec motum, nec mororem,nec vnquam ex Aristotelis fundamentis oppositum probari poterit.

Quod autem vlterius affertur in eodem textu, oportere mororem actum esse, & nullam habere potentiam admixtam, quia aliter contingeret ipsum non esse, intelligendum est id de passiua potentia,& sic intellectum,veritati consonat, vt optime docet. D.Th.Si autem dictum hoc,de potentia interpretaretur actiua,vt supra, dicendum est. *Ad tertiã*

At nondum (dicet quispiam) perfectè quiescit animus,quoniam cum ex. D.Thomę sententia,Primo Contra Gent. cap. lxxv. ratione secunda Deus eodem penitus actu velit rerum multitudinem, ex hoc quòd suam essentiam,& perfectionem vult ac amat, & hanc ipsam necessario velit & amet,igitur & prædictam rerum multitudinem necessario voluit & amauit, sicque illas ipsas necessario produxit, semperque producit,igitur de naturæ agit necessitate. *Obiectio ex D.Th. dictis.*

Ad hoc faciliter respondetur,inquiendo,quòd licet admittendum sit Deum,vno actu,rerum multitudinem, & suam essentiam, & perfectionem velle & amare, vtpote, bonitatem infinitam, quæ infinite amabilis est,haud tamen concedendum est, eandem esse habitudinem diuinæ voluntatis ad res extra se productas,quæ est inter eandem diuinam voluntatẽ, & suam essentiam, nec eundem volendi modum, & amandi, quandoquidem habitudo diuinæ voluntatis ad suam essentiam veluti infinite bonam, sit penitus necessaria,necessariusque,& volendi, ac amandi modus, habitudo autem eiusdem voluntatis ad res conditas libera sit, liberque amandi modus; Neganda est igitur argumenti opponentis, prima consequentia,qua negata,secunda nulla est. *Solutio.*

Secundum quoque argumentum quo dicebatur, quòd stante aliqua conditione immutabili, immobili, & necessaria, dum stat illa conditio, fatuum est ad oppositum conari, sed stat semper hæc diuinæ prouidentiæ conditio nempe, quòd immutabilis, immobilis, ac necessaria sit, igitur ad oppositum conari fatuum erit, & ita omnes effectus à deo prouisi necessario euenient, hoc inquam secundum argumentum intentum minime concludit, quia etsi stante præfata conditione, immutabili, immobili, ac necessaria, suppositionis tamen necessitate, fatuum sit ad oppositum conari, ne id quod prouisum est, & eo quo prouisum est modo, eueniat, haud tamen fatuum quinimò sapientissimum est conari, vt id impleatur, quod per ipsam diuinam prouidentiam prouisum est esse implendum, & quia prouisum est, ad nostras exequendum operationes, ad nostram salutem consequendam nos debere consiliari, preces ad deum effundere, & talia id genus efficere, propterea talia agimus, & libere, vt per talia media, optatos prouisosq. consequamur fines. Quis enim nisi mentis inops inficietur diuinam prouidentiam, medias secludere causas? Nemo mehercle; Quòd si eas ipsas minime excludit, cum inter eas nonnullæ contingentes, nonnullæ libere sint, vt sensu patet, igitur & suos producent effectus contingentes, ac liberos. Non itaque prouidentia ipsa diuina, rebus cunctis prouisis, necessitatem imponit. Et hæc de quarto.

Ad præfatũ argumentum secũdum respõsum.

Articulus quintus.

An diuina prouidentia, ordinem in finem, simul & euentu dicat.

QVO ad quintum articulum, dubium est haud facile, An scilicet diuina prouidentia, ordinem duntaxat rerum in finem absque finis euentu, an simul dicat ordinem, ac infallibilem euentum. Difficultatem hanc non modicam gignit, dictorum. D. Thomę, varietas, diuersaque sententia.

Nam

Nam j. q. xxiij. art. vj. indubie firmiterque tenere videtur prouidentiam ipsam non solum ordinem at simul ordinis euentum dicere, videturque (vt etiam Reuerendissimus Caietanus astruit vbi supra) adæquare eius certitudinem, diuinæ prædestinationis certitudini, quinimò à priori probare certum ordinem istius, ex illius ordinis certitudine, vt quemadmodum omne prædestinatum, ita & omne prouisum infallibiliter eueniat. Hoc idem sentire videtur. S. Thom. iij. Contra Gent. cap. xciiij. Atqui huius oppositum expresse sustiner in quæstionibus de Ver. q. vj. art. j. & dist. xl. j. sent. q. j. art. ij. His etenim duobus locis & potissimum. De Ver. discrimen ponens inter prouidentiam, & prædestinationem, inquit, quòd prouidentia ordinem duntaxat in finem respicit, & propterea per ipsam mortales quidem omnes ad beatitudinem ordinantur, illam tamen haud omnes consequuntur. Prædestinatio vero non solum ordinem, at ordinis exitum, vel euentum respicit, & exposcit; Hincque fit vt non nisi eorum qui gloriam consequuntur, hæc extet. Hæc autem. D. Thom. dicta, apertissimam videntur habere inter sese pugnantiam, qua re eorum germanus sensus est indagandus.

Ad dubiũ metum, nonnulli respondẽt nec satisfaciunt.

Ad dubium hoc nonnulli respondent inquientes, aliter de diuina prouidentia, secundum communem ipsius prouidentiæ rationem, loquendum esse, & aliter quantum ad modum quempiam ipsius particularem, sicuti aliter loquendum est (inquiunt) de animali quantum ad communem animalis rationem, & aliter quantum ad aliquam determinatam eius speciem. Si sermo sit de prouidentia primo modo, inquantum prouidentia est absolute, sic ordinẽ rerum in finem duntaxat, non item euentum, aut finis consecutionem respicit, quia possunt nonnulla isto modo per prouidentiam in finem ordinata, à tali fine deficere, per comparationem tamen ad suas

particulares causas, non autem per comparationem ad prouidentiam ipsam diuinam, quæ nequaquam ordinauit, vt illa, quæ suum minime consequuntur finem, illum consequerentur, at vt solum ad finem conuenientiam, non eiusdem assecutionem haberet. Et hoc modo (inquiunt) verificantur. D. Thom. dicta. De Ver. & primo sent. supra citata. Si autem de eadem prouidentia, quo ad aliquem specialem eius modum, nempe vt est ad prædestinationem contracta, sermo sit, sic non solum ordinem rerum in finem, at eiusdem finis dicit euentum, & propterea per prædestinationem ipsam, ad gloriam ordinati, ipsam infallibiliter consequuntur. Et hoc secundo modo, dicta in prima parte, ac iij. Contra Gent. veritate fulciuntur, nec ad superiora dicta repugnantiam habere noscuntur.

Responsio prædictorum doctorũ haud perfecte satisfacit.

Verum etsi responsio hæc videatur veritate gaudere, haud tamen videtur dubij nodum perfecte dissoluere, quoniam difficultas erat, an prouidentia, vt prædestinationi condistincta, & sic secundum communem eius rationem considerata diceret non solũ ordinem ad finem, verum & finis euentum, ita vt eius certitudo, prædestinationis certitudini æquaretur; Hoc enim est, quod potissimum quærebatur, quodque non videtur ex his plenè decisum; Reuerendissimus autem Caietanus huic respondens & ab ipso prætacto dubio, ait. D. Thomam, in melius verba mutando, retractasse sententiam in quæstionibus de Ver. & primo sent. positam, quoniam prima parte adæquat diuinę prouidentię certitudinem, diuinæ prædestinationis certitudini, & ob id ponere cogitur prouidentiam ipsam ordinem rerum prouisarum in finem, & simul finis euentum dicere, finis inquam non solum in vniuersali, at in particulari, quemadmodum ipsa prædestinatio hæc omnia vere, ac pulcherrime dicit. Huic ego sententiæ, ex toto subscribere non ausim, tum quoniam exiistimo.

Caietani opinio.

D. Th.

D. Th. dicta, quanquam diuersa esse videantur, quam facillime concordari posse, & propterea nullatenus se retractasse, tum quoniam non æqualem penitus esse censeo, tum prouidentiæ, tum prædestinationis, certitudinem, nisi proportionis cuiusdam sumatur æqualitas, vt facile commostrabo, & nihilominus ex hac prouidentiæ certitudine, reor, prædestinationis certitudinem, à priori posse probari. Et ad horum claritudinem, ac euidentiam sciendum est, quòd Deus voluit in vniuerso à se condito, quo ipsum perfectius euaderet, esse omnium entium gradus, ac perfectiones, voluitque vt cuncta dulciter suauiterque regantur, effectus necessarios à necessarijs causis, & contingentes à contingentibus, ac liberos, à liberis pariter causis prodire. Et quia causæ contingentes ac liberæ, à suorum effectuum productione, quandoque deficere possunt ea propter voluit & defectus omnes cuiusuis generis, vel speciei sint, sub sua prouidentia claudi; Sicque efficitur, vt nil in vniuerso existat, quod non sit à deo prouisum. Hacque de re fit, vt prouidentia ipsa, omnes effectus productos, ac producibiles contineat, & omnium fines amplectatur, quod de prædestinatione eius parte dici nequit, quoniam hæc determinatos effectus, determinatumque finem vltimum, nempe supernaturalem beatitudinem æternamque gloriam sibi conscisit. His autem subsistentibus, dico, sententiam D. Thom. 1. sent. & de Ver. prolata, sententiæ primæ partis, minime aduersari, & propterea retractatione haud opus esse. Quod sic palam facio. Nam ipse doctor. S. De Ver. inter prouidentiæ ac prædestinationis certitudinem, discrimen ponēs, ait, quòd prouidentiæ ordo, bifariam certus esse dicitur, in particulari, scilicet, & in vniuersali. In particulari quidem cum res à diuina prouidentia in finem aliquē ordinate, absque defectu, ad finem illum particularē perducuntur, vti in cœlestibus motibus patet, & in cunctis

Præfata Caietani positio, quo ad rē tractationem. D. Th. nō acceptatur, cum sine hac, ipsius dicta quæ dissona esse videntur, pulcherrime concilientur.

Pulcherrima declaratio.

Prouidentiæ ordo, dupliciter certus dici potest.

cunctis quæ necessario in natura aguntur. In vniuersali vero & non in particulari, veluti in generabilibus accidit, & corruptibilibus, quorum quandoque virtutes à proprijs deficiunt effectibus, ad quos veluti ad proprios ordinantur fines, quemadmodum virtus formatiua, à perfecta quandoque consumatione membrorum deficit qui tamen defectus diuinitus ad aliquem finem ordinatur, vt supra dictum est. Et hinc fit vt nihil à generali, seu vniuersali prouidentiæ fine deficere valeat, tametsi à particulari quandoque deficiat. Prædestinationis vero ordo, nedum respectu vniuersalis verum & respectu particularis, ac determinati finis, certitudine gaudet, quoniam per prædestinationem quisquis ad salutem est ordinatus, nunquam à salutis consecutione deficere quibit, licet causa proxima quæ liberum ponitur arbitrium, ipsum libere producat effectum. Quòd autem hæc. D. Thomæ doctrina, veritate fulciatur, ex angelis moralibusque amplius corroboratur. Ex angelis quidem, quia cum omnes iuxta Augustini placitum, in gratia conditi sint, per quam & omnes beatitudinem meruerunt, ipsamque capessere potuerunt, tamen horum quàm plurimi ab ipsa defecere. Erant igitur omnes per diuinam prouidentiam ad beatitudinem ordinati, & tamen non omnes, eam sunt consecuti. Nunquid modo ex eo q plurimi à supernaturali defecerũt beatitudine astruemus prouidẽtiam ipsam, incertam atque fallibilem? Nequaquam quoniam & si à particulari fine complures defecerint, haud tamen à generali fine, quia alium sub ipsa prouidentia contentum, nempe æternam miseriam sunt consequati, qua in deo iustitia punitiua maxime resplenduit. Tales etenim reprobi sunt effecti, reprobatio vero, prouidentiæ pars est sicuti & prædestinatio est altera pars. Et hij omnes, qui defecerunt, ab æterno prævisi sunt à proprio fine casuri, haud tamen ab omni quoniam alium, cadendo,

Nil à generari prouidentiæ fine deficere potest tametsi à particulari, & pulcherrime declaratur.

dendo, sunt assequuti; Præuisi sunt inquam à gratia, ex libero arbitrio recessuri, nec perseueraturi, præuisi sunt & damnationem æternam incursuri. Et propterea. D. Thom. j. q. xix. art. vj. dictũ quoddam huic simile, huius sententiæ confirmatiuum exprompsit dicens. Quòd illud quod a diuina voluntate secundum vnum ordinem recedere videtur, in ipsammet secundum alium relabitur modum. Acsi diceret illud quod ab ipsa prouidentia secundum ordinem vnum recedere videtur dum à tali fine recedit, in ipsammet prouidentiam secundum alium ordinem omnino relabitur, dum in alium incidit finem. Angeli quippe peccatores peccando à superna turali beatitudinis fine, recesserunt, & in alium, nempe æternæ miseriæ, finem inciderunt. Ex hominibus vero, id etiam liquet, quia dum partim hominum, à proprio fine nempe æterna felicitate deficiunt, alium qui & ab æterno præuisus est, omnino assequuntur. Sicque prouidentiæ ordo, certus omnino conspicitur. Nec aliam at eandemmet sententiam j. quæst. xxiij. art. vj. vel alibi tenuisse arbitror; Inquit enim hoc loco citato, quòd prædestinatio, certissime & infallibiliter suum consequitur effectum, cum prouidentiæ pars sit, cuius ordo omnino infallibilis est. Nec aliud huic proposito seruiens, subinculcat. Et quis non apertissime cernit, hoc, his, quæ dicuntur in quæstionibus. De Ver. minime aduersari? Fatemur enim hoc ex loco diuinam prædestinationem omnino certam, & infallibilem, fatemur & diuinam prouidentiam, certam, immutabilem, & infallibilem, quoniam omne à deo prouisum, & nobis futurum, eo quo prouisum est modo euenire, infallibiliter euenient. Non autem à deo prouisum est (vt exemplo dicamus) omnes angelos, vel cunctos homines, infallibiliter esse beatificandos, sed horum quosdam ab ipsa beatitudine defecturos, quæ quidẽ beatitudo, finis est particularis, respectu prouidentiq

non

non autem ab omni alio eiusdem prouidentiæ fine, defecturos ab æterno conspexit. Et ob hoc, certus diuinæ prouidentiæ ordo, in vniuersali dicitur, non item semper in particulari. Quod dictu est, nunquam fieri posse, vt non semper effectus quispiam, vel finis eueniat, sub ipsa prouidentia contentus, tametsi non semper talis determinatus, & à causa secunda principaliter intentus. Euenit tñ semper ille, qui euenire, prouisus est. Eritque perpulchra hæc & proportionalis inter prouidentiam ac prædestinationem certitudo, vt quemadmodum diuina prouidentia, respectu effectuum contingentium vel liberorum, à suis causis proprijs producendorum, ac respectu finis vniuersaliter sumpti, omnino certa, & infallibilis est, ita & prædestinatio, respectu effectus, & finis semper determinati ac singularis, penitus certa ac infallibilis est. Nec ab re dici poterit certitudinem hanc prædestinationis, vtpote partem certitudinis prouidentiæ, ex ipsius prouidentiæ certitudine ac infallibilitate promanare, quandoquidem prædestinatio ipsa pars sit prouidentiæ. Et hoc modo pulcherrime dici potest prouidentiam, ac prædestinationem in certitudine æquari, & certitudinem vnam ex alia oriri, vti declaratum est. Num vero modo aliquo asseuerare possimus, prouidentiam non solũ in vniuersali, verum & in particulari, ordinem dicere simul & ordinis euentum, sic mihi dicendum videtur. Quòd si comparentur effectus contingentes, vel liberi, ab æterno prouisi, suas per proprias causas, in tempore producendi, ad solam dei prouidentiam non item ad particulares causas, sic semper dici poterit, prouidentiam certissimam esse, & omnino infallibilem, quoniam semper effectus, & finis ille determinatus eueniet, & infallibiliter, quem futurũ esse omnino præuidit, & ille, qui deficit, dum à sua non producitur causa, non præuisus est certo futurus, at ille solum qui euenit. Si vero præfati effectus,

Quomodo diuina prouidentia non solũ in vniuersali at in particulari, certa & infallibilis, dicẽda sit

ctus, ad suas proprias referantur causas, à diuina prouidentia rectas quibus cooperatur secundum illarum modum nequaquam infallibiliter euenire dici poterunt, quandoquidem ne à suis proficiscantur causis, ab alijs particularibus causis impediri valeant,& ob id fallibiliter. Et cum ad decisionem hanc,nullum sequatur incommodum,hanc ipsam vti veritati consentaneam, arbitror esse tenendam,atque tuendam.

Hæc de artic. v. deque diuina prouidentia sat dictum sit,& iam diuinam ineffabilemque aggrediamur prædestinationem.

Quæstio de Diuina prædestinatione.

Dicendorũ series.

OST de diuina prouidentia, tractatum, de diuina prædestinatione vtpote eius parte, agendum est. Et circa quæstionem hanc, quattuor potissimum discutienda sunt, quæ quattuor distinguentur articulis, Et in primo quidem articulo quæretur, num diuina prædestinatio, electionem, ac dilectionem supponat, & quid eaipsa sit; In secundo. Num ipsa, rebus prædestinatis necessitatem imponat, & cum ipsius infallibilitate liberum hominis subsistiat arbitrium. In tertio. Num meritorum præscientia, ipsius prædestinationis causa existat. In quarto & postremo. Num hæc ipsa prædestinatio, sanctorum precibus, valeat adiuuari;

Articulus primus.

QVO ad primum articulum, nonnulla prælibanda sunt, quæ & dictorum de prouidentia, claritatem augent, & dicendorum pulcherrimum extant fundamentum, deinde articuli decisionem subijciemus. Annotandum est igitur quòd in deo præter diuinarum Trinitatem personarum, nulla penitus realis reperitur distinctio, sed nec formalis actualis ex parte rei, at virtualis duntaxat, & actualis ex parte intellectus nostri ratiocinantis, qui in plura seiungit quæ omnimoda vnitate gaudent, nec ob id tamen falsus asseritur, quia sui enunciati, virtuale fundamentum existit. Hinc fit vt in ipso deo, intellectus, & voluntas intelligere & velle, prouidere,

uidere, prædestinare, & cetera id genus, idem omnino sint actus simplicissimus, ac infinitissimus, & similiter scientia, præscientia, prouidentia, prædestinatio, & reprobatio, ex parte rei minime distinguantur, at solum ex parte intellectus nostri ratiocinantis, & propterea inter sese nullam habent prioritatem ac posterioritatem at eam solum quam noster facit intellectus, non valens tam immensam attingere altitudinem. Et proinde euenit, vt nos prædictorum attributorum, vnum prius, & alterum posterius, intelligamus. Secundum itaque hunc nostrum intelligendi modum, dicimus intellectum diuinum, voluntatem eandem diuinam, actionesque intellectus, voluntatis actus, antecedere, tametsi sui ex parte, haud multiplicentur. Nam intellectus noster, diuina apprehendens, modo humano, hasce efficit distinctiones, prioritates ac posterioritates; Eapropter dicimus, prædestinationem ac reprobationem, prouidentiam ipsam supponere, & prouidentiam, præscientiam, præscientiam, demum scientiam ipsam; Quod sic vnico declaratur verbo, vt citius ad nostrum accedamus institutum. Scientiam etenim siue sapientia, bonorum est omnium pariter & malorum, præteritorum, præsentium, & futurorum temporalium, & æternorum. Præscientia vero, est quidem bonorum ac malorum, at solum futurorum, sicque supra scientiam, quandam addit præcognitionem. Prouidentia autem, præscientiam includit, & supra ipsam promotionem rerum prouisatum in suum finem, addit. Prædestinatio demum & reprobatio supra ipsam prouidentiam, quippiam addunt, & ex parte subiecti, & ex parte finis. Ex parte quidem subiecti, quia prouidentia (vt dicebatur) est omnium simpliciter prædestinatio & reprobatio est solummo intellectualium creaturarum, hominum scilicet & angelorum. Ex parte vero finis, quia prouidentia est respectu cuiuslibet finis, naturalis, videlicet &

Præscientia, prouidentia, prædestinatio, ac reprobatio, ex parte rei realiter minime distinguuntur, at solum ex parte nostri intellectus rõcinãtis. Qũo præscia, prouidentia, prædestinatio, & reprobatio, se habeant adinuicẽ, & quid vti obiecta respiciant.

supernaturalis, prædestinatio & reprobatio est respectu finis duntaxat supernaturalis, hæc quidem æternæ miseriæ, illa vero nempe prædestinatio, æternæ felicitatis. His prælibatis, declarandum est, quonam modo hæc adinuicem ordinentur, deinde quomodo prædestinatio, electionem ac dilectionem supponat, & reprobatio, iniquitatis præscientiam. Vt autem hæc omnia clarissime aperiantur, talis ex parte nostri modi intelligendi, rexendus est ordo. Imaginandum quippe est primo Deum, seipsum intelligere, summamque eius bonitatem, quam vt communicabilem intellectus ipse diuinus, eius voluntati proponit, quæ acceptat communicationem hanc esse fiendam. Secundo Intellectus diuinus intelligit, bonum esse, hanc suæ bonitatis communicationem, per vniuersi creationem esse ostendendam, cui & voluntas assentit, idque faciundum approbat. Et hæc ipsa voluntas respectu productionis vniuersi, voluntas finis appellitatur, quoniam vult ipsam vniuersi productionem, tanquam bonum & finem ab ipso primo ac principaliter intentum. Tertio excogitat qui, quot, qualesque gradus seu quæ partes esse debeant in huiusmodi vniuersi productione, iudicat, decernitque tot angelorum species esse fiendas, tot diuina cœlestiaque corpora, tot elementa, totque rerum species ex elementis constitutas, & omnes hasce partes in vniuerso esse disponendas ac collocandas iuxta earundem nobilitatem, quæ excogitatio, dispositio rectè vocitatur, quia dispositio, ordinem partium in toto, perpulchre sonat, & excogitatio hæc, practica est, vtpote finis voluntatem, supponens, ac tendens ad opus. Ad excogitationem hanc, dilectio sequitur à voluntate promanans, quoniam diligere dei, est creaturis ipsis, bonum velle, Et quoniam non omnia æqualiter diligit, iccirco non omnibus æquale vult bonum. Quarto cum hæc creaturæ, hæque partes, propter aliquem sint finem, & ad ipsum

Pulcherrima declaratio, pulcherrimaq; discursus, ad dispositionu, prouidentiæ, ac prædestinationis notitiam.

sum ordinatæ, excogitat, eisdem partibus, debita proportionataque media quibus perpulchre finem proprium consequi possint, esse tribuenda; & pariter omnia remouenda esse impedimenta, quæ finis consecutioni quoquo obsistere possent. Et excogitatio hæc de medijs conferendis, deque remotione omnium impedimentorum cum proposito hęc ipsa elargiendi, proprie prouidentia, appellatur. Est enim prouidentia, non de fine quoniam ipsius volitionem supponit, at de medijs ad finem perducentibus, vti iam dictum est. Complectitur quippe prouidentia intellectum & voluntatem vt vbique sentit & docet. D. Thom. verum essentialiter ad intellectum spectat, vt præclare. De Ver. q. v. art. primo declaratur: Cum itaque prouidentia intellectum includat & voluntatem, & inter hos intellectus ac voluntatis actus, quidam rationis ordo sit, vt prædestinatio quoque eiusdem prouidentiæ pars, hæc omnia contineat, necessum est, & ita inter prædestinationis actus, ordo quidam rationis erit, dum vnus prior, posterior, alius, secundum rationem inuenitur. Eapropter doctores id speculantes, autumant prædestinationem diuinam, electionem. supponere, electionemque, dilectionem ipsam, vtpote priorem, quod quonam modo id contingat, aperiendum est. Sciendum est igitur, quòd licet Deus optimus maximus, omnia diligat, quia omnibus aliquod vult bonum, quandoquidem eius dilectio bonitatis rerum causa, pulcherrime existat, quia tamen haud cuncta æqualiter diligit, iccirco non omnibus æquale vult bonum. Omnibus enim naturale quidem, non omnibus vult supernaturale bonum, vti nunenunc clarissime commonstrabitur. Quos etenim singulariter diligit, hos & eligit, & quos eligit, hos & prędestinat, quosque prædestinat eisdem vult æternæ felicitatis bonum. Et hinc elicitur, quòd prædestinatio, electionem, & electio, dilectionem supponat; Hij tamen

Modus declaratur, quo prædestinatio electionem, electioq; dilectioni, supponit.

men actus, ratione duntaxat distincti, actus intellectus sibi correspondentes perbelle supponunt. Ad quorum claritudinem annotandum est, Deum optimum, intelligere suam beatitudinem qua suapte natura solus ipse fruitur, creaturis intellectualibus, suo modo, seu, secundum earum capacitatem fore communicabilem, & hanc notitiam, concomitatur voluntas eamipsam nonnullis communicandi, quæ quidem communicatio ex dilectione oritur singulari. Ex hac vero voluntate quæ est finis supernaturalis, nempe æternæ felicitatis, ratiocinatur intellectus practicus, intelligitque quibus sit communicanda, quibusue minime, hicque actus, diuinum vocitatur consilium, non quidem quo ad collatiuam inquisitionem, at quo ad certitudinem conclusionis ipsius consilij. Hanc vero conclusionem duas partes habere, alteram affirmatiuam, negatiuam, alteram, perpulchre dignoscimus. Et affirmatiua quidem est, quòd talibus, est ipsa æterna felicitas communicanda, quæ dici potest approbatio, seu intellectus assensus. Negatiua vero, quòd talibus, eadem felicitas communicanda est minime, quæ & reprobatio, seu intellectus dissensus, nuncupari potest. Hoc autem intellectus diuini consilium, electio sequitur, qua, nonnulli ad hanc acceptantur felicitatem, alij vero ab hac repelluntur. Et hæ duæ conclusionis partes, approbatio, & reprobatio, merito dici quæunt. Cumque electio non ipsius finis sit, at mediorum ad finem perducentium, eapropter quotquot eligit deus, ad æternam gloriam, vt etiam illis media, opportuna conferat, quibus illam adipisci valeant, & impedimenta quæque remoueat, necessum est. Rursusque ex hoc consiliatur intellectus practicus, quæ sint electis media conferenda ad finem hunc supernaturalem nanciscendum; Et huiusce consilij conclusio, prædestinatio appellatur, quæ rationem ordinis creaturarum intellectualium in supernum finem, & rationem pariter

Notandū scitu dignissimū.

riter collationis omnium eorum quæ electos ad felicitatem promouent & perducunt, & remotionis omnium impedimentorum quæ adipiscendæ felicitati obsistere possunt resonat. Et id consilium sequitur demum actualis mediorum collatio, quibus finem ipsum seu æternam consequantur felicitatem, remotis quibusque impedimentis. Hic autem rationis ordo secundum nostrum intelligendi modum in deo positus, sic breuibus explicari potest, vt primo deus intelligat beatitudinem suam, intellectualibus creaturis, fore communicabilem. Secundo per eius voluntatem decernat & velit ipsam communicare. Tertio consiliatur intellectu practico, quibus sit communicanda, quibusue minime, & per conclusionem consilij approbat quibus communicari debeat, quibusque negari. Quarto per electionem hos eligit & illos minime. Quinto consiliatur & intelligit, quæ sint electis debita media & auxilia tribuenda, suum vt assequantur finem, & per consilij conclusionem, prædestinet & definiat talia media. Sexto actu confert præfata media simulque impedimenta quæque remouet quibus à finis consequutione impediri possent. Ex his itaque sat clarescere arbitror, quonam modo prædestinatio, electionem, & electio, dilectionem, supponat, & quid ipsa sit, & quomodo omnis prædestinatus est electus, & dilectus, & demum quomodo hij actus quodam rationis ordine, adinuicem sint ordinati.

Caietani positio circa ordinẽ diuinæ p̃scie diuinæq; prædestinationis.

Verum circa ordinem diuinæ præscientiæ & diuinæ prędestinationis, aduerte Reuerend. Caietanum. iij. q. j. art. iij. nonnulla tradere pariter & docere, quæ mea sententia, & à veritate deuiant, & dictis. D. Th. expresse repugnant. Nam loco supra citato, inquit, quòd prædestinatio Petri non pręsupponit præscientiam futuræ gloriæ ipsius, quoniam hæc ipsa Petri gloria, est primo per prædestinationem, futura, & ita secundum naturæ ordinem vult primo esse Petri

Reprobatur ipſata Caietani, poſitio, vñ ne duplici, & auctoritatibus. S. Doctorum.

prædeſtinationem ad gloriam, & ex hoc, ipſam eſſe futuram, & ſic demum à deo eſſe præuiſam. Subinculcat deinde prædeſtinationem haudquaquam præ ſupponere omnium futurorum præſcientiam, at eandem præſcientiam ſupponere alicuius futuri prædeſtinationem, admittit autem prædeſtinationem ſupponere præſcientiam futurorum non prædeſtinatorum. Atqui quòd hæc ſua dicta, ſint prorſus à veritate aliena, quam facillime oſtenditur. Nam nemo eſt qui inficietur, prædeſtinationem eſſe prouidentiæ partem, & ſi eius eſt pars, cum prouidentia, ipſam præſcientiam neceſſario includat, pariter & ſupponat & ipſa prædeſtinatio eandemmet includet & ſupponet, Includit autem inquit. D. Thom. De Ver. q. v. art. j. prouidentia ipſa ſcientiam, & voluntatem, at eſſentialiter in cognitione manet, non ſpeculatiua, ſed practica, & ſupra ipſam præſcientiam, præparationem quandam addit ſeu promotionem in vltimum finem quare & ipſa prædeſtinatio, præſcientiã neceſſario includet atque ſupponet, & ſupra ipſam, promotionem addet in vitam æternam, quæ ſuperna naturalis eſt finis. Rurſus. Qui fieri poteſt, vt deus, Petrum ad gloriam prædeſtinet, eligat, ordinet, & promoueat, ni præſciat, & agnoſcat, ipſum ad illam eſſe ordinandum? Promotio quippe alicuius in finem, eiuſdem cognitionem neceſſario ſupponit, ni fateri velimus, deum ipſum, Petrum ad gloriam caſu perducere. Et licet Petri gloria, ſit per prædeſtinationem, vti per propriam immediatamque cauſam, omnino futura, haud tamen ſequitur, ipſam, ante eius conſecutionem, non eſſe præſcitam. Hinc. D. Thom. ſuper illud Apoſtoli. Rom. viij. Quos præſciuit, hos & prædeſtinauit, perpulchre aiebat. Dicit autem quos prædeſtinauit, non quia omnes præſcitos prædeſtinet, ſed quia prædeſtinare non poterat, niſi præſciret. Nec conſonat eiuſdem Reuerendiſſimi Caietani interpretatio, his verbis reddita,

ta, huic. D Thom. interpretationi, quinimò eidem contradicit, dum hæc verba sic exponit. Præscientia (inquit) horum euentuum, scilicet conformes esse inter se sanctos secundum imaginem filij dei, &c. non præcedit diuinam prædefinitionem eorundem euentuum, sed sequitur illam. Prius enim non tempore, sed rationis ordine, deus volendo definit hos euentus quàm sciat illos fore, immo ratio, quòd sciat illos fore est quia volendo definit illos. Et subdit quòd non significat Paulus, præscientiam esse rationem prædefinitionis, sed econuerso, prædefinitionem esse rationem præscientiæ. Contradicit inquã doctrina hæc, apertissime. D. Thomæ doctrinæ vt supra dictum est, contradicit & Theophilato præclarissimo doctori, qui hæc apostoli verba exponens ait. Præscius itaque deus est, præuidetque qui sint vocatione digni, deinceps prædestinat. Præcedit itaque prædestinationem agnitio. Contradicit & Haymoni sic inquienti. Quos præsciuit, subaudis esse credituros, & in sua fide permansuros, illos prædestinauit, siue præfiniuit & ordinauit, conformes fieri imaginis filij sui. Repugnat & Diui Bede, ac Diui Anselmi, interpretationi, qua concorditer inquiunt, Prædestinatio est gratiæ præparatio, quæ sine præscientia esse non potest, esse autem potest sine prædestinatione, præscientia. Prædestinatione quippe ea præsciuit, quæ fuerat ipse facturus. Aduersatur demum hæc Reuerendissimi Caietani interpretatio, beati doctissimiq. Ambrosij, expositioni, qua inqt. Istos quos præsciuit futuros sibi deuotos ipsos elegit ad promissa præmia capescenda. Constat enim ex his sanctorum dictis prædestinationem, præscientiam ipsam vti priorem, prioritate tamen rationis, ex parte nostri, omnino supponere. Et quis tam excors est vt rectè effari possit, deum prius velle definitionem euentuum, quàm eorundem præcognitionẽ siue præscientiam? Nemo sanè. Et falsum est quod

subdit, nempe quòd ratio cur sciat euentus quosdam fore vel futuros esse, sit, quia volendo definit illos. Voluntas quippe ac eius actus, intellectum, ac eiusdem actum suapte natura supponit, vti prius declaratum est, & à cunctis rectè sentientibus fassum. Falsum quoque est prædefinitionem esse præscientiæ rationem, imò oppositum infra tutabimur. Quod postremo ex tertia parte attruebat, prædestinationē non supponere, omnium futurorum præscientiam, atqui præscientiam supponere prædestinationem alicuius futuri, id falso attruxit, quoniam cum præscientia sit omnium futurorum tam malorū, quàm bonorum, & prædestinatio ipsa, bonorum duntaxat sit futurorum, iam necessario sequitur, prædestinationem, obiecti præscientiæ partem solummodo recipientem, præscientiam ipsam vti vniuersaliorem supponere; Quare ad aures. D. Thomæ, nemini dubium esse debet, quin prædestinatio semper præscientiam supponat, vtpote, ad scientiæ, seu præscientiæ attributum spectans. Nam vt idem. D. Thom. De Ver. q. vj. art. j. ad octauum ait, Prædestinatio cum in deo nil aliud ponat quàm ordinationem alicuius in supernum ac supernaturalem finem, & huiusce ordinationis principium proximum, sit ratio vel intellectus, remotum vero voluntas, ob id prædestinatio, principalius rationi vel intellectui, quàm voluntati attribuitur, Et in cor. art. ait, quòd sicut prouidentia in actu rationis vel intellectus consistit, eo quòd solius rationis vel intellectus est dirigere, vel ordinare, ita etiam & prædestinatio in actu rationis vel intellectus consistit dirigentis vel ordinantis in finem. Cum igitur ex his apertissime constet prædestinationem, essentialiter ad intellectum vel eius actum spectare, quonam modo intelligi potest, vt prædestinatio ipsa esse queat, sine intellectus actu, qui scientia, vel præscientia, seu scire vel præscire in deo est? Implicat enim aliquid in finem quemuis

uis dirigi, sine dirigentis præcognitione. Et hæc de articulo primo.

Articulus secundus.

QVO ad articulum secundum ambigitur, Num diuina prædestinatio, prædestinatis ipsis, & saluandis, absolutam imponat necessitatem, ita vt prædestinati non possint non saluari, nec in alicuius sit potestate, efficere, vt non saluentur. Id enim necessitas sonat absoluta. Et an cum eius certitudine, infallibiliáque effectuum euentu, liberum subsistat arbitrium. Hoc enim est, quod vnusquisque maxime scire peroptat, quodque cuiusque animum angit & excruciat. Et ad primum quidem dubium affirmatiue respondent, Petrus Abaelardus, & Ioannes Vuiteleff; quia cum omnia, absoluta necessitate, euenire sustineant, nec deum, res plures creare posse quàm creat, nec aliter res facere, quàm facit, coguntur sanè ponere prædestinatos omnes necessario, absoluta necessitate saluari, nec aliter ipsum efficere potuisse quin prædestinaren tur quotquot prædestinati sunt, & salui effecti, Hic autem error nempe, quòd omnia absoluta eueniant necessitate, qui est articulus Ioannis Vuiteleff. vigesimusseptimus, veluti hæreticus, à Concilio Constãtiensi sessione octaua, cum alijs quadragintaquattuor damnatus est, quem errorem, & nostro æuo, Martinus Lutherus sequutus est, dum asseruit, omnia quæ fiunt tam absoluta fieri necessitate, vt impossibile sit aliter fieri, quàm fiunt. O perditissimos sanè homines. O & perditissima, ac sceleratissima dogmata, quibus adimunt quasque fidelium orationes ad deum effusas: adimunt & liberum hominis arbitrium, quo nil pernicioſius, nil que pestilentius audiri potest. Si enim nil contingenter vel libere euenit, at omnia absoluta necessitate, erunt sanè orationes prorsus

Qui hæretici sentiant oia, absoluta necessitate euenire

Confutatur pessimus, ac pernicioſissimus hæreticorum error.

prorsus inutiles. Vt quid deum orare oportet, si necessario euenit, id quod semel decretum est? Nonne quæso frustra oratur deus, si id quod ab orantibus petitur, illis etiam non petentibus fiet? Et si futurum non erat, vt fiat, impossibile est, sicque fit vt frustra fundatur oratio, quod neutiquam est dicendum. Nam seruator noster ad orandum sic nos hortat dicens Matth. vj. Sic vos orabitis. Pater noster qui es in cœlis sanctificetur nomen tuum. Et Luc. xviij. Oportet semper orare & nunquam deficere. Et Apostolus. j. ad Thessalo. v. ait. Sine intermissione orate. Si itaque orandum est, vt sacris constat ex literis, vt à deo quippiam impetremus, non sanè omnia absoluta euenient necessitate. Demi autem librum arbitrium certe non potest, nisi sacris contradicamus scripturis, in quibus clarissime id explicatur. Nam vt innumeras penè auctoritates subticeamus, tres duntaxat propositum firmantes, nunc adducemus. Et primam quidem ex Ecclesiast. cap. xv. vbi dicitur. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Adiecit mandata, & præcepta sua si volueris mandata seruare, conseruabunt te. Apposui tibi aquam, & ignem, ad quodcunque volueris porrige manum tuam. Ante hominem, vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi. Secundam vero ex Ioan. cap. primo inquiente. Dedit eis nempe hominibus potestatem filios dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Postremam ex Apostolo. j. Cor. iij. dicente. Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Dei enim adiutores sumus. Interpretans autem hæc vltima verba Theophilatus, inquit. Qui alios instruimus, deo cooperamur, quippe qui operanti deo, & ipsi operam nostram præstamus. Hisce certe auctoritatibus, luce clarius, liberum non seruum, vt ait Lutherus, probamus homini inesse arbitrium,

bitrium, idipsumque non pati solum, vt idem asserit, at agere, vt omnes conclamant scripturæ. Sed his omissis quæ ampliorem exigerent disputationem, ad ea quæ tum christicolis, tum Theologis, difficultatem ingerunt, transeamus.

Argumentum primum.

Est primo communis etiam literarum ignaris argumentatio. Quia si prædestinatio æterna, est certissima, & omnino infallibilis, igitur quotquot deus ab æterno prædestinauit ad gloriam, illam certissimæ, infallibiliterque consequentur, igitur agant quicquid velint, homines, & enormia quantumuis committant crimina, necessario præfatam adipiscentur gloriam. Quod si minime, iam fallibilis vanaque redderetur prædestinatio ipsa.

Argumentum secundum.

Amplius posita causa per se, necessaria, nec vllatenus impedibili, necessario sequetur effectus, atqui ponitur prædestinatio quæ est causa per se, & necessaria, cum sit æterna, & non impedibilis, quandoquidem diuinam includat voluntatem cui resisti non potest, Rom. ix. igitur prædestinati necessario, salutem æternamque consequentur felicitatem. His similibusque obiectis, & si modo quodam factum sit satis, dum quæreretur, an prouidentia rebus prouisis necessitatem imponeret, nihilominus adhuc & plenius nunc respondebitur. Et pro huiusce rei claritudine annotandum est, quòd etsi diuina prædestinatio secundum se considerata prout scilicet ipsi deo & essentiæ diuinæ intellectæ realiter idemptificatur, necessaria sit, absolutissima necessitate, veluti deus ipse, quo nil magis necessarium esse valet, nihilominus quia creaturas intellectuales, in sua essentia contentas vti secundarium obiectum respicit, ad quas certe non necessariam, at liberam habet habitudinem, quandoquidem prædestinatio ipsa, intellectum pariter & voluntatem includat, ob id prædestinandis & saluandis, absolutam necessitatem minime imponit, at solum necessitatem suppositionis seu conditionatam.

Notandū

tam. Nam sicuti ab æterno deus quosdam prædestinauit ita potuit absolute eosdem non prædestinasse, cum prædestinatio, seu prædestinantis actus, à libera ipsius dei pendeat voluntate, quæ antequam determinetur, in aliquid potest & eius oppositum, licet post determinationem ad vnum oppositum, non possit in reliquum ob eius immutabilitatē. Et id est quod necessitatem suppositionis, seu conditionatam inducit. Postquam igitur deus quosdam prædestinauit, cum eius voluntas penitus immutabilis sit, fieri nequit vt prædestinati non sint, & non saluentur, modo infra declarando. Et hoc est quod pulcherrime docuit. D. Thom. De Ver. q. vj. art. iij. ad decimum inquiens. Ad decimum dicendum, quòd absolute loquendo, deus potest vnumquenque prædestinare vel non prædestinare, seu prædestinasse vel non prædestinasse, quia actus prædestinationis cum æternitate mensuretur, nunquam cedit in præteritum, sicut nunquam est futurum. Vnde semper consideratur vt ęgre diens à voluntate per modum libertatis. Tamen ex suppositione hoc efficitur impossibile. Non enim potest non prædestinare, supposito quòd prædestinauerit vel econuerso, quia mutabilis esse non potest. Hoc idem edocuit prima q. xxiij. art. vj. ad tertium dum dixit. Ad tertium dicendum, quòd cum prædestinatio includat diuinam voluntatem, Deum velle aliquid creatum, est necessarium ex suppositione propter immobilitatem diuinæ voluntatis, non tamen absolute, ita dicendum est de prædestinatione. Vnde non oportet dicere quòd deus possit non prædestinare quem prædestinauit in sensu composito accipiendo licet absolute considerando, deus possit præ-

Notandū. destinare vel non prædestinare. Annotandum quoque est, quod licet quandoque causa, respectu alicuius effectus, sit per se, necessaria, ac infinitę potentiæ cui resisti non potest sicuti deus est quia tamen non est causa agens, ex naturæ necessitate, sed libere ea-

propter

propter non producitur ex illa, effectus, necessario, necessitate absoluta, at solum conditionata. His itaque diligenter annotatis, argumentis in oppositum facillime respondetur.

Et ad primum quidem dicitur, admittendo, prædestinationem diuinam certam penitus & infallibilem esse & prædestinatos quosque infallibiliter æternam gloriam esse consecuturos, Et ad vltimam consequentiam subditam, qua inferebatur, igitur prædestinati agant quicquid velint, & enormia etiam crimina committant, necessario gloriam nanciscentur æternam, dicitur, per ipsam nil aliud concludi, quàm quòd prædestinati, necessario, non absoluta quidem necessitate, at suppositionis, seu immutabilitatis, saluabuntur, & felicitatem perpetuam assequentur; Et admisso quòd prædestinati quandoque mala peragant, & enormia perpetrent facinora, quemadmodum Petrus Christum dominum negãdo, & Paulus ipsum ac eius ecclesiam persequendo, haud tamen in eisdem peccatis permanere permittitur, quoniam prædestinati omnes, non obstantibus criminibus, ab ipsis quandoque perpetratis diuino suffragante auxilio (quod ipsis poscentibus semper adest, & illos ad gratiam suscipiendam, miro quodammodo trahit,) semper in gratia decedunt; Repugnat enim prædestinatis cunctis, in mortali peccato mori. Tot enim & tanta, inquit. D. Thom. De Ver. q. vj. art. iij. ipsis prædestinatis, deus, adminicula, auxilia, ac suffragia præbet ac porrigit, vt vel non cadant, vel si ceciderint omnino resurgant. Eos autem in peccatum labi posse vti de Petro ac Paulo diximus, nemini catholico, dubium est. Qua de re mentitur Ioannes Vss. dum in secundo suo articulo à Concilio Constantiensi condemnato, asserit Paulum nunquam fuisse membrum diaboli, licet actus quosdam fecerit, ecclesiæ malignantium consimiles. Ad secundum vero cum dicebatur, quòd posita causa per se, ne

cessaria

ceſſaria & nullatenus impedibili, neceſſario ſequitur effectus reſponderur, quòd ſi applicetur, ſeu intelligatur hęc propoſitio de cauſa prima & ſuprema non ex naturæ neceſſitate, at libere agente, qualis eſt Deus, omnino falſa eſt, quoniam poſita tali cauſa nequaquam neceſſario ſequitur effectus, neceſſitate abſoluta, ſed ſolum neceſſitate conditionata, ſuppoſitionis, & immutabilitatis; De hac autem neceſſitate loquendo, maior & minor vere ſunt, & concluſio veritate gaudet. Nam prædeſtinati omnes, immutabiliter & infallibiliter ſaluabuntur, nec de prædeſtinato, in non prædeſtinatum, nec econtra, de non prædeſtinato in prædeſtinatum, tranſitio ac mutatio fieri poteſt.

Ad ſecundum vero quod à cunctis difficillimum prædicatur, num ſcilicet cum diuinæ prædeſtinationis infallibilitate, liberum ſaluetur arbitrium, itaquod cũ operatur intellectualis creatura, poſſit non operari, & cum non operatur, operari valeat & facere hoc & eius oppoſitum. Sic enim liberum arbitrium, coactioni, opponitur. Reſpondet Reuerendiſſimus Caietanus ſuper Epiſtolam ad Rom. ix. inquiens, quòd bifariam in quæſtione hac, loqui poſſumus, vel inchoando ab his quæ ex parte dei ſe tenent, ad nos deſcendendo, vel ab his quæ ex parte noſtri ſe tenent, aſcendendo ad deum ipſum, Si à deo ipſo incohemus, (ſubdit,) profitendum eſt, deum ab æterno, hunc, & illum, elegiſſe, quoniam ſic ei placitum eſt & hos non neceſſario, at infallibiliter ſalutem ſuam conſecuturos, eſſe aſſtruit, ſi autem à nobis incohæmus, (ſubincultat,) Fatendum eſt, hominem quemlibet vera libertate gaudere, ita vt bonum & malum eligere quiſque valeat, & quòd faciens quantum in ſe eſt, ad ſalutem conſequendam, gratia ſaluabitur diuina. Verum quo vinculo quoue glutino aſcenſus pariter & deſcenſus iungantur, (ait) non apparere, quia aſcendendo deficit gradus coniungens hanc

Caietani reſponſio.

In hac reſponſione errori videtur, Caietanus, rei difficultate.

hanc nostram libertatem & securitatem (quòd faciendo quantum in nobis est diuina non deerit gratia saluans) cum æternitate ac immutabilitate diuinę electionis, quæ habet, quòd soli electi saluantur; De scendendo quoque ab æterna, immutabili, & efficaci diuina electione, deficit gradus coniungens cum his nostris libertatibus & securitatibus. Et propter hæc, fatetur se quidem scire quod verum, vero minime contrariatur, at se nescire hæc iungere, sicut nescitur Trinitatis misterium, & huic similia, fatetur autem se credere misterium prædestinationis & etiam reprobationis, sicut & reliqua fidei misteria credit. Atqui doctor hic, vir sanè eruditissimus atque præstantissimus, videtur hac in re, nimium expauescere, quoniam ex. D. Thom. fundamentis ac lucidissima eius doctrina vbique tradita, habetur clarissima huiusce quæstionis resolutio. Nam constat apud eundem. D. Thom. ac cæteros doctores, prædestinationem, partem fore prouidentiæ, quæ suauiter cuncta disponit, & per medias causas suos producit effectus, & eatenus vult effectus euenire prouisos, quatenus ipsæ causæ existunt. Si enim causæ secundæ ac proximæ necessariæ sunt, necessarios effectus, si contingentes vel liberæ, contingentes vel liberos producunt effectus: Prouidentia quippe dirigit equidem res prouisas in finem, at ipsas non cogit in finem ipsum tendere. Recipitur enim virtus ac influxus primæ causæ, vt prius dictum est, iuxta secundarum causarum modum & capacitatem, & propterea causa secunda contingens vel libera, licet a causa prima & suprema necessario moueatur, haud tamen necessario mouet, quandoquidem ex primæ causæ, motione, non propriam mouendi amittat naturam. Modificatur enim virtus primæ causæ per causam secundam, eapropter si causa secunda contingens vel libera est, dum propriam retinet contingentiam vel libertatem, contingenter, vel libere, suos producet effectus.

Clara ex. D. Th. doctrina, affertur ad præfatam difficultatem respõsio.

Præde

Prædestinatio quoque pari ratione, in prædestinatos quidem aget, vt suum infallibiliter assequantur finem attamen non ipsos vi ac coactione impellet, vt velint, nolint, illum ipsum consequantur, sed libere. Deus enim quos sua prædestinatione ad gloriam elegit sempiternam, ita vocat, ita iustificat, & ita magnificat, vt sine libero eorum consensu; nil efficiatur. Dei enim adiutores sumus inquiebat Apostolus. j. Cor. iij. & ideo operæprecium est vt ipso operante per gratiam, eidem cooperemur, & eo modo, quo nostro libero competit arbitrio. Excitat siquidem deus prædestinatos suos, eosdem tum externa, tum interna vocatione vocat, externa quidem veluti ea qua Petrum & Andream vocauit, quaque quandoque per infirmitates atque flagella vocat, vt à peccatis, quibus sæpenumero inuoluntur, recedant, resipiscant, & ad gratiam se præparent suscipiendam, quam præparatis dare non differt. Interna vero, qua quodam mentis instinctu, mouetur cor hominis ad assentiendum, his quæ fidei sunt vel virtutis, vel cuiusque boni, hominem ipsum in vitam promouentis æternam. Vocat inquam & trahit, non quidem violentia, non coactione, sed amore, sed dulcedine, sed voluptate, dum bonum sibi placet ostensum, & ad illud amplectendum flagranti desiderio mouetur, sicque motus ac tractus, iustificatur ipsius diuinæ gratiæ infusione, & iustificatus, demum magnificatur dum ad gloriam traducitur sempiternam. Huiusmodi itaque, vocationi ac amoris tractui prædestinatus libere assentit, liberæque diuino semper opitulante auxilio, ad propriam salutem properat; Non igitur hac in re tam terreri debuit Reuerendissimus Caietanus dum fassus est se nescire coniunctionem hanc libertatis & securitatis nostræ, cum æternitate ac immutabilitate diuinæ electionis, & similiter se ignorare coniunctionem, æternæ, immutabilis ac efficacis diuinæ electionis hisce cum nostris

stris libertatibus ac securitatibus. Iam enim ex dictis constat, ad horum iunctionem nullum sequi incommodum, nullam repugnantiam, nullamque contradictionem, quinimò hæc sese complexantur. Vult enim deus prædestinatum quemlibet, immutabiliter ac infallibiliter suam capescere beatitudinem, at non sine suo libero arbitrio, nec sine gratia, liberum arbitrium perficiente, eique vsque ad vitæ terminum, perseuerantiam, elargiente, Hæc siquidem duo ita sibi cohærent, vt alterum sine altero, esse non possit. Posita enim diuinæ prædestinationis infallibilitate, nunquam poterit mortalis quispiam adultus & prædestinatus ad æternam gloriam peruenire, nisi liberum concurrat arbitrium, donis gratuitis exornatum, Nec econtra poterit vnquam idem mortalis, suis viribus, suoque libero arbitrio, supernis auxilijs expoliato, æternam consequi gloriam, nisi sit à deo prædestinatus & electus. Ab æterno equidem deus complures elegit & prædestinauit ad gloriam, at non sine libero arbitrio, gratia decorato, consequendam. Quod si cuipiam id captu difficile videtur, vel hoc exemplo clare conspiciat. Est dominus quidam, seruum habens debilem acclaudum, vultque nihilominus, vt hic ipse Romam petat, atqui intuens eum, ex se ad hoc iter explendum, fore impotentem, equum sibi elargitur, quo Romam possit adire. Nunquid hic afferendum est, seruum hunc, non libere Romam petere, quia adiuuatur, à domino suo sic volente? Haud certe. Sic nimirum mortalibus accidit prædestinatis; Vult etenim dominus deus suæ prædestinationis decreto, & suæ voluntatis beneplacito, mortales quosdam cœlum adire, & æternam consequi felicitatem, ac illos contuens ex se fore impotentes ob liberum arbitrium peccato prothoparetis, debile ac claudum, effectum, illisipsis equum gratiam scilicet, elargitur, & perseueratie donum, vt valeant præfatam gloriam attingere; Nunquid

Ad præfatæ difficultatis intelligentiã aptissimũ exemplũ.

quid ex hoc dicentur tales à domino deo adiuti, ad felicitatem capescendam, non libere ipsam consequi? Libere sanè, ad hanc properant, libereque hanc assequuntur. Perpulchre igitur præfata iunguntur adinuicem, quam coniunctionem se nescire, attamen credere, autumat Reuerendissimus Caietanus. Nec arbitror in quæstione hac, difficultates esse, vel oriri posse, quæ non valeant ex prætactis fundamentis, facillime dissolui, dum tamen hominis mens, non obstinationi, at rationi deseruiat. Hæc de secundo articulo.

Articulus tertius.

QVO ad tertium articulum. Dubium exoritur. Num meritorum præscientia, prædestinationis causa existat. Circa dubitationem hanc primo declarandi sunt termini, in hac ipsa dubitatione positi, deinde sacrorum doctorum adducentur opiniones, quæ hac in re obscuritatem, pariter & difficultatem pariunt, postremo veritas ostenderur, dum opiniones quæ sibi inuicem aduersari videntur, subtiliter examinabuntur. Aduertendum est itaque primo quòd præscientia dei, de qua nunc est sermo, certissimam omnium futurorum, tam bonorum quàm malorum prænotionem dicit, per meritа vero intelligenda sunt opera quæcunque ad vitæ æternæ, consecutionem, ordinata; Causam deinde duplicem esse asserimus, vnam quidem vere realiterque causantem effectum que producentem, alterā vero, hac operatione carentem, quæ causa sine qua non, tum à philosophis, tum à Theologis nominatur, hęc in effectum nil influit, at sine hac, vtpote ne cessaria, ad effectus productionem omnino concurrit; Huiusce rei hoc clarissimum sumatur exemplum. Est ignis qui suapte natura actiuus est maxime, & omnia combustibilia disposita, virtute sua com

Præscietia dei quid sit.

Causa duplex, & quæ vtraque sit.

comburere potest, si tamen eidem approximentur, qua approximatione sublata, nunquam comburere poterit. Erit igitur hoc in exemplo, ignis causa vere, ac realiter causans, erit & approximatio, causa sine qua non, quoniam ignis nullatenus valet quodcunque combustibile, & paruum, & optime dispositum comburere nisi idipsum, eidem approximetur, & ita approximatio ad combustionem necessario concurrit, non tanquam agens, mouens & causans, at veluti causa sine qua non. Et hoc diligenter est annotandum, quoniam ex hac distinctione claritas habebitur duarum conclusionum à diuersis doctoribus positarum, quæ contradictoriam pugnantiam habere videntur, vt infra patebit. Prædestinatio postremo vt inquit. D. Thom. xlj. dist. j. q.j. art. iij. essentialiter includit præscientiam, & voluntatem salutis aliquorum, &. j.q. xxiij. art.v. inquiebat, eam ipsam, voluntatem includere, & eatenus inquirendā esse rationem prædestinationis quatenus ratio diuinæ voluntatis inquiritur, & quia (subdit) non est causam diuinæ voluntatis ex parte actus volendi assignare at solum ex parte volitorum inquantum vult aliquid esse, propter aliud, sic etiam non est causam vllam assignare ex parte actus prædestinantis secundum se, sed solum ex parte effectus prędestinationis ipsius, Et est hic clarus huius tituli, quæstionis, sensus, An præscientia, id est præcognitio omnium futurorum bonorum, quæ meriti rationem habent, sit causa vere & effectiua vel causa sine qua non, ipsius prædestinationis, non quidem actus prædestinātis secundum se, quoniam hoc fatuum quæsitum esset, sed effectus ipsius prædestinationis, nempe vt dicatur, deum ab æterno præordinasse, alicui, effectum prædestinationis, se daturum, ob aliqua ipsius merita. Quæstionem hanc perdifficilem reddunt, variæ doctorum sententiæ, dum nonnulli, affirmatiuam, nonnulli, negatiuam partem sustinere videntur.

Prædesti-natio, qd includat.

Origenes Origenes enim partem rutari videtur affirmatiuam
ſuper numeros, cap. iij. Homil iij. dum inquit. Ia-
cob, natu poſterior, primogenitus iudicatus eſt, Ex
propoſito etenim cordis quod deo patuit, etiam
priuſquam in hoc mundo naſcerentur, aut aliquid
boni agerent, vel mali, pronunciat dominus de eis,
Malachiæ primo. quia Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. Huic par
ti expreſſius adhæret Ambroſius exponens illud A-
D. Ambroſius. poſtoli Rom. ix. ex Exodo. xxxiij. deſumptum.
Miſerebor cuius miſereor & miſericordiam præſta-
bo, cuius miſerebor, inquiens. Ergo miſerebor cui
miſertus ero, hoc eſt, eius miſerebor cuius præſcius
eram, quòd miſericordiam daturus eſſem, ſciens con
uerſurum illum, & permanſurum apud me, & miſeri
cordiam præſtabo ei, cui miſericordiam præſtitero,
id eſt, ei miſericordiam dabo, quem præſcij poſt erro
rem, toto corde reuerſurum ad me, hoc eſt, dare illi,
cui dandum eſt, & non dare, cui non eſt dandum, vt
eum vocet quem ſciat obaudire, Et paulò poſt ſupe-
rius hęc diſſeruit. Nam prius de præſcientia ait ma-
ior, ſeruiet minori, ſicut & de præſcientia, Pharaonē
damnauit ſciens non correpturum, apoſtolum vero
Paulum perſequentem elegit, præſcius vtique quòd
futurus eſſet bonus. His præfatis doctoribus bea-
D. Chriſoſtomus. tus ſubſcribit Ioannes Chriſoſtomus ſuper Matth.
cap. xx. vbi de operarijs in vineam à patrefamilias
conductis, ait, Omnes ab initio deus conduxiſſe vo-
luiſſet, ſed non omnes eodem tempore paruiſſent,
Paulum etiam à cunabulis vocare voluiſſet, ſed vo-
catus ille non obtemperaſſet. Rurſus in Homilia
de conuerſione. D. Pauli & in alia quadam de Lau-
dibus Pauli, multas ingerit ſententias, quibus vide-
tur planè docuiſſe cauſam diuerſitatis, cur hi ſint præ
deſtinati, illi vero reprobati, non eſſe ſolum ex dei
voluntate, at & ex voluntatibus hominum volen-
tium aut nolentium obedire deo, omnes ad ſe vocā-
Beatus Proſper. ti. Hanc ſententiam, vt beatus teſtatur Proſper in
Epiſtola

Epistola quam scribit ad Augustinum scribentem de electione secundum æternum dei propositum, tenuis se videtur: Sic enim in præfata epistola ait. Pertractatis priorum de hac re opinionibus, penè omniū par inuenitur, & vna sententia qua propositum, & prædestinationem dei secundum præscientiam acceperunt, & ob hoc deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem cuiuscunque præuiderit & sub ipso gratiæ adiutorio in qua futurus esset, voluntate, & actione præscierit. Et rursus aiebat. Veteres, ea quæ de epistola Pauli scribentis ad manifestationem diuinæ gratiæ præuenientis electionis merita, ab Augustino proferuntur, à nullo vnquam ecclesiasticorum sic esse intellecta, vt nunc sentiuntur. Et infra. Quicunque ad fidem, & baptismum accedere voluerint salui esse possunt, qui autem credituri sunt atque mansuri in fide, per dei gratiam ante mundi constitutionem eos esse prædestinatos, qa illos dignos fore electione deus ipse præuidit. Huic præfatorum patrum sententiæ aliquando subscripsit Augustinus dum in epistola contra Porphirium sic asseruit. Christus tunc voluit apparere hominibus, & apud eos prædicare doctrinam Euangelij, quando & vbi sciebat eos esse qui in eum fuerunt credituri. Salus religionis huius per quam solam veram, salus vera veraciter promittitur, nulli vnquam defuit qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit, His enim temporibus, & his locis quibus euangelium eius nō est prædicatum, præsciebat omnes in eius prædicatione tales esse futuros, quales multi in eius corporali præsentia fuerunt, qui in eum etiam suscitatis ab eo mortuis, credere noluerunt. Quid ergo mirum si Christus prioribus seculis apparere vel prædicare noluerit eis, quos nec verbis, nec miraculis suis, credituros esse præsciuit? Hoc idem & expressius docuit dum interpretatus est verba illa Malachiæ primo, Iacob dilexi, Esau autē odio habui, inquiens.

Præfatam doctorū sanctorū opinionē, quandoq; tenuit. D. Augustinus.

Cui vult miseretur deus, & quem vult indurat, sed hæc voluntas dei iniusta esse non potest. Venit enim de occultissimis meritis, &c. Aduersus autē has duas auctoritates ipsemet Augustinus in lib. de Prædestinatione sanctorum hanc aliam protulit, inquiens. Non quia futuros tales esse præsciuit, ideo elegit, sed vt essemus tales per ipsam electionem gratię suę, qua gratificauit nos in dilecto filio suo; Hæ sunt itaque sanctorum sententiæ doctorum, quæ hac in re, non modicam pariunt difficultatem. Eapropter ad huiusce quæstionis enodationem, duplicem ponemus conclusionem suis cum declarationibus, ex quibus veritas maxime eluceſcet. Prima autem, & negatiua, quam ad aures Augustini. D. Thomas tutatur, quamque & posteriores doctores sequuntur, hæc est.

Meritorum præscientia, diuinæ prædestinationis & electionis causa nullatenus esse valet.

Hanc conclusionem plerisque in locis. D. Th. examinat, videlicet, j. q. xxiij. art. v. De Ver. q. vj. art. ij. xlj. dist. j. q. j. art. iij. super epistolam ad Rom. cap. ix. Et in postremo hoc quidem loco, fusius quàm in cæteris locis, Origenis opinionem confutat dicens, Originem hac in re admodum erraſſe, dum posuit in libro Periarchon, deum ab initio solum creaturas fecisse spirituales, & omnes quidem æquales, ne ex earum inæqualitate, posset deo iniquitas ascribi, atqui postea diuersitatem subsequutam esse autumat ex ipsa meritorum diuersitate, dum scilicet nonnullæ illarum magis vel minus per amorem, ad deum conuersæ sunt, & propter hoc angelorum ordines distincti sunt, nonnullæ vero ab ipso deo auersæ sunt, sed plus & minus, & ob id earum quædam corporibus nobilibus, quædam ignobilibus, & nonnullæ cœlestibus corporibus, nonnullæ corporibus aëreis, & quædam corporibus humanis alligatæ sunt. Et hinc fit vt ratio distinctiua corporearum

Origenis opinio falsa.

rearum naturarum secundum Origenem ipsum, fuerit spiritualis creaturæ peccatum, quod scripturæ Gen. j. aduersatur inquienti, Et vidit deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bonæ. Ex hoc quippe datur intelligi (subdit). D. Thom. ad aures Aug. xj. de Ciuit. dei, quòd bonitas dei causa est productionis creaturarum corporalium. Opinionem hanc vti in fide erroneam explodit Apostolus Rom. ix. dum inquit de electione Iacob. & Esau reprobatione loquens; Cum nondum nati essent, aut aliquid boni, vel mali egissent, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia maior seruiet minori sicut scriptum est Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Pellagiani vero posuerunt & ipsi merita in præsenti vita causam esse prædestinationis, seu eiusdem effectus, dum astruxere, gratiam dei, hominibus, ob merita dari, quæ opinio, quàm erronea sit, vel ex eo maxime elucet, quia cum merita ipsa nullatenus, sine gratia gratum faciente esse valeant, quæ gratia effectus est prædestinationis, dici nequit, vt merita, vtpote effectus, ipsius prædestinationis, causa existant; Impossibile quippe est effectum progignere causam. Et aduersatur nihilominus opinio hæc apostolo. ij. Cor. iij. inquienti. Non sumus sufficientes, cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex deo est. Eadem quoque ratione impossibile est, affirmare merita gratiam subsequentia, eiusdem prædestinationis causam esse, vel rationem, quandoquidem & talia merita effectus omnino sint prædestinationis etiam prout in dei præscientia esse intelliguntur; Nam prædestinationis ratio vel causa, ipsam semper præcedit, talia vero merita, necessario eandem subsequuntur, quare ipsius causa esse nequeunt. Nec postremo bonus liberi arbitrij vsus, prædestinationis ratio esse valet, quia omne dei beneficium hominibus collatum, ad salutem capescendam, diuinæ est prædestinationis effectus, con-

Reprobatur præfata opinio

Falsa Pelagianorũ opinio

stat autem diuinum hoc beneficium se extendere ne dum ad gratiæ infusionem, qua iustificatur homo, verum ad gratiæ vsum.

Ex his autem hęc vna & validissima ratio ad conclusionis probationem formari potest. Omne id quod est prædestinationis effectus, nequit eiusdem esse causa, at omnia merita præuisa, sunt prædestinationis effectus, vti iam ex præfatis liquet, igitur meritorum præscientia, nequit esse prædestinationis causa.

Henrici à Gădauo opinio, ab ipso triplici rōne firmata.

Verum quia hanc vltimam opinionem à. D. Thom. reprobatam, sustinet Henricus à Gandauo quol. iiij. art. xix. & quol. v. art. v. eapropter triplici eam ratione corroborat, inquiens, quòd electio, semper disparitatem eligendi à reprobando, supponit, hęc autem disparitas non nisi ex parte nostri prouenire videtur.

Rursus iustitia, inquit semper est misericordiæ comes, & ita necessum est ex parte prædestinandi, aliquam congruentiam inueniri ad misericordem prædestinationem.

Postremo ait, Reprobationis, est aliqua causa ex parte nostri, igitur, & prædestinationis.

Ad Henrici rationes, optime respondetur.

Istis autem rationibus facile satisfit, Et ad primam quidem dicitur, quòd electio diuina, disparitatem equidem supponit, at non ex parte nostri, at ex parte dilectionis diuinæ. Quia enim non æqualiter deus omnia diligit, quandoquidem non omnibus æquale vult bonum, ob id nonnullas creaturas intellectuales ad bonum supernum, cœlestem, videlicet, fœlicitatem eligit, cæteris reprobatis, Dilectio autem extra prædestinationem minime reperitur.

Ad secundam vero dicitur, quòd iustitia in primis effectibus, non in ordine quidem ad creaturas, & earundem bonitatem, sed in ordine ad sapientiam diuinam, comes est requirenda.

Ad postremam neganda est consequentia, quoniam

niam in reprobatione, aliquid ex parte nostri reperitur culpa, videlicet, quæ extra totum reprobationis effectum est, quod in prædestinatione reperiri nequit. Nam quicquid in prædestinatis reperitur, eos ipsos, in vitam æternam ordinans, sicuti est gratia, & bonus vsus, tum ipsius gratiæ, tum liberi arbitrij, tum etiam eius modus, quo à nobis est, ipsius prædestinationis est effectus, quo fit vt talis bonus liberi arbitrij vsus, nequeat esse prædestinationis causa. Confutatis autem præfatis opinionibus tanquam erroneis, ipsi quæstioni respondet. D. Thom. inquiens, quòd diuinæ prædestinationis effectus, bifariam considerari potest, in particulari, videlicet, & in communi, in particulari quidem, scilicet secundum partes suas, & sic nil prohibet effectum quempiam prædestinationis esse, alterius causam, siue rationem. Posteriorem quidem secundum rationem causæ finalis, priorem vero secundum rationem causæ meritoriæ, quemadmodum gloriam causam esse finalem meritorum, merita vero causam esse secundum rationem causæ meritoriæ. Et ita quàm rectissime diceremus deum præordinasse se cuipiam, ex meritis, gloriam daturum, & alicui se gratiam præbiturum, vt gloriam mereretur. In communi vero considerari potest prædestinationis effectus, videlicet, secundum eius totalitatem perfectam, nempe vt cuncta complectitur, quæ quouis modo concurrunt ad æternæ fœlicitatis consequutionem, Et hoc modo subdit D. Thom. impossibile est ex parte nostri, quippiam esse quod prædestinationis sit causa, quandoquidem id omne, quo homo in salutem ordinatur æternam, etiam præparatio ad gratiam, quem nō nisi diuino auxilio fit, iuxta illud Tren. vlt. Conuerte nos domine ad te & conuertemur, sit prædestinationis effectus, Huiusce autem totius prædestinationis effectus, causam esse ex parte dei nullatenus inficiandum est, quoniam eius bonitas causa finalis

Prædestinationis diuinæ effectus dupliciter cō siderari potest.

Totius p̄destinationis effectus causa in deo existit.

est, & eius voluntas causa efficiens. Nam causa, siue ratio, quòd aliqui prædestinentur, & ad vitam eligantur æternam est relucentia, seu repræsentatio diuinæ bonitatis per modum misericordiæ, vt vbique sustinet. D. Thom.

Quæ Durandum, ac Aureolum offendant.

Verum in decisione hac duo sunt, quorum vnum, Durandum offendit, alterum vero Aureolum. Id quod Durandum lædit est exemplum ab ipso. D. Th. adductum, de gratia, meritis, & gloria, dum ostendit gloriam, vtpote, effectum prædestinationis partialem, esse causam finalem meritorum, merita vero ex gratia prodeuntia, causam esse gloriæ meritoriam. Inquit enim Durandus. j. sent. dist. xlj. q. ij. exemplum hoc, ad propositũ minime esse, quoniam gloria non est prædestinationis effectus, quod probat, quia prædestinatio non est de fine, sed de medijs per ueniendi ad finem, gloria autem finem non mediũ perueniendi ad finem dicit, quare (inquit) gloria nõ cadit sub prædestinationis effectu. Sed in hoc Durandus, verborum. D. Thom. germanum sensum minime percepit; Nam ad aures. D. Thom. hij dicuntur partiales prædestinationis effectus, vnam totalem integrantes, videlicet, ad gratiam dispositio, siue præparatio, quæ diuino quodam fit auxilio, gratiæ collatio, merita, ex gratia ipsa, & libero arbitrio, promanantia, & consequutio, adeptio, seu euentus gloriæ; Quis enim rectè sentiens, negare potest gloriam, id est, gloriæ consequutionem, adeptionem, acquisitionem, & eiusdem euentum, non esse, postremum & vltimum prædestinationis effectum respectu ceterorum? Quemadmodum enim dum quispiam deorsum lapidem proijcit, vt in centro veluti in proprio fine quiescat, dici potest, quietem ipsam suo modo, mediante motu à proiectore fore causatam, & eiusdem esse effectam, ita pari modo dicere possumus, deum prædestinantem hominem, ipsumque per gratiam & merita mouentem

Ad præfatam Durãdi rationem respõdetur.

ad

ad gloriæ assequutionem vt in ipsa quiescat, esse causam ipsius assequutionis, & assequutionem esse ipsius prædestinantis, seu prædestinationis effectum. Et cum inquit Durandus, quòd prædestinatio est de medijs, & non de fine, dicitur quòd vtique est de medijs ad finem perducentibus, nempe ad gloriam, haud tamen negandum est, quin etiam de fine, id est, de finis adeptione sit; Nam ad hoc mortales prædestinantur, & eliguntur ad gloriam, vt diuinis muneribus adiuti, eam ipsam consequantur, quæ quidem consequutio, vltimus est prædestinationis effectus; Non igitur tam gloria, seu beatitudo absolute, quàm ipsius adeptio, attinctio, ac consequutio, vltimus (vt dictum est) ponitur prædestinationis effectus. Hic est verus exempli. D. Thom. sensus, & à Durando minime impugnatus, quia ab eodem non intellectus.

Alterum quod Aureolum offendit, est illud quod affirmabat. D. Thom. j. q. xxiij. art. v. ad tertium dum inquiebat, causam prędestinationis aliquorum, relucentiam esse, seu repræsentationem diuinæ bonitatis, per modum misericordiæ parcendo. & reprobationis aliquorum per modum iustitiæ, puniendo. Et ideo hoc impugnans Aureolus ipse, j. sent. dist. xlj. art. j. ait.

Illud non debet poni propter relucentiam diuinæ misericordiæ, vel iustitiæ, sine quo ista & illa manifestatur & lucet, sed admisso, quòd nullus damnatus esset, adhuc misericordia, & iustitia, sufficienter relucerent, quandoquidem in electorum gloria, vtrunq; reluceat, Misericordia quidem, iuxta apostoli dictum, ad Tit. iij. Secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Iustitia vero, quia inquit idem apostolus. ij. ad Timoth. iiij. Reposita est mihi corona iustiriæ, quam reddet mihi dominus in illa die iustus iudex, igitur non videtur talis relucentia, causa esse, quòd aliqui sint electi, aliqui vero reprobati.

Ad

Ad Aureoli argumẽtum pulcherrima respon sio.

Ad hoc respondetur argumentum, & ad maiorem dicitur, eam ipsam non esse veram, nisi quodam adiuncto, hoc, scilicet vt dicatur. Illud non debet poni propter relucentiam diuinæ misericordiæ, vel iustitiæ, sine quo, æquæ bene, ac tot modis diuina misericordia, & iustitia relucent, Sic autem hac intelecta maiore, & ipsa concessa, falsa penitus est minor, quia si nullus damnaretur, nullatenus reluceret iustitia punitiua, qua reprobi sua ob demerita, æternaliter puniuntur, quemadmodum nunc relucet, In saluandis autem solum iustitia reluceret præmiatiua. Ex his autem omnibus perspicua videtur hæc prima conclusio, quam, sententiarum Magister, ac posteriores doctores omnes. D. Augustini, esse, concla mant, quamque. D. Thom. perpulchræ tutatur, vti ex eius doctrina clare conspici potest. Ad vtranque vero eiusdem Augustini, auctoritatem in oppositum adductam, simul dicitur, ipsum, ambas retractasse, auctoritates, vt clare elicitur, Retract. libro. j. cap. xxiij. Et De prædestinatione & gratia. cap. vij. vt ad aures ipsius, etiam Magister sent. docet. xlj. dist. j. ex eodem libro retractationum supra citato, sic inquiens. Nondum diligentius quæsieram, nec adhuc inueneram qualis sit electio gratiæ, de qua dicit Apostolus; Reliquiæ per electionem gratiæ saluæ fient, quæ vtique non ex gratia, si ex meritis procedit, vt iam quod datur, non secundum gratiam, sed secundum debitum sibi reddatur potius, cum meritis donetur. Et nonnullis interpositis subdit. Et quod paulò post dixi. Nostrum est enim credere & velle. Illius autem dare credentibus & volentibus voluntatẽ bene operandi per Spiritum sanctum per quam caritas dei diffunditur in cordibus nostris, Verum est quidem, sed eadem regula est, & vtrunque ipsius est, quia ipse præparat voluntatem, & vtrunque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis, ergo & meritum fidei, de misericordia venit. His etenim verbis

&

& alijs similibus ex libro de prædestinatione & gratia desumptis, constat Augustinum seipsum retractasse. Hoc idem patet ex auctoritate eiusdem de prædestinatione sanctorum supra citata. Ceteris autem auctoritatibus ad oppositam partem adductis perdifficile sanè est respondere, ni respondeatur modo quo infra dicetur. Respondet tamen. D. Thom. ad duas auctoritates. Origenis, videlicet, & Ambrosij. Origenis quidem. De Ver. quæstio. vj. articul. ij. ad septimum vbi inquit, propositum cordis Iacob, à deo præscitum, causam minime extitisse vt eidem gratia elargiretur, at fuisse bonum quoddam, ad quod deus gratiam dandam ordinauit, eapropter ab Origene dictum fuisse quòd ex proposito cordis quod ei patuit, Iacob ipsum dilexit, quia nimirum ad hoc eum dilexit, vt tale cordis propositum haberet. Vel inquit quia præuidit quòd propotum cordis eius fuit ad gratiæ susceptionem, dispositio. Ad Ambrosij vero auctoritatem, triplicem affert responsionem, Et primam quidem prima q. xxiij. art. v. ad primum inquiens, quòd bonus gratiæ vsus à deo præscitus, secundum Ambrosium, non est ratio collationis gratiæ nisi secundum rationem causæ finalis, quod est dictu, bonus gratiæ vsus, dum quispiam per eam rectè ac meritoriæ operatur, est finis ipsius collationis gratiæ. Secundam tangit. xlj dist. j. q. j. art. iij. ad primum dum ait, quòd opus nostrum non, gratiam sequens, at ipsam præcedens, non est causa diuinæ voluntatis neque largitionis gratiæ, at solum ad ipsam est dispositio. Illi enim (subdit) gratiam deus, proponit infundere, quem præscit se ad ipsam præparaturum, ita tamen, quòd præparatio ipsa, non causam, ac dispositionem duntaxat denotet, vt dicatur, quòd quia se quispiam ad gratiam præparauit, ob id, sibi eam dilargitur. Respectu vero actus volendi, subinfert, non potest præparatio designare dispositionem vel causam, sed solum quia bona est.

Tertiam

Tertiam vero ponit, De Ver. q. vj. art. ij. ad primum dum inquit, Rectus gratiæ vsus, à deo præscitus, non est causa mouens ad elargiendum gratiam, nec perfecta cordis conuersio, inclinat dei voluntatem ad gratiæ collationem, sed solum quòd gratiam datam ad id ordinat, vt quispiam hac accepta, perfecte conuertatur in deum. Vt autem omnes prætactas authoritates, ad aliquam expositionem redigamus hanc secundam ponimus conclusionem & mea sententia, veritati consentaneam scilicet.

Meritorum præscientiam, causam esse sine qua non, seu rationem prædestinationis, siue electionis diuinæ.

Conclusionem autem hanc primæ haud repugnare, clare constabit, si distinctione, de causa duplici, in declaratione tituli quæstionis, posita, vsi fuerimus. Dicebatur enim causam duplicem fore, alteram quidem vere realiterque causantem ac in effectum influentem, alteram vero, non istiusmodi esse, at solum vocitari causam, siue rationem sine qua non, & eam esse, quæ tametsi non moueat, non causet, non producat effectum, esse tamen necessariam, & ita quidem, vt sine ea, effectus minime producatur, vt in exemplo patuit supra inducto. Quis enim tam demens est, vt astruat, approximationem ignis ad combustibile, & econtra, causam esse combustionis productiuam & effectiuam? Quis vero, tam insipiens est, vt non admittat eandem approximationem esse ad combustionem adeo perneccssariam, vt sine ea, combustio fieri nequeat? Nunquam enim ignis, ligna vel aliud quippiam comburet, ni adsit conueniens ac sufficiens ad ipsum, lignorum approximatio, & propterea, hæc ipsa, causa sine qua non, à philosophis pariter & Theologis appellitatur. Meritorum igitur præscientiam, non causam mouentem diuinam voluntatem, nec per modum finis nec efficientis, vt quempiam prædestinet, asserimus, quoniam falsum

sum prorsus affirmaremus, Fatemur tamen & vere, meritorum nostrorum non gratiam quidem antecedentium, sed sequentium, præscientiam, esse causam siue rationem sine qua non, diuinæ prædestinationis, id est effectus eius totalis, quia nunquam aliquos prædestinaret, seu eligeret, nisi præsciret, eosdem, donis tum naturalibus, tum gratuitis, bene vsuros. Et cum inflatur, horum omnium vsus prædestinationis est effectus, igitur nequit esse prædestinationis causa, admittenda est consequentia, de causa per se, mouente & influente loquendo, penitus autem neganda de causa sine qua non. quoniam hæc quidem necessario concurrit, at solum quemadmodum (iam diximus) approximatio est necessario ad combustionem concurrens, nullatenus tamen causat. Prædestinat etenim deus & eligit quos vult ad gloriam sempiternam, vt bonitas sua per modum misericordiæ reluceat & repræsentetur, ita quòd voluntas est causa efficiens, & bonitas finalis, at quia secundum nostrum intelligendi modum prædestinatio, præscientiam supponit, ideo quos præscit esse prędestinandos & eo modo quo præscit, prædestinat. Et quoniam præscit tales mortales, suis donis naturalibus ac gratuitis, bene vsuros, propterea hic bonus vsus donorum est causa seu ratio sine qua non, deus, ipsos prædestinat & eligit, alios vero minime. Hinc fit vt asserant nonnulli, in nobis esse talem causam sine qua non, ipsius actus prædestinationis, non quidem quo ad suum absolutum, sed quo ad respectum quo terminatur ad nos. Et hoc modo intellecta conclusio clara euadit, in hocque sensu omnes præactæ & adductæ antiquorum patrum & doctorum auctoritates, verificantur, nec vllam patiuntur difficultatem. Verum circa responsionem hanc, dubitatiuncula quę dam occurrit. Quia responsio hæc, saluat quidem prę scientiam meritorum, causam esse sine qua non, præ destinationis adultorum, at non paruulorum, meri-

Magister Siluester in Cōstat. q. xxiij. art. 6.

tis

tis carentium, quos tamen prædestinatos ad æternam gloriam esse tenemus, cũ sacro sint abluti baptismate, quo eisdem salus omnino donatur, hicque fiet, vt præfata meritorum præscientia non sit causa prædestinationis omnium at solum adultorum vt prætactum est. Ad dubitationem hanc facile respondemus, inquientes præscientiam quidem meritorum esse causam sine qua non, omnium, at non eodem modo, quoniam præscientiam meritorum propriorum, respectu adultorum est causa sine qua non, prædestinationis eorum, at præscientia meritorum Christi, est causa sine qua non, prædestinationis omnium paruulorum, & sic vniuersaliter est vera. Non est igitur inter hasce duas conclusiones vlla pugnantia, ob æquiuocam, causæ acceptionem, & ita ambæ veritati consentaneæ sunt, quare, ad postremum transeamus articulum.

Articulus quartus.

Quid per prædestinationẽ, hoc loco, intelligatur.

QVO ad quartum, & postremum articulum. Quæritur num prædestinatio, sanctorum precibus adiuuari valeat. Et in hac quæstione primo elucidandum est vnus quæstionis terminus, deinde conclusio vna ponetur affirmatiua. Quo ad termini declarationem, annotandum est prædestinationem hoc in loco, pro ratione ordinis creaturarum in supernaturalem finem ordinatarum quæ ratio, ipsa est essentia diuina intellecta, minime accipi posse, neque etiam pro actu diuino pratico quasi ab ipso deo exeunte, quoniam tunc sensus esset, num sanctorum orationes, siue in propria natura, siue in dei præscientia existant, suffragio esse possint ad hoc vt quispiam prædestinetur, & hic sensus est omnino à veritate alienus, vt inquit. D. Thom. De Ver. q. vj. art. vj. quia temporale, æterno, opitulari non potest, nec meritorum præscientia vti declaratum est, prædesti

destinationis causa esse valet, causa inquam in effectum influens, Accipitur autem prædestinatio, cum quæritur an sanctorum precibus iuuari possit, pro consecutione effectus prædestinationis, & erit sensus, nunquid sanctorum preces, nonnihil iuuent ad consequendum præfate prædestinationis effectum. Hoc declarato conclusionem. D. Thom. ponit affirmatiuam. De Ver. vbi supra. j. sent. dist. xlj. q. j. art. iiij. & j. q. xxiij. art. viij. hanc videlicet.

Verus ἄρτι sensus.

Prædestinatio, sanctorum precibus adiuuari potest.

Circa conclusionem hanc plerique errauere, è quorum numero sunt Epicurei, Stoici, & Aegyptij. Nam Epicurei ad diuinæ prædestinationis certitudinem, oculos conuertentes, astruxere superfluas fore orationes, & quicquid agitur ad salutem æternam consequendum, quoniam siue hæc fiant, siue non, prædestinati omnino salutem consequentur. Verum id est omnino à fide alienum, quandoquidem omnes sacræ scripturæ auferat admonitiones, tum ad orationes, tum ad bona opera semper hortantes. Stoici vero dixerunt orationes equidem valere, quoniam per ipsas inquiunt mutatur præordinatio eorum ad quos disponere attinet de actibus humanis Quæ opinio, sicuti & præcedens, à fide abhorret, quoniam diuinæ prædestinationis certitudinem tollit. Aegyptij postremo asseruere, orationibus, diuinã prædestinationem posse mutari, dum sensere diuinam præordinationem, quam fatum appellabant, sacrificijs quibusdam & obsecrationibus impediri posse. Atqui positio hæc sacris repugnat literis. j. Reg. xv. vbi habetur Triumphator in Israhel non parcet, neque penitudine flectetur. Et Rom. xj. Sine pœnitentia sunt dona dei. Et impossibile est dei prædestinationem fore mutabilem, quia cum prædestinatio sit ipsemet deus, vel actus diuinus, qui nullatenus vicissitudinem patitur, ob id, nec ipsa prædestina-

Qui hac re errauerint.

tio

tio mutari poterit. His reiectis falsis opinionibus, declaratur præfata conclusio. Ad cuius claritudinem sciendum est, prædestinationem, partem esse prouidentiæ, & ideo quemadmodum prouidentia causas, secundas minime excludit, quinimò res cunctas ad suos perducit effectus & fines, medijs ipsius, sicuti in rebus naturalibus videre licet, ita & prædestinatio causas secundas nequaquam abijcit, at per ipsas omnino exercetur; Si enim quispiam, per prædestinationem ad salutem est ordinatus, non hanc sanè consequetur, nisi concurrente eius voluntate, orationibus, bonis operibus, ac his omnibus quæ in salutem quouis modo promouent. Dicendum ne forte est, deum ita mortales prædestinasse, vt nullis suis operibus (si tamen adulti sint) sed ocio dediti, vel prauis operibus imbuti, omnino saluentur? Absit, vt hoc affirmetur; Prædestinat equidem plerosque ad salutem, at vult ipsos per tot taliaque media, eamipsam esse consecuturos. Eapropter Petrus Apostolus Epistola secunda cap. j. prædestinatis loquens, aiebat. Satagite, vt per bona opera, certam faciatis vocationem & electionem vestram. Cui sententiæ Greg. in libro Dialog. suoscribens, aiebat. Ea quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt, vt precibus obtineantur. Ob id, Boëtius. v. de Consol. scripsit dicens. Preces, cum rectè sunt, inefficaces esse non possunt; Nonne Gen. xxv. legimus Isaac, deum rogasse pro Rebecca vxore sua sterili, vt eidem conceptum daret, & obtinuit, dum peperit Iacob, à deo, ab æterno prædestinatum? Legitur quoque in sermone quodam de Pauli conuersione, quòd nisi Stephanus, pro Paulo ipso orasset, nequaquam saltus fuisset. Quod quidem non ob aliud euenit, nisi quia ab æterno decretum fuit, vt Paulus, media Stephani oratione, salutem consequeretur; Orationibus item beati Gregorij, vt Damascenus affirmat, in quodam sermone de mortuis, Traianus, à reproborum

D. Petrus Apostol.

D. Gregorius.

rum societate, liberatus est. Ex his modo concluditur, quòd si quis prædestinatus est, per alicuius orationem, salutem esse assecuturum, si per impossibile, remoueretur talis oratio, remoueretur, & ipsa prædestinatio. Impossibile est quippe diuinum mutari decretum æternumque consilium, tametsi possibile sit, diuinam mutari sententiam, quia hæc, secundas respicit causas, quemadmodū legimus Esaię xxxviij. de Ezechia, ægrotante cui per Esaiam nunciatum est eum esse moriturum, dum sibi dictum fuit. Dispone domui tuæ, quia morieris tu & non viues; Qui cum fleuisset fletu magno, & dominum deprecatus fuisset, ne tunc moreretur, exaudita est eius oratio, & vitæ suæ addidit dominus annos quindecim. In hoc enim deus æternum minime mutauit consilium, quoniam in dei præscientia, decretum erat ipsum tunc non moriturum, respectu autem causarum secundarum mori debebat, & propterea, mutata dicitur fuisse sententia, consilium vero nequaquam. Esaias tamen verum asseruit, quoniam secundum inferiores causas, quas optime nouerat, omnino moriturus erat; Huic simile est quod à Iona Propheta. cap. iij. ponitur de subuersione Niniue dum Ionas ipse ad mandatum domini, Niniuitis prędicauit ciuitatem ipsam post dies quadraginta ob ingentia eorum scelera, esse subuertendam, quæ tamen ob eorum conuersionem & peractam penitētiam minime subuersa est. His itaque clare elucet conclusionem præfatam fore veritate fulcitam. Ab æterno etenim à deo præscitum est, omnem prędestinatum, talibus omnino medijs, ac modis nec aliter, vitam æternam esse adepturum. Et hæc de prædestinatione dicta sufficiant.

Prouidentiæ, duplex modus secundum Damascenũ, & qui.

VONIAM reprobatio, prædestinationi, opposita est, & iam de ipsa prædestinatione vtpote prouidentiæ parte, actum est, nunc de reprobatione, altera eius parte, agendum esse duximus Prouidentia quippe in duos secatur modos, si Damasceno lib. ij. de fide orthoxa credimus, videlicet, in prouidentiam approbationis & prouidentiam concessionis sub primo quidem modo, prædestinatio, sub secundo vero reprobatio, continetur. Circa hanc reprobationis materiam sic procedemus. Nam primo declarabimus, quid sonet ipsum reprobationis nomen, quidque hæc ipsa sit, in quoque, ab ipsa prædestinatione differat. Secundo percunctabimur, num Deus quosdam reprobet, excęcet, & induret, & hoc admisso, huiusce reprobationis, excęcationis, & obdurationis, causa perquirenda est. Tertio. Num ex tali reprobatione, & aliorum prædestinatione, iniquinitatis nota, possit deus inuri. Quarto. Cur homines coudiderit, vel eosdem gigni permittit, quos ab æterno præsciuit esse damnandos. Hæc omnia, quattuor distinguentur articulis.

Dicendorum ordo.

Articulus primus.

CIRCA primum articulum, sciendum est, quòd reprobatio haud primo prædestinationi, at electioni, ipsam præcedenti opponitur. Per electionem quippe alterum ab altero separatur, & per eam, vnum præ alio eligitur, & approbatur, altero reprobato, ipsaque repulsionem cuiusque indigni,

digni, à consecutione æternæ felicitatis sonat.

Est autem reprobatio secundum nonnullos, præuisio ineptitudinis alicuius ad vitam æternam, & diuinum propositum refutandi vel repellendi eundem ab ipsa. Secundum autem Magistrum sent. dist. xl. primi. est p̃scientia iniquitatis quorundã, & præparatio damnationis eorundem. His duabus additur & tertia definitio, quæ est Augustini in lib. de bono perseuerantiæ, qua dicitur, Reprobationem esse præscientiam malitiæ in quibusdam non finiendæ, & præparationem penæ non terminandæ. At aliam postremo hisce præstantiorem atque completiorem assignamus dicentes, Reprobationem, iniquitatis præscientiam esse, cum voluntate permittendi nonnullos in culpam prolabi, & ob eam, infligendi pennã æternam. Ad harum autem definitionum omnium, idem sanè docentium, euidentiam, sciendum est, quòd quemadmodum diuina prædestinatio, tum intellectus, tum voluntatis actum includit, ita & reprobatio, Intellectus quidem cum dicitur eamipsam, iniquitatis præscientiam esse; Nouit etenim ab æterno deus, mortalium quosdam, à se in tempore condendos peccaturos, voluntatis vero, quia voluit (ne suauis rerum dispositio impediretur, liberumq́ue hominis arbitrium adimeretur) eosipsos permittere, in diuersa labi peccata. Et quoniam eodem intellectus actu æterno, præsciuit, tales, in peccatis perseueraturos, in eisdemq́ue morituros, eapropter eodem voluntatis actu decreuit, ob talia peccatorum demerita, illis, interminabilem æternamq́ue pœnam, se inflicturum; Mortalia etenim peccata, damnationem promerentur æternam. In hac autem reprobatione quattuor concurrere cernimus, præscientiam videlicet iniquitatis, ipsius permissionem, peccatum ipsum, & æternam punitionem, quorum tria à deo sunt, aliud vero, nempe peccatum, ab homine, vt de Angelorum peccato fileamus. Et quia illa tria,

Durãd. 1. sent. dist. xl. q. ij. Plures Reprobationis, definitiones.

Quattuor in reprobatione, concurrũt

à deo proficiscuntur, iccirco, bona esse, necessum est, quartum vero, peccatum scilicet, ab homine auerso solum proficiscitur & propterea malum, & est damnationis æternæ demeritoria causa. Ex his facile elici potest discrimen inter prædestinationem ac reprobationem, quoniam vniuersa quæ in prædestinatione concurrunt siue respectu partialis, siue totalis effectus, à deo sunt, eapropter in quæstione de prædestinatione iam diximus, præscientiam meritorum, non esse veram causam influentem, ipsius prædestinationis, quia etsi merita ex libero arbitrio gratia prædito, consequutionis, æternæ gloriæ, meritoria causa, dici valeant, ipsa tamen à deo sunt, quandoquidem ex gratia à deo collata proueniant, & quicquid etiam quouis modo concurrens ad felicitatem nanciscendam, ab ipsomet deo penitus est. Secus autem de reprobatione ipsa dicendum est. Nam non omne quid in reprobatione reperitur, est à deo causatum, quoniam inter cætera ad ipsam concurrentia, sunt peccata, quæ nullatenus à deo sunt, vt infra declarabitur, sunt tamen ipsa veluti demerita præscita, vltimi, reprobationis, effectus, nempe damnationis æternæ, verissima causa, quoniam nunquam deus æterna, quempiam afficeret pœna, ni peccatum haberet, in ipsoque ex hac vita decederet.

Discrimen inter diuinam prædestinationem, et reprobationem, ostenditur.

Quòd Deus videatur omnino esse causa peccati arguitur ex Aureolo, & Durando.

Atqui circa id quod nunc nunc assertum fuit, nempe quòd deus nullatenus est causa peccati, dubium exoritur, quia affirmatiue parti fauere videtur, hæc admodum apparens ratio. Quotiescunque aliqua duo sunt omnino inseparabilia ex eo quòd vnum necessario aliud concomitatur, si agens vnum producit, necessario & reliquum producet, atqui deus est cuiuslibet actus peccati causa, quandoquidem ad actus & operationes omnium secundarum causarum concurrat & eisdem cooperetur, igitur & causa erit deformitatis, tali actui necessario connexæ & concomitantis, igitur erit causa peccati, quod

forma

formaliter in deformitate ipsa consistit. Ad rationem hanc, quæ Aureoli, & Durandi est, dist. xxxvij. ij. sent. facile respondetur, vnum præmittendo, quod haberur à D. Thom. q. iij. De Malo. art. ij. vbi dicitur, Deum equidem esse primum principium motionis omnium, verum nonnulla (asserit) ita ab ipso deo moueri, quòd etiam seipsa mouent veluti, ea, quæ libero arbitrio, donata sunt, quæ si in debita fuerint dispositione, ac ordine debito, ad recipiendam motionem, qua à deo mouentur, bonæ sequentur actiones, quæ totaliter in ipsum deum, vti in causam perpulchre reducentur, Si vero (subdit) à debito deficiunt ordine, inordinata sequetur actio, quæ peccati actio est, Sicque euenit, vt id quod de actione ibi est, in deum sicuti in causam reducatur, quod autem ibi de inordinatione vel deformitate est, nequaquam in deum vti in causam, sed in solum liberum arbitrium reducatur; Qua de re dicitur, quòd peccati actio est quidem à deo, non autem peccatum ipsum, quod inordinationem ac deformitatem dicit. Ex his autem nunc allatis, & alijs à. D. Thom. j. ij. q. lxxix ar. ij, & ij. sent. dist. xxxvij. q. j. art. ij. edoctis, apertissime constat, deum quidem esse, actus peccati, causam, at non irrectitudinis, & deformitatis, ipsum formaliter constituentis; Et ad rationem factam dicitur, distinguendo maiorem; Nam cum in ipsa assumebatur, Quotiescunque aliqua duo sunt omnino inseparabilia, ex eo quòd vnum, aliud necessario concomitatur, si agens vnum producit, & reliquum producet, potest hæc, duplicem sensum habere, vnum quidem verum, alterum falsum, verum quidem si illa duo inseparabilia, quorum vnum, alterum necessario concomitatur, illud concomitetur, ex essentia & natura actus in se & absolute considerati, quemadmodum dicimus, actum hunc qui est fornicari, ex natura sua, sequi necessarioque concomitari, integritatis priuationem, & venereę volu-

Ad argumentũ per pulchre respondetur.

Declaratio propositionis maioris in argumẽto assumpte.

 ptatis

ptatis experientiam. Tunc enim agens si vnum producit, necessario & reliquum producet; falsum vero, quando vnum, non ex propria natura & essentia actus in se considerati, prout obiectum respicit, à quo in esse naturæ speciem trahit alterum consequitur, sed concomitatur actum, prout à tali agente nempe defectibili, egreditur, sicuti dicimus actum præfatum qui est fornicari, concomitari & consequi priuationem ordinis & rectitudinis, prout à tali producitur agente defectibili, quod dum agit & talem producit actum, à rationis ac diuinæ legis, regula, recedit, & hoc modo actus iste consideratur vt est in genere moris, & non in esse naturæ. Quod optime asseruit. D. Thom. q. iij. De Mal. art. supra citato. ad secundum dum dixit, Deformitas peccati non consequitur spẽm actus, prout est in genere naturæ quia sic est à deo, sed consequitur spẽm actus secundum quòd moralis est, nempe vt à libero proficiscitur arbitrio. Est igitur propositio falsa in hoc sensu, quia non necesse est agentem omnem, actum producentem, cui annectitur irrectitudo & deformitas, hanc ipsam irrectitudinem, deformitatem & priuationem ordinis, producere. Sunt enim hæc ab actu separabilia, hoc modo, quia actus produci potest in esse naturæ, qui bonus est, & non produci deformitas, quæ est in genere moris; Ad actum nanque talem quo ad absolutum ipsius actus, nequaquam sequitur deformitas naturali consequentia, at solum prout actus talis, promanat ab agente per liberum arbitrium, quod legi, tum rationis, tum diuinæ, minime substat. Et hoc agens, est, non primum quod est deus optimus, at proximum quod in suo deficit actu & operatione.

At si instetur, vt Durandus instat, probare contendens, quòd si deus est immediata actionis causa, quæ culpæ deformitatem inseparabiliter habet annexam, erit & necessario deformitatis causa. Quia

omnis

omnis defectus culpabilis imputatur agenti producenti & habenti dominium super actum, & non ignoranti defectum, si igitur deus immediate causet actum quempiam puta adulterij cum non ex naturæ necessitate, sed liberæ agat plenum habens actus dominium, nec ignoret defectum adiunctum, nescio videre, (inquit ipse Durandus,) quin ipsi deo ad culpam debeat imputari sicut & homini, quinimò magis quàm homini, cuius ignorantia eum quandoque totaliter excuset, vel saltem culpam leuiorem reddat. Huic instantiæ faciliter respondetur, inquiendo, maiorem assumptam falsam esse, quandoquidem ad hoc quòd defectus culpabilis, actum, consequens, imputetur agenti, minime sufficiat, ipsum agentem, actum producere, plenum illius dominium habere, nec illum ignorare, at vltra has conditiones necessario exigitur, quòd agens tale, debeat, & teneatur talem vitare defectum, eiusque oppositum causare, & quòd agens, cui talis imputatur defectus, modo quodam defectum velit, quæ omnia, deo nequæunt attribui. Falsum quoque subsumitur nempe quòd deus actum peccati mortalis immediate causet, vel causare possit, cum talis ab agente vel voluntate deficienti solummodo causetur & producatur. Quare instantia nulla. Et hæc de primo sufficiant articulo.

Durandi argumentum, aduersus responsionem datam.

Ad præfatum Durandi argumentum responsio, & optima

Articulus secundus.

QVO ad secundum articulum. Quæritur, Num deus, nonnullos reprobet, excæcet, & induret, Quæstio hæc quo ad tres ipsius partes, non modica difficultate caret, Et quo ad primam quidem de reprobatione, videtur, quòd deus neminem reprobet, quia cum diuina reprobatio, perditionis, & damnationis, causam dicat effectiuam, se queretur quòd deus esset huiusce modi perditionis causa, sicque fieret vt nulli imputandum, esset, si pe-

riret & damnaretur; Vt sic argumentetur. Id quod ab aliquo vitari non potest, non ei imputandum est, at à deo, reprobatus, vitare non potest, quin pereat, igitur eidem non est imputandum si perijt, sed deo. Maior veritate fulcitur & minor probatur, authoritate Ecclesiastes cap. vij. qua dicitur. Considera opera dei, q̃ nemo, possit corrigere, quem ille despexerit. Quòd vero excecationis & obdurationis, deus causa minime extet, ex eo videtur, Quia deus non est causa eius, quo homo fit deterior, inquit Augustinus in libro. lxxxiij. q. at per excecationem & obdurationem, homo fit deterior, quia à deo derelinquitur dum ab eo gratia subtrahitur, igitur deus nequaquam excecationis ac obdurationis causa existit. Atqui oppositum huius, ex sacris habetur literis. Nam Malachiæ primo dicitur. Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Apostolus quoque Rom. ix. idem citat confirmatque dictum. Et infra ait. Deus cuius vult miseretur, & quem vult, indurat. Pro clara igitur huius dubij, solutione, ponitur hæc affirmatiua conclusio, scilicet.

Quòd dº, neminem reprobet, argumentatur, & pariter q̃ neminem excæcet, & indurei.

Conclusio affirmatiua.

Deus optimus maximus, summa bonitate gaudens, mortalium quosdam reprobat, excęcat, & indurat.

Tres conclusio hæc, partes habet, & quo ad omnes enucleanda est. Et primo quo ad primam, deinde quo ad alias duas. Quo ad primam de qua. D. Thom. j. q. xxiij. art. iij. j. sent. dist. xl. q. iiij. art. j. & iij. Contra Gen. cap. vlt. & cap. 161. & Rom. ix. egregiæ pertractat, sic ea, optime declaratur; Nam cum Deus vniuersalissimus sit omnium prouisor, in eoq̃ summa reluceat prouidentia, eapropter cuncta, in suos dirigit fines. At quoniam res creatæ in duplici sunt differentia, quoniam earum quædam intellectuales sunt, veluti Angeli ac homines, quædam vero intellectu carentes, ob id, ad diuersos ordinantur fines; Et vniuersæ quidem creaturæ intellectu carentes, à

deo

deo ipso, suaque infallibili prouidentia, in naturales suos propriosque fines perducuntur, intellectuales vero nedum in naturales, propriosque promouentur fines, verum & in supernaturalem vnicumque finem, in clarissimam, scilicet diuinæ essentiæ visionem, quam tamen consequi nequeunt, sine speciali quodam dei auxilio, nempe habituali gratia. Et licet deus optimus, iuxta apostoli sententiam. j. ad Timoth. ij. velit omnes homines saluos fieri, & cunctos pariter angelos, voluntate antecedente, haud tamen voluntate consequente, si Damasceno credimus. lib. ij. de fide Orthodoxa. cap. xxx. sic præfatum apostoli dictum interpretante. Est autem antecedens voluntas, ea quæ in creaturas fertur intellectuales secundum se, & absolute sumptas, prout, scilicet ab ipso deo sunt condite, quæ sanè omnes, vt sic bonitate gaudent, nec malitiam complectuntur, vllam. Has autem creaturas omnes taliter consideratas, vult deus saluas fieri, felicitateque potiri. Voluntas vero consequens, ea dicitur, quæ in easdem fertur creaturas, secundum omnes particulares circunstantias, naturæ superadditas, & à solo libero arbitrio defectibili, proficiscentes, quibus malitia afficiuntur, & tales creaturas sic contemplatas, nequaquam vult saluas fieri, seu perhenni fælitate lætari, sed æterno puniri supplicio. Huiusce autem distinctionis, nequaquam ex parte diuinæ voluntatis, sed ex parte volitorum duntaxat se tenentis, claritas, hinc pulchre sumetur, asseuerabiturque, quòd quemadmodum publicus iustusque iudex, vult omnem hominem viuere, nec quempiam occidi, spectata hominum absoluta natura, quæ sanè antecedens dicitur voluntas, & tamen vult omnem homicidam interfici, ex addita, ipsi naturæ, malitia, ex solo libero arbitrio defectibili promanante, iustitiaque sic exigente, quæ consequens appellitatur voluntas, ita deus, vult vniuersos, tum homines, tum angelos,

Quæ sit antecedēs, ac cōsequēs dei voluntas.

los, fælicitari, absolura horum contemplata natura, quod antecedenter velle dicitur, & vult pariter, non nullos damnari, ob eorum perpetrata facinora, suaque sic exposcente iustitia, quod & consequenter velle attribuitur. Et quia antecedens voluntas, secundum quid duntaxat voluntas appellatur, & voluntas consequens, simpliciter voluntas assereatur, vt inquit. D. Thom. j. q. xix. art. vj. ad primum propterea quicquid, deus, voluntate vult consequente, omnino eueniet, non autem, quod antecedente vult voluntate. Et quoniam voluntate hac consequente, ab æterno voluit, quosdam, tum homines, tum angelos, vltimum supernaturalemque consequi finem, æternam, scilicet felicitatem, quosdam vero permittere vt sua sponte ab hoc ipso decidant fine, dum in varia prolabuntur scelera, & ob hæc tandem damnationem incurrunt æternam, ob id, nonnulli, à deo prædestinati, & electi dicuntur, nonnulli vero reprobati; Et hoc quidem diuina fulcitur auctoritate. Nam apostolus Paulus, Rom. ix. de Iacob, differens, ac Esau, fratribus vterinis, ac vno eodemq. concubitu, ex Rebecca conceptis, ait. Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, vt secundum electionem propositum dei maneret, vt scilicet æterna præordinatio dei volentis, vnum, præ altero magnificare, vnumque, alteri, præeligere, firma stabilisque permaneret, non ex eorum operibus, quæ nulla prorsus erant, nec esse poterant, sed sua ex libera voluntate, ipsoque solo vocante, dictum est Rebecce, quia Esau natu maior, Iacob, minori seruiet, & obtemperabit. Et Malachias, veracissimo dei ore affatus est, dicens. Iacob, dilexi, Esau autem odio habui; Ab æterno quippe deus, Iacob, dilexit, elegit, ac prædestinauit, proposuitque hoc in sæculo, sibi opem gratiæ ferre, perseuerantiam elargiri, eundemque ex hac vita, in gratia migrare, & perhennem sibi gloriam præstare

Voluntas antecedēs secundum quid, consequens, absolute, & simpliciter voluntas dicitur.

Declaratur Deum ab æterno prædestinasse Iacob, Esau aut ab æterno reprobasse.

præstare. Esau quoque & ab æterno odio habuit, & reprobauit decreuitque ob præscita eius demerita, illi, (& quidem iuste) non succurrere, ipsum relinquere, eidem gratiæ donum minime conferre, quod sanè est ipsum odire, & randem in lætali crimine decedentem, perpetua damnatione punire; Itidem quoque de cunctis prædestinatis, ac reprobatis dicendum est. Quos enim ab æterno prædestinauit, (inquiebat idem apostolus Rom. viij.) quos inquam præfiniuit in æterna beatitudine secum regnaturos, hos omnes, tum internæ, tum externæ in hoc seculo vocauit ad assentiendum his, quæ fidei sunt, vel virtutis, & quos efficaciter vocauit, hos per gratiam suam iustificauit, quosque iustificauit, illos & in æterna gloria magnificauit, Quos autem & reprobauit, præsciuitque ab æterno ob eorum scelera esse damnandos, hos omnes, vtpote in peccatis ipsis degentes, & obstinatos, merito dereliquit, illis ipsis amplius gratiam non conferendo, sed æternum præstando supplicium. Si quis autem causam rationemq. istiusce prædestinationis, ac reprobationis, scire peroptat legat. D. Thom. j. quæst. xxiij. art. v. ad tertium, & ibidem hanc clare conspiciet; Inquit enim q̃ nõ alunde sumenda est ratio diuinæ prædestinationis aliquorum in communi, & reprobationis aliorum, quam ex diuina bonitate. Vult enim Deus Optimus, in prædestinatis omnibus, suam relucere bonitatem, per modum misericordiæ parcitiue, in reprobatis vero eandem relucere per modum iustitiæ punitiue. Quam sanè causam pulcherrime docet Apostolus Rom. ix. dum inquit. Volens deus ostendere iram suam, iustitiam videlicet vindicatiuam, suæ bonitatis radium, & notam facere potentiam suam, non creatiuam quidem, non vniuersi moderatiuam, non miraculorum effectiuam, sed eam, qua reprobos ipsos, suis non obtemperantes præceptis, in peccatisque obstinatos, æternis

Ratio diuinæ prædestinationis, & diuinæ reprobationis in cõi, ex sola diuina bonitate, sumenda est

æternis subicit penis, sustinuit permisitq́ue quosque peccare volentes, haud tamen ad ipsa inducendo peccata, nec eaipsa volendo, in multa patientia, non illico scelera perpetrantes, interimendo, vel eos, in nihilum redigendo, vt eorum exposcerent crimina, sustinuit, (inquit) pijssimus, & misericors deus huiuscemodi homines, vere vasa iræ, vtpote in seipsis, iustitiæ vindicatiue, opera, continentia, & suis ex vitijs, perpetratisq́ue sceleribus, apta in interitum, æternamq́ue mortem, & vt ostenderet diuitias gloriæ suæ, in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam, vt ostenderet (inquam) diuitias gloriæ suæ abundantiam scilicet bonorum omnium, electos prę parantium, ad gloriamq́ue perducentium. Ipsa etenim, malorum reprobatio, pariter & condemnatio, quàm iustissimæ à deo facta pandit, commendatq́ue sanctorum gloriam, qui ab tali liberantur miseria, perhenniq́ue supplicio. Et vasa misericordiæ, ob id vocitantur electi, quoniam in seipsis, meritoria opera, ex ipsius dei misericordia gratiaq́ue prouenientia, pulcherrimæ continent; Rursusq́ue misericordiæ appellitantur vasa, quia in eisdem diuina bonitas maxime ostenditur, relucetq́ue per modum misericordiæ parcitiuæ, sicut & in reprobis, eadem, relucet per modum iustitiæ punitiuæ. Et quemadmodum vasis iræ, quæ reprobi sunt, sua ob demerita, æternus præparatur interitus, ita vasis misericordiæ, prædestinatis scilicet & electis, sempiterna præparatur gloria. Elucet igitur hisce ex verbis Apostoli, rationem prædestinationis quorundam & reprobationis aliorum in communi, diuinam esse bonitatem, in prædestinatis quidem, per modum misericordiæ parcitiuæ, in reprobatis vero, per modum iustitiæ punitiuæ relucentem. Cur vero hunc vel illum prædestinet vel reprobet, & huic æternam gloriam, illi vero æternam supplicium præstet, nulla alia potest afferri causa, quàm diuina ipsa voluntas. Quare etenim

nim hunc trahat ad gloriam, illum vero non trahat, noli velle iudicare, si non vis errare, inquiebat. D. Augustinus super illud Ioan. vj. Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eũ. Quòd vero nonullos excęcet deus, & induret, nunc superest elucidandum. Et ad huius claritudinem, sciendum est nos hoc in loco, loqui solum de excęcatione & obdurationc ad animam seu mentem spectante, de quibus. D. Thom. plerisque in locis pulcherrime & presertim j. ij. q. art. iij. & iiij. & j. sent. dist. xl. q. iiij. art. ij. & etiam aliqualiter iij. Contra Gen. cap. clxij. circa finem, pertractat. Inquit enim j. ij. quòd excęcatio atque obduratio duo important, quorum alterum est motus animi humani firmiter inhærentis malo, & auersi à diuino lumine secundum se apto, ac præparato, ad illuminandum omnem hominem, in hunc mundum venientem, ad illuminandum inquam omnium mortalium mentes non obstinatas, & quantum ad hoc ponitur hæc negatiua conclusio, scilicet.

Conclusio negatiua.

Deus nullatenus est excęcationis ac obdurationis causa, modo prædicto, at solum peruersa mortalium mens, & praua voluntas;

Quæ probatur, quoniam sicuti deus optimus, ne quaquam est causa malitiæ & culpæ, ita non est prædictæ excęcationis atque obdurationis causa, atqui homo per culpam, lęualéque crimen, propria peruersaque voluntate perpetratum, causa est meritoria. Alterum vero est subtractio gratiæ, ex qua sanè sequitur, humanam mentem diuinitus non illuminari, ad rectè videndum ea quæ ad animæ salutem sunt perneccssaria, & vt cor non emolliatur ad rectè viuendum. Et quantum ad hoc ponitur hæc affirmatiua conclusio, videlicet.

Vtraque posita conclusio præclara probatur similitudine.

Deus causa est excęcationis & obdurationis.

Et vtranque conclusionem pulcherrima similitudinẽ simul declarat, inquiẽs. Quòd sicuti sol vniuersalis

salis est causa illuminationis omnium corporum, ita deus, vniuersalis est causa illuminationis quantum sit ex se omnium animarum, tametsi non vno eodemque modo, quoniam sol illuminando, agit ne cessitate naturæ, deus autem voluntariæ per suæ sapientiæ ordinem. Et quemadmodum sol necessitate naturæ agens, quantum sit ex se, omnia illuminet corpora, si tamen impedimentum aliquod, in aliquo corpore vel loco, inueniat, corpus illud, vel locum, tenebrosum relinquit, sicuti de domo patet habente fenestras clausas, cuius tamen obscurationis sol nullatenus est causa, at ille duntaxat, qui fenestras claudit, ne lumen ingrederetur quo ingressu domus ipsa clarescceret, ita deus verissimus sol, ac solis corporei conditor, quantum sit ex se, & voluntaria actione sua, illuminat, omnium mortalium mentes, illis gratiam suam offerendo; Si tamen mortales ipsi, impedimentum præstent, peccata perpetrando, eisdemque obstinate inhærendo, gratiam suam minime apponit, quia volentibus duntaxat & se ad ipsam recipiendam præparantibus, confert; Eapropter dicimus subtractionis gratiæ & consequenter excæcationis, & obdurationis, causam esse meritoriam, mortales ipsos duntaxat, obicem obstaculumque diuinæ, gratiæ ponentes, per quod eorum animę illuminari nequeunt, deum vero causam esse eiusdem subtractionis gratię, & subinde excæcationis ipsius & obdurationis, quatenus pœnæ quædam sunt, propter hominum malitiam illatæ. Nisi enim esset ipsorum hominum malitia, & culpa, nequaquam esset hæc excæcationis, & obdurationis pœna, quam ipse deus, iustissimo suo iudicio infligit. Cum enim deus optimus non nisi bonum velit, bonum autem sit hunc, vel illum hominem, carere gratia, si eamipsam non vult, vel si ad eam habendam, negligenter se præparat, iccirco iustum est, vt ipsa priuetur, qua priuatione accedente, ipsa excæcatio sequitur & obduratio,

sicque

ficque deus dicitur excęcationis & obdurationis causa, non quidem immittendo malitiam, sed non impartiendo gratiam vt inquit Augustinus ad Sixtum. Et illi soli gratia priuantur, inquit. D. Thom. iij. Contra Gent. cap. clix. circa finem, qui in seipsis gratiæ impedimentum præstant, sicut sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur, tametsi videre non possit, nisi lumine solis præueniatur. Et secundum hanc intelligentiam interpretandæ sunt omnes scripturæ auctoritates, asserentes, deum homines excęcare, & obdurare, vt heæ scilicet. Isa. x. Ego induraui cor Pharaonis, & seruorum illius, & Isaię. vj. Excęca cor populi huius, & aures eius aggraua, ne forte videant oculis suis & conuertantur, & sanem eos. Esa. quoque. lxiij. Errare nos fecisti de vijs tuis, indurasti cor nostrum ne timeremus te. Et Rom. j. Tradidit illos deus in reprobum sensum vt faciant quæ non conueniunt; Et Rom. ix. Cuius vult miseretur, & quem vult indurat. & aliæ similes in scripturis reperte. Omnes enim tales auctoritates, quibus asseueratur deum homines excæcare ac obdurare sic pulcherrime interpretandæ sunt vt inquit & docet. D. Thom. iij. Contra Gen. cap. clxij. quia scilicet auxilia aliquibus subtrahit, pro merito suæ actionis secundum quòd eius iustitia exigit, & potissimum loquendo de subtractione auxilij gratiæ diuinæ. Hinc aiebat. D. Augustinus ad simplicianum scribens, vt citatur à Magistro sent. dist. xl. primi. Non ita intelligendum esse, deum, homines indurare, vt quemquam peccare cogat, sed quòd quibusdam peccatoribus, misericordiam suæ iustificationis non largitur, & ob hoc eos indurare dicitur, quia eorum nō misereatur, non quia impellit vt peccent. Eorum autem non misereatur, quibus gratiam non esse præbendam æquitate occultissima, & ab humanis sensibus remotissima iudicat, quam non aperte, sed mira-

Ex prædicta apparet quonā modo, plures scripturæ auctoritates sint interpretandæ.

tur

tur apostolus, dicens. O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ dei.

Ad argumenta aduersus cõclusionem facta, responsio. Et ad primũ.

Nunc superest argumentis aduersus conclusionẽ ipsam clarissime probatam, factis, respondere. Et ad primum quidem, cum dicebatur. Illud quod ab aliquo vitari non potest, non est ei imputandum, dicitur quòd hæc maior distinguenda est, quoniam in vno sensu vera est, & minor falsa, in altero vero, falsa est, & minor vera, Vera quidem est si sic intelligatur, vt illud non sit alicui imputandum, quod simpliciter & absolute ab ipso vitari non potest, quia scilicet nulla sua virtute, etiam à deo adiuta, aliquid euitare non valet, & tunc hæc minor subsumpta, scilicet, sed à deo reprobatus, vitare non potest quin pereat, falsissima est, quia diuina reprobatio, non quippiam de potentia adimit reprobati, quoniam cum reprobatus gaudeat libero arbitrio, per quod potest bonum operari morale, & meritorium adiutum gratia diuina, quibus operibus saluari potest, & non perire, nec æternam incurrere damnationem, propterea potest reprobatus, absolute consideratus, singulum vitare mortale peccatum & sic damnationem euadere sempiternam. Non enim reprobatus perit, quia absolute & absque demerito deus, ipsum perire velit, atqui solum vult ipsum perire, quia peccauit, & merito iusteque derelictus, ac gratiæ dono priuatus, mortem incurrit æternam. Et sic scripturæ auctoritas intelligitur, vt nemo corrigere possit quem deus merito despexit, id est ab eo iuxtæ gratiam subtraxit; Nunquam enim deus quempiam despiceret, ab eodem gratiam subtrahendo, ni ipse in peccato perseuerans renueret sese ad gratiam præparare, qui, si se nequaquam præparat, nec illam recipit, & eam ipsam non recipiendo, morte punitur æterna. Falsa vero si intelligatur, vt illud non sit alicui imputandum, quod ab eo vitari non potest, aliquo supposito, per quod euitatio impossibilis redditur;

redditur; Suppoſito enim lętali peccato, & in eodem, perſeuerantia, impoſſibile eſt euitare, quin pereat; Cum vero lapſus in peccatum, ab ipſo homine ſit, iccirco eidem imputandum eſt ſi pereat. Nec obſtat, quòd reprobatus nequeat gratiam adipiſci diuinam, & propterea non ſit ei imputandum, quoniam cauſa impotentiæ adeptionis gratiæ, ex ipſo reprobato eſt, qui à peccato abſtinere potuit, & noluit. Qui enim peccatum committit, in eoque maxime delectatur, gratia priuatur, & exitium incurrit. Et hac maiore in hoc ſenſu exiſtente falſa, minor eſt vera, ſcilicet, quòd reprobatus à deo, vitare non poſſit quin pereat, ſuppoſito, ſcilicet peccato vti diximus. Nam ad peccatum perpetratum, & perſeuerantiam in ipſo, mors neceſſario ſequitur æterna.

Soluitur obiectio quadam.

Ad aliud argumentum quo contendebatur probare, quòd deus nullatenus ſit excæcationis, & obdurationis cauſa, quia ſcilicet deus non eſt cauſa eius quo homo fit deterior, ſecundum Auguſtinum, ſed excæcatione, & obdurationc ipſa homo fit deterior, Dicitur, minorem hanc eſſe falſam, quoniam cum excęcatio, & obduratio, prout dicitur, deum, quoſdam excæcare, & obdurare, ſolum importent, gratiæ ſubtractionem, quæ ſubtractio pena quædam eſt, merito iuſteque homini inflicta, propter peccatum, & obſtinationem in illo, ob id, his homo non fit deterior, ſed vt inquit. D. Thom. j. ij. q. lxxix. art. ſiij. ad primum, homo deterior factus per culpam, ipſa priuatur gratia. Et iuſte quidem quia nunquam deus quempiam gratia priuat, niſi prędeunte eius demerito, peccato, ſcilicet, cui obſtinate inhæret. Et hæc de ij. articulo.

Ad ſecundum argumentum.

Articulus tertius.

QVO ad tertium articulum. Quæritur. Num ex eo quòd Deus optimus maximus, quosdam prædestinat, & eligit ad vitam æternam & quosdam reprobat, illis inferendo supplicium æternum, possit iniquus aestuerari, & vt acceptor personarum haberi.

Arguitur ad oppositam partē vnica ratione.

Et hac quidem ratione videtur, quòd sic, quoniam iustitia distributiua exposcit, vt in distributionibus, æqualiter æqualibus, tum respectu bonorum, tum respectu malorum, distribuatur, atqui omnes homines ex originali peccato, in malitia æquales sunt, cum nullis penitus gaudeāt meritis, vt clarissimum extat, igitur omnibus, æqualis debet pœna distribui, nempe diuinæ visionis carentia, vel omnibus per sacrum baptisma renatis, ipsa diuina visio, concedi, & non quibusdam quidem æterna felicitas, quibusdam vero perhenne supplicium, quemadmodum inquit Apostolus Rom. ix. ex Malachiæ sententia. cap. j. inquientis, quòd Iacob dilexit deus, ipsum elegit, ac vitam eidem contulit æternam, Esau autem fratrem suum vterinum odio habuit, & reprobauit, eidem mortem præbuit sempiternam.

Huic quæstioni sanè pulcherrime & admodum curiose, Respondet Apostolus vbi supra hac conclusione videlicet.

Nulla penitus est apud deum iniquitas, tametsi Iacob nullis eius præcedentibus bonis operibus, ab æterno elegerit, ac prædestinauerit, & eidem in tempore, felicitatem contulerit, & ab æterno pariter, Esau absque eius malis operibus, odio habuerit & reprobauerit ac in tempore, miseriam infelicitatemq. sibi parauerit æternam.

Probatur autem præfata conclusio, & scripturæ auctoritate, & ratione. Auctoritate quidem.

Nam

Nam Deuter.xxxij.scribitur. Deus fidelis & absque vlla iniquitate, Ratione vero, quia cum deus sit summæ bonus ac optimus, quinimò sit ipsamet infinita bonitas à qua, omnis creata bonitas effluit & promanat, impossibile est, in eo vllam reperiri iniquitatem, Hæc enim iniquitas solum in his creaturis reperiri valet, quæ voluntatem habent obliquam, ab vltimo fine, qui deus est, deuiantem, dei autem voluntas, ipsa summa est bonitas, omnium finis, à qua quidem, ea ipsa deuiare nequit, quia tunc idem deus, à seipso seiungeretur quod contradictionem implicat. Propterea Marci.x. & Luce. xviij. dicitur, quòd nemo bonus nisi solus deus. Est & dominus summæ iustus, Nam propheta inquit Psal.x. Iustus dominus, & iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius. & Psal. cxviij. Iustus es domine, & rectum iudicium tuum, Item. Psal. cxiiij. Misericors dominus & iustus, & Psal.cxliij. ait. Iustus dominus, in omnibus vijs suis. Hinc fit, vt cum iustissimus sit, nulli iniustiam facere queat.

Rationi oppositæ respõdet. D. Thom.

Rationi autem aduersus conclusionem ipsam, factæ, pulcherrime respondet. D. Thom. Rom. ix. inquiens, quòd Maior propositio assumpta, est vera solum loquendo de iustitia distributiua respectu eorum, quæ ex debito dantur, vt si duo sint in vinea laborantes, quorum alter per totam diem laboret, alter vero per mediam duntaxat diem, iustitia distributiua exposcit, vt plus laboranti, maior debeatur merces, & minus laboranti minor merces & sic ex debito primo laboratori, maior, & secundo minor debetur merces. Si autem æqualiter ambo laborarent eadem iustitia distributiua exigeret, vt ex debito ambobus, æquale redderetur præmium, quod si non fieret, at vni plus, alteri vero minus, à domino vineæ redderetur, iniquus sanè dicentur. Verum in his, quæ sponte; liberaliter, & misericorditer elargiuntur hæc iustitia distributiua, locum minime habetur,

Deum nõ esse iniquum ex aliquorũ prædestinatione, & quorũ dã reprobatione, duobus declaratur aptissimis exemplis.

betur,& propterea falsa,est.Et id duobus ac pulcherrimis declaratur exemplis. Sint enim duo æque, vnum offendentes,si ergo offensus,vni dimittat offensam,& non alteri,certe vni dicetur misericors, & iustus alteri, neutri vero iniquus. Hij duo,prædestinati sunt,& reprobati,qui,tum ex originali, tum ex actuali peccato, deum offenderunt, ac indies offendunt,atqui deus offensus,prædestinatis,remittit, offensam,reprobatis autem minime,nunquid deus ex hoc, iniquus est asserendus? Nequaquam. At prædestinatis misericors est,reprobatis vero iustus,cum expeccato mortem mereantur æternam, & neutri iniquus est asseuerandus. Hoc & altero accommodatiore,propositum,declaratur exemplo. Duo,homicidium aliquod perpetrarunt,ambo,ex hoc mortem merentur, præsentantur iudici, vt debita pœna mulctentur,at sapientissimus iudex, misericordiam suam ostendere volens, simul & iustitiam, vni eorum parcit & condonat vitam, alteri vero mortem inflrgit, ob id certe non iniquus, non iniustus astruendus est iudex, at misericors pariter & iustus Duo homicide homines prædestinati sunt,& reprobi,qui tum originali,tum actuali peccato,seipsos occiderunt, propter quæ æternam merentur damnationem, atqui deus optimus ac sapientissimus omnium iudex, volens, vt in ipso maxime reluceant præclarissimæ hæ perfectiones, misericordia scilicet & iustitia,ipsis ab æterno prædestinatis, & in tempore iustificatis, gloriam confert æternam, sicque eos misericorditer saluat, & vitam condonat, ipsis autem ab æterno reprobatis & in tempore multis inuoluris criminibus, in eisdemque obstinatæ perseuerantibus, ab ipsis merito gratiam subtrahit, & derelinquit, ac perhennem inflgit mortem, & in his iustitiam ostendit, & ita, nulla iniquitatis vel iniustitiæ nota,deus inuritur. Quod optime sub figuli metaphora, ostendit Apostolus. Rom.ix. vbi inquit.

Nunquid

Nunquid dicit figmentum, esto quòd ratione polleret; ei qui se finxit, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa, facere aliud quidem vas, in honorem, aliud vero, in contumeliam? Quòd sanè dictu est, An non habet potestatem deus omnium artifex, & vniuersorum conditor, ex eadem massa, ex eadem scilicet corrupta materia generis humani, sicuti ex quodam vili luto, facere, absque alicuius iniuria, aliud quidem vas in honorem, prædestinatorum, scilicet genus, ipsos vocando, iustificando, & ad gloriam perducendo, aliud vero in contumeliam, reproborum, videlicet, genus, ipsos permittendo vt in varia labantur crimina, & sua ex obstinatione à deo releuari per gratiam contemnendo, contumelioſe in æternum puniantur? Habet sanè liberrimā hanc facultatem, & ob id, vbi supra, inquit Apostolus, Cuius vult misereatur, & quem vult indurat. Ac si apertius dicat, tam misericordia quàm iustitia, ad voluntatem spectant, & propterea cui vult misereatur, eidem misericorditer & gratiam & gloriam tribuendo, & quem vult per iustitiam suam indurat, quoniam quos indurat merentur, vt ab ipso indurentur. Placet autem hoc loco Theophylacti verba adducere, præfata verba interpretantis; Sic enim inquit. Velim tamen intelligas, quòd quemadmodum non ficti ratione, sed vtentium, partim hæc vasa preciosa redduntur, partim vilia, cum ex vno eodemque luto confecta sint, sic in hominibus, non natura, quippe quæ mater sit omnium, sed voluntas, hos facit supplicio dignos, corona, illos, & præmijs. Atqui nondum quiescit mortalium animus, quia inquiunt, pariter & arguunt, Cur non me prædestinauit sicut & alium, quin potius me reprobauit? In hoc enim videtur esse personarum acceptor. Verum id absit à deo. Non enim inquit Apostolus Rom. ij. Ephes. vj. & Colloc. iij. est acceptio personarum apud deum, Et

Quòd nequeat Deus, iniquitatis nota inuri, declaratur apostoli sententia.

Theophylactus.

Obiectio.

Act.x. dicitur Petri ex ore, In veritate comperi, quia non est personarum acceptor deus, sed in omni gente qui timet deum & operatur iustitiam, acceptus est illi. Modo cum quæritur causa prædestinationis vel reprobationis huius vel illius, nullam norunt docto res causam nisi diuinam voluntatem, nihilominus aliqualis huiusce quæstionis responsio ex. D. Augustini dictis, quæ habentur. xxiij. q. iiij c. Nabuchodosor, elicitur vbi sic ait. Nabuchodonosor penitentiam meruit fructuosam. Nonne post innumeras impietates, flagellatus, penituit & regnum quod perdiderat rursus accepit? Pharao autem ipsis in flagellis durior est effectus, & perijt. Hic mihi rationem reddat qui diuinum consilium nimium altæ sapienti corde dijudicat, cur medicamentum vnius medici, confectum, alij ad interitum, alij valuerit ad salutem; nisi quia Christi bonus odor, alijs est odor vitæ, in vitam, alijs odor mortis in mortem. Quantum ad naturam ambo homines erant, quantum ad dignitatem, ambo reges, quantum ad causam, ambo captiuum dei populum possidebant, quantum ad penam, ambo flagellis clementer admoniti; Quid ergo fines eorum fecit esse diuersos? nisi quòd vnus dei manum sentiens, in recordatione propriæ iniquitatis, ingemuit, alter libero contra dei misericordio sissimam veritatem, pugnauit arbitrio? Ex hac enim præclarissima auctoritate, videtur Augustinus aperte dicere, causam nostræ salutis mediam, & proximã, ac cooperatiuam, & perditionis, esse nostrum liberum arbitrium in deum conuersum, vel ab ipso auersum, quo & bonum operari ipso opitulante, & nobis volentibus, & cooperantibus, & malum operari solum ex nobis ipsis possumus, quo certe bono, vitam æternam, & malo, supplicium nanciscimur sempiternum. Licet enim deus hunc prædestinet: velitque sibi gloriam impartiri, non tamen vult eam ipsam præstare, ni per debita, ac necessaria incedat media,

De Prædest. & gratia. cap. xv. Ad obiectionem prætactã, respõdet D. Aug.

media, quæ opera sunt meritoria, quibus eam ipsam meremur, quibusque ex iustitia tribuit, iuxta illud apostoli. ij. ad Timoth. iiij. Bonum certamen certari, cursum consumaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die iustus iudex. Similiter licet deus hunc reprobet, nequaquam illi vnquam gehennam inferret æternam, nisi suo ex libero arbitrio, mala perpetraret opera, diuinæ repugnaret gratiæ, & in eisdem malis perseueraret operibus; Et huic dicto fauet. D. Augustinus cap. supra citato, vbi inquit. Vasis iræ nunquam deus redderet interitum, si non spontaneum inueniretur homo habere peccatum. At rursus quispiam obijcier, dicens, deus, non ita efficaciter reprobatum mouet ad gratiam, & perseuerantiam, sicut prædestinatum, & propterea non conuertitur nec perseuerat sicuti prædestinatus. Ad hoc rationabiliter dici potest, salua semper veritate, ac meliori iudicio, ecclesiæque catholicæ determinatione, cui me in omnibus assertionibus meis semper submitto, quòd tametsi, non ita efficaciter reprobatum moueat, & vocet, sicuti prædestinatum, nihilominus tanta est diuina motio, & vocatio, tum interna, tum externa, vt ni ipse libero suo arbitrio, liberaque voluntate, peccato pertinaciter inhærente, eidem resistat, conuerti ad deum valeat & saluari, eum reprobatio, nullam absolutam, reprobato, necessitatem imponat; Licet enim præscientia meritorum non sit prædestinationis causa, nisi modo supra declarato, præscientia tamen demeritorum causa est reprobationis quo ad vltimum effectum, nempe damnationē, quoniam propter demerita ad mortalium, à deo præscita, nec tam ab ipso præparata, ab æterno decreuit deus, quosdam esse perpetuo puniendos. Ni igitur peccarent, mortaliter vel si peccando resipiscerent, nequaquam damnationem incurrerent sempiternam. Sufficienter itaque mo-

Rursus obijcitur. Obiectioni respondetur.

uet deus, & vocat illum, qui reprobatus est, at quia malo pertinaciter adhæret, cum in illo maxime delectetur, & propterea nolit se ad gratiam præparare, quam cunctis, non obicem ponentibus, deus optimus præbet, nec vllatenus velit ad ipsum deum assidue vocantem conuerti ideo perditio & æterna damnatio, solum ex seipso est. Hinc Oseas. cap. xiij. aiebat. Perditio tua ex te Israhel est, tantummodo in me auxilium tuum. Nemo itaque de deo conqueratur quòd pereat, & damnationem incurrat, quia est ab ipso reprobatus, atqui de seipso duntaxat, qui lætalia peccata committit, in ipsisq. perseuerat, quoniam nisi, ea committeret, eaque obstinate completeretur, nequaquam damnationem subiret Diuinæ enim ordo iustitiæ exposcit, vt propter peccata morte puniatur æterna. Et hæc de tertio articulo.

Articulus quartus.

QVO ad quartum, & vltimum. Quæritur, Cur Deus Optimus Maximus homines condiderit: vel gigni permittat, quos ab æterno præsciuit esse damnandos? Ad quæstionem hanc sanè curiosam, respondetur, hac conclusione.

Conclusio Deum, scilicet ob id homines facere, quos ab æterno præsciuit esse damnandos, vt eius bonitas, sapientia pariter & prouidentia, potentia simul & iustitia, refulgeant.

Conclusionis declaratio. Et diuina quidem bonitas ex hoc splendescit; Quia cum deus ipse sit summæ infiniteque bonus, ad quam mehercle bonitatem sequitur sui ipsius diffusio, ac communicatio, eapropter deus vt hanc suã prodat bonitatem, omnibus creaturis, esse communicat, suæ sanè bonitatis, radium, quo carentes, & hac præclara bonitate, carerent. Ne igitur damnandi hac ipsa bonitate perfectioneque priuentur, iccirco & ab æterno voluit & vult damnandos omnes,

tum

tum angelos, tum homines hoc substantiali esse gaudere. Hanc ob rem aiebat Augustinus lib. ij. De Nupt. & concupisce. cap. xvij. Sic itaque creat malos, quomodo pascit & nutrit malos, quia quod eis creando tribuit, ad naturæ pertinet bonitatem, & quod eis, pascendo, & nutriendo, dat incrementum, non vtique malitiæ eorum, sed eidem bonæ naturę, quam creauit bonus, bonum tribuit adumentum. Inquantum enim homines sunt, bonum est naturæ, cuius author est deus, inquantum autem cum peccato nascuntur perituri, si non renascuntur, ad semen pertinet maledictum, ab initio illius antiquæ inobedientiæ vitio. Et hoc quidem quod dicitur, hac similitudine declaratur. Sicut enim artifex, gladium facere non ommittit, tametsi præsciuerit eundem maculam, siue rubiginem contracturum, ita omniū artifex, deus, homines facere, ac producere nequaquam ommittit, tametsi norit ab æterno, peccatorum maculas contracturos. Et sicuti etiam non ommitteret præfatus artifex, gladium facere etiam si sciret omnino ipsum esse frangendum, ita & deus non ommittit homines producere, etiam si præscierit ipsos esse, æterno suppliciorum ictu frangendos. Sapientia vero pariter & prouidentia in hoc optime claresci, quoniam ad sapientissimum spectat prouisorem omnia pulcherrime disponere, cuncta in finem dirigere, & vt ipsum attingant, ni ipsorum malitia obstet, eisdem opitulari, vtque bonum totius vniuersi conseruet, foueat, & moderetur, etiam cum boni particularis destructione, quoniam bonum vniuersale diuinius est, & propterea si conseruari nequeat absque destructione boni particularis eius destructio permittenda est, vt vniuersale bonum subsistat; Si enim non esset quorundam animalium particularium mors, perirent sanè complures animalium rapacium species, ne igitur pereant, prouidit deus, vt particularium corruptio permittatur & accidat;

Exemplū aptissimū ad conclusionis claritudinē.

Hanc eandem rationē prius tetigit apostolus Rom. ix. inquiens. Volens deus ostendere iram & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia, vasa iræ in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ, in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Super quibus verbis vltimis, inquit. D. Thom. Signanter autem dicit. Vt ostenderet diuitias gloriæ suæ, quia condemnatio, & reprobatio malorum, quæ est secundum dei iustitiam, manifestat & commendat sanctorum gloriam, qui ab ipsa tali miseria liberantur. Diuus quoque August. lib. ij. De Nuptijs & Concupisc. cap. xvij. hæc eadem apostoli verba declarans, inquit. Bene vtitur factor etiam vasorum iræ, vt notas faciat diuitias gloriæ suæ, in vasa misericordiæ, ne meritis suis tribuat, si ad eandem massam quisque pertinens gratia liberetur. Libet hoc verbum addere, Deum, videlicet, condidisse, quos præsciuit esse damnandos, vt humana ex hoc retunderetur arrogantia, atque præsumptio. Nam si tales minime fecisset, facile credidissent præsumpsissentque homines sua ex propria naturaliqúe virtute, ac suis ex operibus absque dei gratia se posse saluari. Vt itaque cum Apostolo ad Tit. iij. fateamur, non ex operibus iustitiæque fecimus nos atqui secundum misericordiam suam, deum ipsum, nos saluos effecisse, ob id sapientissime, decreuit nonnullos mortalium esse damnandos. Postremo dicitur, quòd si deus non permisisset permitteretque, gigni quos ab æterno præsciuit esse damnandos, completi non posset electorum numerus in superna felicitate locandus, iuxta æternam ipsius prædestinationem, quandoquidem ex bonis, mali, & ex reprobis, electi nascantur, vt Diuus docet Ambrosius Rom. ix. Super illis verbis. Non solum autem hæc, id est Sara, sed & Rebecca ex vno concubitu, habens Isaac patrem nostrum, circa finem, inquit. Nec enim quia Iacob laudatur, omnes ex eo nati filij, eius merito

dicendi

dicendi sunt, filij, scilicet credentes, & ad æternam fœlicitatem electi, aut quia Esau displicet, omnes ex eius origine reprobi sunt, cum videamus, & de Iacob traduce natos, factos perfidos, & de Esau, fideles & deo caros. Nam quia & de Iacob multi sunt perfidi, dubium non est. Omnes enim Iudæi non credentes, aut credentes ex eo habent originem, & quia de Esau sunt boni, & fideles, probat Iob. qui est ex filijs Esau quintus ab Abraham, hoc est nepos Esau. Et hæc de quarto articulo, & diuina reprobatione, dicta sufficiant.

Quæstio de Diuinis relationibus.



VAERITVR deinde an in diuinis nonnullæ sint admittende, ac ponẽde relationes reales, vt eas, quæ rationis sunt ommittamus, quoniam reales ex natura rei, non ex intellectus opere, consurgere dicimus.

Et ad quæstionem hanc, affirmatiue respondemus, dicentes necessarium omnino fore, supposita Catholica fide, vt in deo, siue natura diuina, tales relationes ponamus reales. Est nanque in deo ipso, siue natura diuina, vere paternitas, à, qua vt inquit Apostolus, omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur. Est & filiatio, communis actiua spiratio, & ipsa passiua processio, quę quatuor relationes reales sunt, ex ipsa rei natura consurgentes. Nam dum deus pater, filium gignit, ex tali generatione consurgit relatio paternitatis, & filiationis, dumque pater & filius, spirant spiritum sanctum, ex tali spiratione, actiua & communis spiratio, innascitur, & passiua spiratio, quæ communi nomine (vt Theologis placet) processio vocitatur. Proprijs enim caremus nominibus, has duas postremas relationes exprimentibus, & propterea præfatis nominibus has ipsas appellamus; quanquam vt inquit Diuus Thomas, j.q xxviij.art.iiij. hæc duo nomina, ad ipsas processiones, & origines, non autem ad relationes formaliter pertineant non ad relationes; Sumuntur autem hæ quatuor relationes, duæ quidem secundum actionem, seu processionem intellectus, scilicet paternitas & filiatio, duæ vero secundum actionem siue processionem voluntatis, scilicet communis spiratio & ipsa passiua processio. Nemo tamen arbitretur qua

In Deo quattuor sunt relationes reales, videlicet paternitas, filiatio, actiua spiratio, & passiua processio.

quatuor hasce relationes in deo accidentia fore, quoniam, id est impossibile, cum accidens omne, sua pte natura, secum imperfectionem ferat, & in deo imperfectum aliquid nullatenus esse queat, quare eas ipsas, substantiam dicimus esse diuinam. Sunt enim hæ prædictæ relationes infinite, infinitate sim pliciter, nempè in genere entis & ob id illimitationem habent, sicque eędem penitus sunt cum essentia diuina, quo ad esse reale, differunt vero secundum rationem formalem, quoniam essentia diuina est ad se, & absolutum omnino importat, relationes vero ad aliud sunt, & respectum dicunt, realem tamen.

Ad prædictam instantiam responsio, & negatur maior quæ in duplici sensu falsa ē.

Conueniunt tamen hæ diuinæ relationes, cum creaturarum relationibus, quo ad hoc, quia sicut relationes in creaturis existentes quæ accidentia sunt, habent esse ad, & esse, in, ad, quidem, quia concreta, per ipsas relationes constituta ad aliud referuntur, in, vero, quia suo inhærent subiecto nempè substantiæ, ita relationes diuine, vtrunque habent, & ad, quidem, quia diuinæ personæ, per ipsas constitute, respectum ad aliud dicunt, ad suum, scilicet correlatiuum, vt pater diuinus, paternitate ipsa constitutus, ad filium vti proprium correlatiuum refertur, & econtra, esse, in, vero non quidem quod diuinæ inhæreant essentiæ, sed quia eidem realiter identificantur. Dicimus enim præfatas relationes esse in deo; Ad quod esse, in, non attendentes Porretani, dixerunt huiusmodi relationes diuinas, solum esse assistentes, & nō esse in ipsis personis, quod erroneum est in fide. Veruntamen Gilbertus Porretanus errorem suum reuocauit in Remensi concilio vt testatur. D. Thom. j. q. xxviij. art. ij. & j. sent. dist. xxxiij. q. j. art. j. Nihil enim prohibet inquit. D. Thomas de potentia dei. q. vij. art. ij. Aliquid esse inhærens quod tamen non significatur vt inhærens, sicut actio non significatur vt in agente, sed vt ab agente, & tamen constat actionem ipsam, non quidem quo ad absolutum,

lutum, sed quo ad relationē importatam, seu potius connotatam per actionem ipsam, esse in agente. Et sic dicimus relationes ipsas diuinas esse in deo, siue essentia diuina, quia idemptice sunt in ea. Asserere autem præfatas relationes, realiter ab inuicem distingui, id nonnullam patitur difficultatem ob Aureolum. ij. dist. j. q. iij. art. iij. arguentem aduersus sancti Thomæ doctrinam, ex Arist. dicto iij. physicorum Tex. com. xx. &. xxj. vbi habetur propositio quæ & adducitur ab ipso. D. Thoma Prima q. xxviij. art. iij. in j. argumento videlicet.

Aureoli argumentum quæ probare nititur, relationes diuinas, inter se realiter minime distingui

Quæcunque vni & eidem sunt eadem, sunt etiam eadem inter se, Tunc sub ista propositione, minorem talem assumit, sed omnes relationes reales in deo existentes sunt eædem diuinæ essentiæ, vt pote eidem realiter idemptificate, igitur sunt eædem inter se, igitur non realiter distinguuntur. Verum si respondeatur vt respondet Arist. vbi supra Tex. com. xxj. &. D. Thomas ad primum loco citato, quod præfata propositio, intelligenda est, de his quæ sunt idem, re, & ratione, sicut tunica, & indumentum, non autem de his quæ ratione differunt, sicuti inquit Arist. de actione & passione, quæ licet, sint idem motui realiter, quia tamen non sunt idem ratione, cum motus dicat solum quid absolutum, actio aūt dicit absolutum sub respectu, & similiter passio, propterea non sequitur, quod si indemptificentur realiter, in motu, idemptificentur inter se. Contra inquit Aureolus, quia hic modus respōdendi, difficultatem minime euadit, quia talis est idemptitas extremorum inter se, qualis est eorum idemptitas in medio, at paternitas & filiatio, secundum hanc diui Thomæ positionem sunt idem secundum rem diuinæ essentiæ, licet ratione differant, igitur paternitas & filiatio, sunt idem realiter inter se, & sic sequi videtur, quod pater & filius, sola ratione seiunguntur quod Sabellianam sapit hæresim. Maior assumpta proba-

Aduersus responsionē datā, instat Aureolus.

tur,

tur, quia aliter tollitur omnis syllogistica forma, & demonstratiua, quæ ex hoc principio tenet.

Ad prædictam instantiam responsio, & negatur maior quæ in duplici sensu falsa ē.

Ad hoc argumentum neganda est maior propositio, præsertim cum medium est idem extremis idem prīce solum, & non formaliter, quod est esse idem idemptitate rei, & non rationis, vel cum tale medium idemptificatur ipsis extremis quasi per accidens, sicuti idemptificatur ipsa diuina essentia, relationibus, seu diuinis personis, cum idemptificetur veluti res vnius generis, rei alterius generis, seu ficti absolutum, respectiuo; Possunt quippe extrema idemptificata per accidens in medio, minorem inter se idemptitatem habere, quam habeant in medio, quemadmodum duæ differentiæ realiter in suo genere conuenientes, minorem habent inter se idemptitatem, quam habeant in medio, quoniam inter se realiter discriminantur, generi autem suo, realiter vniuntur. Quod autem diuina essentia, quasi per accidens extremis coniungatur, ac idemptificetur, & econtra, patet cum dicitur, pater est essentia, vel econtra, essentia est pater, quoniam huiusmodi prædicationes, non propter idemptitatem significationis subiecti & prædicati, veræ sunt, at propter idemptitatem rei subiecti, & prædicati, quia pater, sua ex significatione, non essentiam, at relationem solam significat & similiter essentia, non relationem nec patrem significat, sed naturam absolutam, tametsi vna ac eadem res sint. Falsa quoque redditur ipsa maior ex eo quoniam si extrema debent inter se vniri, ac eadem esse realiter, necessum est, vt vtrunque extremorum, seorsum, idemptificet sibi ipsum medium in quo conueniunt, adæquate, quod in proposito nequaquam repperitur, quia pater non adæquate idemptificat sibi essentiam, similiter nec filius, quoniam non solum pater est essentia diuina, sed & filius, & essentia diuina non solum est pater, sed & filius. Quare maior assumpta ab ipso aureolo falsissima est. Et dicimus

mus maiorem prædictam non posse verificari nisi quando extrema per se, & non per accidens, medio idemptificantur, vel quando eidem medio, adæquate, & conuertibiliter idemptificantur, quod hic minime obseruatur, & ideo vti falsissima negatur. Si vero accidat regulam hanc verificari præfatis his minime seruatis, id solum verificabitur gratia materiæ, non item gratia formæ. Et cum illam probat, quia illa negata tolleretur syllogismorum forma, quoniam ex vnitate medij inferuntur extrema coniuncta. Ad probationem hanc negatur assumptum, nec verum est, syllogisticam formam, super illa regula primi priorum fundari, at super hac, scilicet, Eadem medio, sunt eadem inter se, quæ quidem propositio duplicem sensum & verum, habere potest, & primum quidem vt asseramus (vni iam dictum est) quod quando extrema sunt eadem medio re, & ratione, tunc sunt eadem inter se nec aliter. Secundum vero, vt quando extrema ipsi medio idemptificantur sunt eadem inter se, quantum ad id in quo, idemptificantur medio, non autem quo ad id in quo idemptitatem minime habent, exemplum ad hoc propositum ab Arist. habetur. iij. physicorum, loco adducto. Nam quia actio & passio, idemptificantur in motu, & non secundum proprias & formales rationes, quoniam actio dicit motum cum habitudine ad agens, à quo originatur, & passio, motum vt in passo receptum, cum habitudine in passo fundata, & ad agens terminata, propterea dicimus & vere, quod actio est passio, quo ad id in quo conueniunt & sunt eadem tertio; Et est dictu, actio est passio secundum motum, seu quo ad motum, siue materialiter, quoniam sunt idem motus numero. Similiter dici potest, quod quia pater, & filius, idemptificantur essentiæ, & esse diuino, ob id vere dicimus, filium esse idem patri secundum essentiam, siue secundum esse. Transitur igitur semper in huiusmodi argumenta-

Quando verificetur ista propositio Aristotelica. Quæcunque vni & eidem sunt eadem, sunt etiam eadem inter se. Vel talis est idemptitas extremorum inter se, qualis est eorum idemptitas in medio.

cessio, ratione originis oppositionem ad paternitatem, & filiationem habet.

Dubium oritur ex Scoto, an æqualitatis relatio, i deo sit realis.

Atqui dubium oritur de relatione æqualitatis, similitudinem includentis, in deo optime posita, an realis sit, an rationis duntaxat. Et Scotus quidem dist.xxx. j. sent.quæst. j. & in quolibetis.q. vj. tenet ipsam æqualitatem in deo, relationem esse realem, cuius argumenta recitantur à Capreolo. xxxj. dist. j. & à Reuerendissimo Caietano. j.q.xlij. art.j. in respons. ad quartum & dissoluuntur, propterea non est opus, ea ipsa, hoc in loco adducere, sed solum D. Thom. opinionem veriſſimam ponere, Scoti opinioni contrariam, suis cum efficaciſſimis fundamentis, ex quibus sanè patebit veritas ipsa, simul & falsitas Scotice opinionis.

Scoti opinio.

Apertissime igitur. D. Tho. hanc sustinet conclusionem, videlicet, æqualitatem in deo repertam, non relationem realem, at rationis duntaxat esse.

Et hanc ipsam primo declarat. prima quæst. & art. supracitatis, in respons. ad quartum inquiens, quod in diuinis personis, nihil est considerare, nisi essentiam, in qua communicant, & relationes, in quibus distinguuntur. Aequalitas autem (subdit) vtrunque importat. s. personarum distinctionem, quia nihil sibijpsi æquale dicitur, & vnitatem essentiæ, quoniam ex hoc personę, æquales sibijnuicem esse dicuntur, quia vnius sunt magnitudinis, & essentiæ. Constat autem quod idem ad seipsum relationem non habet realem, nec rursus vna relatio, ad aliam refertur per aliquam aliam relationem mediam, quia sic relatio, in infinitum multiplicaretur. Et propterea concludit quod æqualitas, & similitudo in diuinis personis, non est aliqua relatio à relationibus personalibus distincta, atqui in suo intelle ctu includit & relationes distinguentes personas, & essentiæ vnitatem. Itidem asserit dist.xxxj. j. quæst. j. art. j. in Cor. inquiens, quod æqualitas quo ad

relatio

relationem in creaturis, realiter aliquid ponit in vtroque extremorum, at in diuinis personis, nil nisi secundum rationem, & rationem subdit, quia si poneret aliquam relationem realem in personis, aut hoc esset ex parte essentiæ quæ communis est, aut ex parte relationum quibus distinguuntur, sed non ex parte essentiæ, quia cum essentia vna eadem que numero sit, & idem ad seipsum relatione reali referri nequeat, talis relatio, realis esse non poterit, nec ex parte relationum personas distinguêtium, quia relatio, non refertur ad aliam, aliqua relatione reali media, aliter in infinitum esset abire, hæc D. Thomas. Ad quorum claritudinem annotandum est, quod ad hoc vt relatio, realis esse dicatur, operæprecium est vt sit inter duo extrema realia, & realiter distincta, quorum quodlibet possit relationem fundare. Quamobrem dicitur, quod licet pater & filius in diuinis, sint extrema realia, & realiter distincta, vt tenet catholica fides, contra Sabelium hæreticum, quia tamen non sunt suppositа, & extrema absoluta, sed relatiua duntaxat, ex quibus non potest innasci relatio media realis, ob id nequeunt relationem æqualitatis fundare, quæ realis esse dicatur.

Aduersus præfatam conclusionem, obiectio.

Atqui contra quispiam dicet, quod quia diuinæ personæ veriſſime æquales nunc sunt, nullo intellectu circa eas negociante, iccirco æqualitas non relatio rationis est, quæ solum per intellectum extat, sed realis, vtpotè extra intellectum existens.

Obiectioni respondetur.

Ad hoc respondetur quod æqualitas in diuinis, duo dicit, vnitatem. ſ. naturæ vel essentiæ, & magnitudinis virtualis, siue perfectionalis, & relationem quæ talem consequitur vnitatem. Si itaque nullus intellectus circa ipsas diuinas personas negotiaretur, remaneret equidem æqualitas, quo ad prædictam vnitatem naturę vel magnitudinis, non autem quo ad relationem super tali vnitate fundatam, & propterea non realis, at rationis asseueratur.

dicendi sunt, filij, scilicet credentes, & ad æternam fœlicitatem electi, aut quia Esau displicet, omnes ex eius origine reprobi sunt, cum videamus, & de Iacob traduce natos, factos perfidos, & de Esau, fideles & deo caros. Nam quia & de Iacob multi sunt perfidi, dubium non est. Omnes enim Iudæi non credentes, aut credentes ex eo habent originem, & quia de Esau sunt boni, & fideles, probat Iob. qui est ex filijs Esau quintus ab Abraham, hoc est nepos Esau. Et hæc de quarto articulo, & diuina reprobatione, dicta sufficiant.

*

Quæstio de Diuinis relationibus.

VAERITVR deinde an in diuinis nonnullæ sint admittende, ac ponēde relationes reales, vt eas, quæ rationis sunt omittamus, quoniam reales ex natura rei, non ex intellectus opere, consurgere dicimus.

Et ad quæstionem hanc, affirmatiue respondemus, dicentes necessarium omnino fore, suppositā Catholica fide, vt in deo, siue natura diuina, tales relationes ponamus reales. Est nanque in deo ipso, siue natura diuina, vere paternitas, à, qua vt inquit Apostolus, omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur. Est & filiatio, communis actiua spiratio, & ipsa passiua processio, quę quatuor relationes reales sunt, ex ipsa rei natura consurgentes. Nam dum deus pater, filium gignit, ex tali generatione consurgit relatio paternitatis, & filiationis, dumque pater & filius, spirant spiritum sanctum, ex tali spiratione, actiua & communis spiratio, innascitur, & passiua spiratio, quæ communi nomine (vt Theologis placet) processio vocitatur. Proprijs enim caremus nominibus, has duas postremas relationes exprimentibus, & propterea præfatis nominibus has ipsas appellamus; quanquam vt inquit Diuus Thomas, j.q xxviij.art.iiij.hæc duo nomina, ad ipsas processiones, & origines, non autem ad relationes formaliter pertineant non ad relationes; Sumuntur autem hæ quatuor relationes, duæ quidem secundum actionem, seu processionem intellectus, scilicet paternitas & filiatio, duæ vero secundum actionem siue processionem voluntatis, scilicet communis spiratio & ipsa passiua processio. Nemo tamen arbitretur qua

In Deo quattuor sunt relationes reales, videlicet paternitas, filiatio, actiua spiratio, & passiua processio.

Ad prædictam instantiam responsio, & negatur maior quæ in duplici sensu falsa ẽ.

quatuor hasce relationes in deo accidentia fore, quoniam, id est impossibile, cum accidens omne, sua pte natura, secum imperfectionem ferat, & in deo imperfectum aliquid nullatenus esse queat, quare easipsas, substantiam dicimus esse diuinam. Sunt enim hæ prædictæ relationes infinite, infinitate similiter, nempè in genere entis & ob id illimitationem habent, sicque eędem penitus sunt cum essentia diuina, quo ad esse reale, differunt vero secundum rationem formalem, quoniam essentia diuina est ad se, & absolutum omnino importat, relationes vero ad aliud sunt, & respectum dicunt, realem tamen. Conueniunt tamen hæ diuinæ relationes, cum creaturarum relationibus, quo ad hoc, quia sicut relationes in creaturis existentes quæ accidentia sunt, habent esse ad, & esse, in, ad, quidem, quia concreta, per ipsas relationes constituta ad aliud referuntur, in, vero, quia suo inhærent subiecto nempè substantiæ, ita relationes diuine, vtrunque habent, & ad, quidem, quia diuinæ personæ, per ipsas constitute, respectum ad aliud dicunt, ad suum, scilicet correlatiuum, vt pater diuinus, paternitate ipsa constitutus, ad filium vti proprium correlatiuum referrtur, & econtra, esse, in, vero non quidem quod diuinæ inhæreant essentiæ, sed quia eidem realiter identificantur. Dicimus enim præfatas relationes esse in deo; Ad quod esse, in, non attendentes Porretani, dixerunt huiusmodi relationes diuinas, solum esse assistentes, & nõ esse in ipsis personis, quod erroneum est in fide. Veruntamen Gilbertus Porretanus errorem suum reuocauit in Remensi concilio vt testatur. D. Thom. j. q. xxviij. art. ij. & j. sent. dist. xxxiij. q. j. art. j. Nihil enim prohibet inquit. D. Thomas de potentia dei. q. vij. art. ij. Aliquid esse inhærens quod tamen non significatur vt inhærens, sicut actio non significatur vt in agente, sed vt ab agente, & tamen constat actionem ipsam, non quidem quo ad absolutum,

lutum, sed quo ad relationē importatam, seu potius connotatam per actionem ipsam, esse in agente. Et sic dicimus relationes ipsas diuinas esse in deo, siue essentia diuina, quia idemptice sunt in ea. Asserere autem præfatas relationes, realiter ab inuicem distingui, id nonnullam patitur difficultatem ob Aureolum. ij. dist. j. q. ij. art. iij. arguentem aduersus sancti Thomæ doctrinam, ex Arist. dicto iij. physicorum Tex. com. xx. &. xxj. vbi habetur propositio quæ & adducitur ab ipso. D. Thoma Prima q. xxviij. art. iij. in j. argumento videlicet.

Quæcunque vni & eidem sunt eadem, sunt etiam eadem inter se, Tunc sub ista propositione, minorem talem assumit, sed omnes relationes reales in deo existentes sunt eædem diuinæ essentiæ, vt pote eidem realiter idemptificate, igitur sunt eædem inter se, igitur non realiter distinguuntur. Verum si respondeatur vt respondet Arist. vbi supra Tex. com. xxj. &. D. Thomas ad primum loco citato, quod præfata propositio, intelligenda est, de his quæ sunt idem, re, & ratione, sicut tunica, & indumentum, non autem de his quæ ratione differunt, sicuti inquit Arist. de actione & passione, quæ licet, sint idem motui realiter, quia tamen non sunt idem ratione, cum motus dicat solum quid absolutum, actio aūt dicit absolutum sub respectu, & similiter passio, propterea non sequitur, quod si indemptificentur realiter, in motu, idemptificentur inter se. Contra inquit Aureolus, quia hic modus respōdendi, difficultatem minime euadit, quia talis est idemptitas extremorum inter se, qualis est eorum idemptitas in medio, at paternitas & filiatio, secundum hanc diui Thomæ positionem sunt idem secundum rem diuinæ essentiæ, licet ratione differant, igitur paternitas & filiatio, sunt idem realiter inter se, & sic sequi videtur, quod pater & filius, sola ratione seiunguntur quod sabellianam sapit hæresim. Maior assumpta probatur,

Aureoli argumentum quæ probare nititur, relationes diuinas, inter se realiter minime distingui

Aduersus responsionē datā, instat Aureolus.

tur, quia aliter tollitur omnis syllogistica forma, & demonstratiua, quæ ex hoc principio tenet.

Ad prædictam instantiam responsio, & negatur maior quæ in duplici sensu falsa ē.

Ad hoc argumentum neganda est maior propositio, præsertim cum medium est idem extremis idem ptice solum, & non formaliter, quod est esse idem idemptitate rei, & non rationis, vel cum tale medium idemptificatur ipsis extremis quasi per accidens, sicuti idemptificatur ipsa diuina essentia, relationibus, seu diuinis personis, cum idemptificetur veluti res vnius generis, rei alterius generis, seu sicuti absolutum, respectiuo; Possunt quippe extrema idemptificata per accidens in medio, minorem inter se idemptitatem habere, quam habeant in medio, quemadmodum duæ differentiæ realiter in suo genere conuenientes, minorem habent inter se idemptitatem, quam habeant in medio, quoniam inter se realiter discriminantur, generi autem suo, realiter vniuntur. Quod autem diuina essentia, quasi per accidens extremis coniungatur, ac idemptificetur, & econtra, patet cum dicitur, pater est essentia, vel econtra, essentia est pater, quoniam huiusmodi prædicationes, non propter idemptitatem significationis subiecti & prædicati, veræ sunt, at propter idemptitatem rei subiecti, & prædicati, quia pater, sua ex significatione, non essentiam, at relationem solam significat & similiter essentia, non relationem nec patrem significat, sed naturam absolutam, tametsi vna ac eadem res sint. Falsa quoque redditur ipsa maior ex eo quoniam si extrema debent inter se vniri, ac eadem esse realiter, necessum est, vt vtrunque extremorum, seorsum, idemptificet sibi ipsum medium in quo conueniunt, adæquate, quod in proposito nequaquam repperitur, quia pater non adæquate idemptificat sibi essentiam, similiter nec filius, quoniam non solum pater est essentia diuina, sed & filius, & essentia diuina non solum est pater, sed & filius. Quare maior assumpta ab ipso aureolo falsissima est. Et dicimus

mus maiorem prædictam non posse verificari nisi quando extrema per se, & non per accidens, medio idemptificantur, vel quando eidem medio, adæquate, & conuertibiliter idemptificantur, quod hic minime obseruatur, & ideo vti falsissima negatur. Si vero accidat regulam hanc verificari præfatis his minime seruatis, id solum verificabitur gratia materiæ, non item gratia formæ. Et cum illam probat, quia illa negata tolleretur syllogismorum forma, quoniam ex vnitate medij inferuntur extrema coniuncta. Ad probationem hanc negatur assumptum, nec verum est, syllogisticam formam, super illa regula primi priorum fundari, at super hac, scilicet, Eadem medio, sunt eadem inter se, quæ quidem propositio duplicem sensum & verum, habere potest, & primum quidem vt asseramus (vni iam dictum est) quod quando extrema sunt eadem medio re, & ratione, tunc sunt eadem inter se nec aliter. Secundum vero, vt quando extrema ipsi medio idemptificantur sunt eadem inter se, quantum ad id in quo, idemptificantur medio, non autem quo ad id in quo idemptitatem minime habent, exemplum ad hoc propositum ab Arist. habetur. iij. physicorum, loco adducto. Nam quia actio & passio, idemptificantur in motu, & non secundum proprias & formales rationes, quoniam actio dicit motum cum habitudine ad agens, à quo originatur, & passio, motum vt in passo receptum, cum habitudine in passo fundata, & ad agens terminata, propterea dicimus & vere, quod actio est passio, quo ad id in quo conueniunt & sunt eadem tertio; Et est dictu, actio est passio secundum motum, seu quo ad motum, siue materialiter, quoniam sunt idem motus numero. Similiter dici potest, quod quia pater, & filius, idemptificantur essentiæ, & esse diuino, ob id vere dicimus, filium esse idem patri secundum essentiam, siue secundum esse. Transitur igitur semper in huiusmodi argumenta-

Quando verificetur ista propositio Aristotelica. Quæcunque vni & eidem sunt eadem, sunt etiam eadem inter se. Vel talis est idemptitas extremorum inter se, qualis est eorum idemptitas in medio.

tionibus aureoli ab idemptitatis qualitate ipsorum extremorum in medio, ad idemptitatem simpliciter inter se, quod fieri minime licet. Quis enim tam hebetis est ingenij, vt astruat quod quia homo & equus idemptificantur in animali, quæ idemptitas, est solum generica, idemptificentur simpliciter inter sese? Nonne hic, à qualitate idemptitatis extremorum in tertio, ad idemptitatem eorundem inter se simpliciter, transitur? Nimirum igitur si nulla sua sunt argumenta.

Obiectio At amplius quispiam obijciet, quod si pater ac filius ab ipsa diuina essentia sola ratione distinguuntur, & hos quoque sola ratione inter se distingui oportere.

Responsio Huic obiectioni pulcherrime respondet Diuus Thomas dicens, id minime sequi, quoniam ea solum in diuinis sunt realiter distincta, quæ oppositionem relatiuam habent adinuicem, cum autem ratio essentiæ, rationi patris, ac filij, minime opponatur, pater autem & filius relatiue opponantur, hinc fit, vt pater & filius, vtpotè oppositionem relatiuam habentes, realiter distinguantur, non autem pater & filius, ab ipsa essentia.

Maius, ex responsione, oritur dubium. Atqui maius hinc oritur dubium. Quia si sola oppositio relatiua in diuinis distinctionem causat realem, sanè sequi videtur, non omnes relationes etiam personales, ipsas diuinas constituentes personas, quinimò quæ sicut ipsemet personæ, realiter distingui, quia non omnes oppositionem habent ad inuicem. Nam clarissime constat, processionem, seu processionis relationem, Spiritum sanctum constituentem, nullam habere ad paternitatem & filiationem, oppositionem, igitur talis processio seu processionis relatio, non realiter à duabus præfatis secernitur, indeq; sequitur quod nec Spiritus sanctus, à patre & filio realiter distinguatur, quod hæreticum prorsus est asserere.

Ad

Ad hoc argumentum, quod non modicam habet apparentiam, dicitur, quod cum oppositio relatiua in diuinis quæ realiter distinguit, sit ea solum, quæ est secundum ordinem originis, dupliciter dici possunt, aliqua esse relatiue opposita, scilicet, vel ratione relationis, vel ratione originis, & ea quidem quę opposita sunt ratione relationis, sunt correlatiua duntaxat, sicuti pater & filius, spirans, & spiratus, siue procedens, ea vero quæ opposita sunt ratione originis, sunt ea duntaxat, quæ ita se habent, quod vnum ab alio habet originem, at non econtra. Túc ad argumentum dicitur. quod vtique relatio processionis, oppositionem non habet relatiuam, ratione relationis, ad paternitatem, & filiationem, & propterea ex hoc non habet quod realiter, hæc, ab illis distinguatur. Oppositionem autem habet, hæc ipsa, ad ambas præfatas, ratione originis, quoniam processio amoris, modo quoddam originatur à processione intellectuali, ex qua consurgunt, paternitas ipsa, & filiatio, & non econtra quia vt inquit. D. Thomas de potentia dei. q.x. art.v. Semper processio naturæ, quæ sanè in diuinis, est processio per modum intellectus, quæque generatio dicitur est principium, & origo, cuiuslibet alterius processionis. Vnde & præfata eadem quæstione art.ij. ad xj. aiebat, quod processio, quæ est per modum voluntatis, de necessitate præexigit processionem quæ est per modum intellectus. Quade re, fit, vt ratione talis oppositionis originis, præfata processio, quæ & Spiritus sanctus, verè ac realiter est, realiter distinguatur à paternitate, & filiatione, relationibus subsistentibus, quæ & verè realiterque pater ac filius existunt. Et sic patet inter has tres relationes pdictas, esse oppositionem originis, quoniam processio à paternitate, & filiatione, vt prædictum est, originem trahit, & non econtra. Ex hocq. patet ad argumentum, clara responsio, quoniam pro

Dubio respondetur prædicto.

cessio, ratione originis oppositionem ad paternitatem, & filiationem habet.

Dubium oritur ex Scoto, an æqualitas relatio, & deo sit realis.

Atqui dubium oritur de relatione æqualitatis, similitudinem includentis, in deo optime posita, an realis sit, an rationis duntaxat. Et Scotus quidem dist. xxx. j. sent. quæst. j. & in quolibetis. q. vj. tenet ipsam æqualitatem in deo, relationem esse realem, cuius argumenta recitantur à Capreolo. xxxj. dist. j. & à Reuerendissimo Caietano. j. q. xlij. art. j. in respons. ad quartum & dissoluuntur, propterea non est opus, ea ipsa, hoc in loco adducere, sed solum D. Thom. opinionem verissimam ponere, Scoti opinioni contrariam, suis cum efficacissimis fundamentis, ex quibus sanè patebit veritas ipsa, simul & falsitas Scotice opinionis.

Scoti opinio.

Apertissime igitur. D. Tho. hanc sustinet conclusionem, videlicet, æqualitatem in deo repertam, non relationem realem, at rationis duntaxat esse.

Et hanc ipsam primo declarat. prima quæst. & art. supracitatis, in respons. ad quartum inquiens, quod in diuinis personis, nihil est considerare, nisi essentiam, in qua communicant, & relationes, in quibus distinguuntur. Aequalitas autem (subdit) vtrunque importat. s. personarum distinctionem, quia nihil sibijpsi æquale dicitur, & vnitatem essentiæ, quoniam ex hoc personę, æquales sibijnuicem esse dicuntur, quia vnius sunt magnitudinis, & essentiæ. Constat autem quod idem ad seipsum relationem non habet realem, nec rursus vna relatio, ad aliam refertur per aliquam aliam relationem mediam, quia sic relatio, in infinitum multiplicaretur. Et propterea concludit quod æqualitas, & similitudo in diuinis personis, non est aliqua relatio à relationibus personalibus distincta, atqui in suo intellectu includit & relationes distinguentes personas, & essentiæ vnitatem. Itidem asserit dist. xxxj. j. quæst. j. art. j. in Cor. inquiens, quod æqualitas quo ad

relatio

relationem in creaturis, realiter aliquid ponit in vtroque extremorum, at in diuinis personis, nil nisi secundum rationem, & rationem subdit, quia si poneret aliquam relationem realem in personis, aut hoc esset ex parte essentiæ quæ communis est, aut ex parte relationum quibus distinguuntur, sed non ex parte essentiæ, quia cum essentia vna eademque numero sit, & idem ad seipsum relatione reali referri nequeat, talis relatio, realis esse non poterit, nec ex parte relationum personas distinguetium, quia relatio, non refertur ad aliam, aliqua relatione reali media, aliter in infinitum esset abire, hæc D. Thomas. Ad quorum claritudinem annotandum est, quod ad hoc vt relatio, realis esse dicatur, operæprecium est vt sit inter duo extrema realia, & realiter distincta, quorum quodlibet possit relationem fundare. Quamobrem dicitur, quod licet pater & filius in diuinis, sint extrema realia, & realiter distincta, vt tenet catholica fides, contra Sabelium hæreticum, quia tamen non sunt suppositа, & extrema absoluta, sed relatiua duntaxat, ex quibus non potest innasci relatio media realis, ob id nequeunt relationem æqualitatis fundare, quæ realis esse dicatur.

Aduersus præfatam conclusionem, obiectio.

Atqui contra quispiam dicet, quod quia diuinæ personæ verissime æquales nunc sunt, nullo intellectu circa eas negociante, iccirco æqualitas non relatio rationis est, quæ solum per intellectum extat, sed realis, vtpotè extra intellectum existens.

Obiectioni respondetur.

Ad hoc respondetur quod æqualitas in diuinis, duo dicit, vnitatem. s. naturæ vel essentiæ, & magnitudinis virtualis, siue perfectionalis, & relationem qualem consequitur vnitatem. Si itaque nullus intellectus circa ipsas diuinas personas negotiaretur, remaneret equidem æqualitas, quo ad prædictam vnitatem naturę vel magnitudinis, non autem quo ad relationem super tali vnitate fundatam, & propterea non realis, at rationis asseueratur.

Quòd relatio realis super alia relatione rea li fundari quæat, arguitur.

At rursus argumentatur, quod relatio realis super alia relatione reali fundari possit, quod supra negatum est. Quia super generare, ac generari in diuinis quæ relatiua sunt realia fundantur relationes paternitatis, & filiationis, quæ & reales sunt, igitur & super hijs duabus relationibus realibus nempè super paternitate, & filiatione, poterit fundari alia realis relatio. scilicet æqualitas.

Argumento respondetur dupliciter.

Ad hoc argumentum negatur consequentia, quoniam vtriusque non est æqua similitudo, nam verum equidem est paternitatem, & filiationem fundari super generare, & generari, quæ relatiua sunt vti dictum est, veruntamen fundatur in illis non per modum relatiuorum, id est sub ratione formali relatiuorum vt relatiua sunt, at per modum actionum, seu actuum notionalium, quia actus notionales non formaliter, at solum idemptice relatiua sunt, & sic absimilis est ratio.

Iusuper dicitur propter argumentum primum Scoticum quod in relatione æqualitatis diuinæ pariter & similitudinis, non omnia concurrunt quæ necessario exiguntur ad relationem realem, vt arbitratur ipse Scotus, quia non solum exigitur vt sint duo extrema realia, ac realiter distincta, & quod ex natura rei oriatur inter illa respectus in fundamento, & postremo quod in termino sit ratio ad quam possit relatio terminari, verumetiam quod distinguantur secundum distinctionem fundamenti ipsius æqualitatis, quod hic minime reperitur, quandoquidem essentia diuina, & eius magnitudo perfectionalis, super quam fundatur ipsa æqualitas, non diuersa, at vna eademque numero sit in omnibus ipsis personis. Et cum hæc conditio necessario requisita ad realem distinctionem, sit omissa, ob id dicimus, talem æqualitatem, relationem realem minime esse. Et hoc idem dicendum est de ipsa similitudine diuina. Et hæc de hoc quæsito, sat sint.

Quæstio

Quæstio de Constitutiuis diuinarum personarum, ac earundem distinctiuis.

VAERITVR supposita diuinarum personarum Trinitate in vna essentia, substantia, & simplicissima natura, quam supponendam firmiterque tenendam, edocet orthodoxa, catholicaque fides, vti habetur. De summa Trinitate, & fide Cathol. c. firmiter, &. c. Damnamus, quæritur inquam, quibus constituantur, distinguanturue ipse tres diuinæ personæ, scilicet Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.

Ad quæstionem hanc perdifficilem, ob diuersam, variamque excellentissimorum virorum, pariter & doctorum, opinionem, quam. D. Thomas. prima quæst. xl. artic. ij. &. iiij. & de potentia dei. quæst. viij. artic. iij. ac. iiij. Contra Gent. cap. xxvj. & eriam. j. sent. distin. xxvj. quæst. ij. art. primo. &. ij. Et Capreolus in hac eadem distin. scitissime tractant hac vnica respondetur conclusione. *Cõclusio.*

Diuinas, scilicet personas haudquaquam in esse hipostatico, seu personali, constitui, per aliquod absolutum, nec formalitet, principaliterque per origines, nempè per processiones, at per originis relationes, videlicet per paternitatem, & filiationem, ac processionem, seu passiuam spirationem.

Verum antequam hanc ipsam probemus conclusionem, pariter & elucidemus, quamdiligentissime annotandum est, nos de diuinis personis, bifariam loqui posse, secundum se, videlicet, & absolute, prout extra nostrum ponuntur intellectum, in suo rea- *Notandũ pro conclusionis claritudine.*

li; ac simplicissimo esse, & prout sub nostra cadunt cognitione, nominibusque ab ipso intellectu conceptis, significantur & innotescunt. Et si primo quidem modo de ipsis loquamur nullum prorsus eorundem quærendum est constitutiuum, vel distinctiuum, quoniam cum summa simplicitate gaudeant, superuacaneum est, in ipsis quærere, vel accipere aliquid habens rationem constituentis, & constituti, & pariter distinguentis, & distincti, quia non per aliquid ab ipsis realiter, vel formaliter distinctum, constitutionem, ac distinctionem nanciscuntur, sed seipsis constituuntur, ac distinguuntur, vt præpositiuus, ac Gregorius Arriminensis docent, ac sustinent. Quod & expresse tenuit D. Thomas. primo dist. xxvj. quæst. ij. art. j. ad quintum dum dixit, quod personæ diuinæ, etiam seipsis distinguuntur inquantum secundum rem sunt ipse relationes. Si vero secundo modo de eisdem sit sermo, sic quærere possumus earum constituriuum, & distinctiuum. Liquet enim nos diuina nequaquam noscere posse, nisi ex creaturarum perfectionibus, nec ipsa significare, nisi secundum modum creaturarum à nobis conceptarum. Et quia nos ad significandum ea quæ perfecta sunt, ac subsistentia in creaturis, nominibus vtimur concretis, ex modo significandi, quandam compositionem significantibus, ad significandum vero earundem creaturarum simplicitatē, abstractis vtimur nominibus quibus simplices formas significamus, ita quoq; in diuinis nomine abstracto, nomineq. cōcreto, eandem penitus rem, diuersis tñ rationibus, diuersisque respectibus significantibus vtimur. Nam abstracto nomine forma ipsa, vel res per modum formæ significatur, qua aliquid in esse constituitur, & concreto nomine ipsum constitutum per formam, vel per aliquid per modum formæ se habentis significatur. Dicimus enim deitatem nomine abstracto significatam, habere modum formæ secundum nostrum

strum modum intelligendi, qua deus ipse constituitur, & deum pariter concreto nomine significatum esse, veluti constitutum per deitatem ipsam, rametsi, deus, ac deitas, ex parte rei, & extra intellectum nostrum, sint penitus idem. Eadem quoque ratione dicimus paternitatem vtpote eodem nomine abstracto significatam, se habere per modum formæ incommunicabilis, qua pater constituitur, & patrem ipsum concreto significatum nomine, esse per paternitatem constitutum. Eapropter asseruit diuus Thomas. j. sent. vbi supra, quod sicut persona quantum ad significandi modum, non est idem quod relatio, ita etiam seipsis, scilicet personæ non distinguuntur sed relationibus, & ita diceremus iuxta doctrinam hanc, patrem, paternitate, constitui, atque distingui, & filium, filiatione, ac spiritum sanctum, passiua spiratione. Nec tamen intelligendum est harum diuinarum personarum constitutionem esse per modum alicuius totius integralis, vel essentialis, cum ipsæ personæ simplicissime sint, eisdemque aliquam habere compositionem omnino repugnet, atqui solum secundum nostrum intelligendi modum constitutionem hanc esse, intelligimus, quæ quidem, modum constitutionis formalis, ab ipsius totius forma, habere dicitur, quæque ipsum totum est, quemadmodum dicimus humanitatem, hominem constituere, & deitatem, deum, quoniam sunt id quo homo, est homo, & deus, est deus. Nec in hoc ex parte rei, vlla significatur distinctio inter constituens, & constitutum, nec vlla realis causalitas, sed solum diuersus quidam significandi modus, qui inter abstractum, concretumque reperitur. Annotandum est item ad maiorem dicendorum claritatem, quod licet diuinæ personæ quæ intellectualis naturæ indiuiduam substantiam, & incommunicabilem, dicunt quæque secundum græcos, diuinæ hypostases, vocitantur, & relationes ipsæ diuinæ, secundum rem, siue realiter, diui-

Notandũ sceũdum conclusionis, eiusdẽ declarationi, optime deseruiens.

næ

næ idemptificentur essentiæ, quia quicquid est in deo, realiter est ipsemet deus, & eius substantia, siue natura, (vt in cunctis doctrinæ suæ locis, præclare docet diuus Thomas) differunt tamen ratione, vt presertim habetur. j.q.xxviij. art.ij. & q.xxix. art. ij. Item de potentia dei. q.viij art.ij.& q.ix. art.j. quia diuina essentia absolutissimum quiddam est, personæ vero relationes significant, quia vt inquit, Boëtius, in libro de Trinitate post medium, Omne nomen ad personas pertinens, relationem significat; Et diuus Thomas. j.q.xxix.art.iiij. ait. personam diuinam significare relationem vt subsistentem. Hoc idem affirmat.q.xxx.art.j.& q.xl.art.ij.ad primum. Rursus discriminantur, quia essentia ipsa diuina tribus personis realiter distinctis secundum rem vna numero existens, communicabilis est, persona vero incommunicabilis. Vnde diuus Thom.j.q.xxx. art. iiij.ad secundum aiebat, quod licet persona sit incommunicabilis, tamen ipse modus existendi incommunicabiliter potest esse pluribus communis.

Licet tres diuinæ personæ realiter, essentiæ diuinæ idẽptificentur, ratione tamẽ bifariam discriminãtur.

His sic annotatis, & prælibatis, probatur ipsa conclusio, quo ad omnes eius partes, & primo quo ad primam negatiuam, nempe quod diuinæ personæ non constituantur in esse hypostatico, seu personali, vel distinguantur per aliquod absolutum, tum. D. Thomæ auctoritatibus, tum ratione, sic enim clarissime docet. De potentia Dei.q.viij. art.iij. inquiens, quod quia fides Catholica ponit essentiam vnam in tribus personis, eapropter intelligi nequit, vt ipsa diuina essentia vtpote tribus communis, & de eisdem prædicabilis, sit ipsarum personarum, seu hypostasum constitutiua, & distinctiua. Et nihil pariter quod de deo absolute dicitur, potest intelligi, vt constitutiuum & distinctiuum earundem, quoniam ea omnia quæ absolute de ipso dicuntur, per modum essentiæ significantur. Oportet itaque (subdit) illud ponere, vt constitutiuum, & distinctiuum ipsarum diuina

Probatio conclusionis, quo ad omnes eius partes, & primo quo ad primã

tum

rum personarum, seu hypostasum, quod primo inuenitur non de pluribus dici, at quod vni soli conuenit. Tale autem est relatio,& origo. Itidem asserit vbi supra.q.x.art.viij. vbi sic inquit. Non enim potest esse in diuinis personis distinctio, nisi secundum relationes, quia ea quæ absolute dicuntur in diuinis, communia sunt; Hoc idem affirmat. j.q. xxxvj. art.ij. dum ait, quod impossibile est dicere secundum aliquod absolutum, personas diuinas, ab inuicem distingui, quoniam tunc sequeretur, quod non vna esset trium personarum essentia. Quicquid (subiungit) in diuinis absolute dicitur, ad vnitatem pertinet essentiæ, quo fit vt solum relationibus diuinæ personæ ab inuicem distinguantur, vt tamen oppositionem habent. Et id etiam ratione confirmatur. Quia cum diuinæ personæ incommunicabiles sint secundum rem, necessum est earundem constitutiuum pariter & distinctiuum, habere rationem formæ incommunicabilis, quod essentiæ, vel alicui alij absoluto competere nequit, quandoquidem essentia ipsa,& omne aliud absolutum, essentiæ idemptificatum, sit personis omnibus commune,& de eisdem prædicabile. Cumque relationes ipsæ diuinæ pulcherrime rationem formæ incommunicabilis habeant, ipsisque solis competat,& ipsæ sole erunt cõstitutiue, pariter &distinctiue, distinctiue inq̃, vt oppositionem ad inuicẽ habent, vt plenius infra dicetur. Hinc Scoti opinio veluti falsa eliditur, qua sustinere videtur (salua tamen scripturæ ac Ecclesiæ authoritate) diuinas personas constitui, pariter & distingui, proprietatibus absolutis,& ita in ipsis personis præter essentiam tribus communem,& relationem,ac originem, vnicuique personæ propriam, videtur ponere entitatem quandam absolutam incommunicabilem, qua & constituantur in esse personali, & hypostatico, & ab inuicem distinguantur, ipse diuinæ personæ. Et quoniam huiusce suæ positionis fundamentum trahit

Prima cõclusionis pars võne confirmatur.

Scoti opinio vti falsa explicatur.

ex authoritate scripturæ male intellectæ, super quam rationem suam fundat, ob id authoritas hæc adducetur, & declarabitur, ac ratione respondebitur.

Scoti rō super scriptura auctoritate, male intellecta fundata.

Est igitur authoritas ipsius Salomonis Prouerbiorum xxx. scilicet. Quod est nomen eius, & nomen filij eius si nosti? Ex hac tunc sic arguit vt patet. xxvj. dist. j. Quæstio semper quærit dubium, & aliquid certum supponit, hæc autem supponit filij nomen, & quærit nomen eius proprium, igitur filiatio nequit esse nomen eius proprium constitutiuum, & distinctiuum. Implicat enim filiationis nomen supponi, & idem nomen, filij personam constituere.

Ad id facillime respondetur inquiendo, quod quia diuina essentia, diuinæque personæ, eidem omnino idemptificate, secundum se, & secundum suam quidditatem, ac naturam, ob earum infinitudinem, ac summam excellentiam, quemcunque intellectum creatum exuperantem, à nobis cognosci non possunt, ob id etiam nec à nobis nominari valent. Sunt enim hæ diuinæ personæ sicuti & essentia suapte natura ineffabiles. Quare Dionysius de diui. nomi. cap. j. de ipso deo secundum se, & suam quidditatem considerato, loquendo, aiebat, ipsum omnibus vniuersaliter esse incomprehensibilem, & eiusdem non esse sensum, neque phantasiam, neque opinionem, neque nomen, neque sermonem, neque scientiam, quod & asseruit auctor libri de Causis, dum dixit pro positione sexta. Causam primam superiorem esse omni narratione, & linguas ab eius narratione, non deficere, nisi propter narrationem esse ipsius, quoniam ipsa est super omnem causam. Possunt autem diuina essentia diuinæque personæ à nobis concipi, & intelligi per creaturas ipsas, & causas secundas, & propterea per easdem nominari. Vnde & subiungit idem auctor eadem propositione, & non narratur nisi per causas secundas quæ illuminantur à lumine causæ primæ. Cognoscimus enim per talia diuina

uina nomina,siue à nobis reperta,siue à sacra scriptura tradita, vt inquit Dionysius, loco supra citato, communicationem diuersarum bonitatum, & perfectionum in creaturis, & eiusdem communicationis principium, vt cum dicimus deum viuentem, & intelligentem, agnoscimus communicationem tum vitæ,tum intelligentiæ in creaturis,& huiusce communicationis principium,esse deum,haud tamen per huiuscemodi nomina,pernoscimus tale principium, deum,scilicet perfecte & essentialiter, seu sicuti in seipso est, quoniam præfatum principium tali modo contemplatum,inscrutabile ex creaturis est, & ineffabile. Ex his modo liquet tum ad authoritatem citatam, tum ad rationem Scoti responsio. Dicimus enim quod & si nobis,exscripturis innotescat, & nomen patris,& eius filij nomen, quia tamen non nisi harum personarum cognitionem ponit imperfectam,eapropter perquirendum restat, nomen quidditatiuæ. essentialiter, & perfectæ significans hasce personas, quæ sanè ineffabiles sunt, & ipsarum nomen cunctis creaturis,incognitum est vti inquit præ dicta Salomonis authoritas. Et cum inquit Scotus. Quæstio quærit dubium, & supponit aliquid certum, dicimus, id verum esse, & cum amplius subdit in hac authoritate supponitur.Filij nomen, & quæritur nomen proprium eius; Respondetur,quod vti que supponitur filij nomen, prout ex creaturis, vel sacris ex literis habere valemus, atqui tale nomen non nisi ad imperfectam eius, nos ducit cognitionem,eapropter quæritur eius proprium nomen veram,perfectam,essentialem,& quidditatiuam explicans cognitionem,quod sanè repperiri nequit,quandoquidem filius ipse secundum se contemplatus.innominabilis fit. Non igitur idem erit filij nomen, suppositum,& quæsitum,at diuersum. Verum si vlterius obijciatur,quod tale quæsitum nomen, est proprietas quædam absoluta,& incommunicabilis, per sonæ

Scriptura sacra auctoritas, à Scoto assupta pulcherrime declaratur.

Ad eiusdē Scoti rōnem, responsio.

sonæ filij constitutiua & distinctiua, id inficiandum est, quoniam in deo, nulla alia entitas absoluta ponenda est, præter essentiam ipsam, quæ personis communicabilis est, & attributa alia absoluta, eidem essentiæ idemptificata, & eisdem tribus personis communicata. Itaque nullum absolutum in deo valet esse personę constitutiuum, & distinctiuum, at tale erit relatio originis, vt infra dicetur. Quærimus enim nunc solum (vti supra annotatum est) de constitutiuo diuinarum personarum, & eorundem distinctiuo, prout sub nostra cognitione cadunt, quod certe non nisi originis relatio est. Ex his itaque dictis arbitror primam propositæ conclusionis partem, perlucidam esse.

Notandū pro declaratione secūdæ partis conclusionis.

Quo ad secundam vero partem etiam negatiuam nempe, quod diuinæ personæ non constituantur in esse hypostatico, siue personali, nec distinguantur formaliter & principaliter per origines, siue processiones; Annotandum est pro maiori, eius claritudine. Quod licet origines, siue processiones diuinæ, ipsis relationibus, seu proprietatibus diuinis idemptificentur, secundum rem, ratione tamen & ex modo significandi ab eisdem discriminantur. Nam origines, seu processiones & etiam relationes, in originibus intellectæ, non significant hoc aliquid in natura subsistens ex significandi modo, at aliquid in naturam tendens vt inquit. D. Thomas. De potentia dei. q. viij. art. iij & similiter non significant quippiam vt rei intrinsecum, atqui vt viam quandam à re, vel ad rem, sicut generatio, significatur vt via quædam ad rem genitam & vt progrediens à generāte, vt idem. D. Th. ait j. q. xl. art. ij. Relationes vero seu proprietates significant aliquid per modum formæ intrinsecæ, & incommunicabilis, immo sunt ipsæ personæ diuinæ subsistentes, vt in hocmet art. ait ipse. D. Thom. & art. iij. Hoc annotato, sic probatur hæc conclusionis. ij. pars. Illud quod in diuinis ex modo significandi

Probatur secunda conclusionis pars negatiua

candi;solum significatur per modum viæ cuiusdam, ab aliquo progredientis,& in terminum tendentis, & non per modum intrinseci,at potius extrinseci,ne quit esse formaliter ac principaliter diuinarum personarum constitutiuum, & distinctiuum, at origines, siue processiones, vt generatio, & spiratio, siue actiua,siue passiua,sunt huiusmodi, igitur origines siue processiones,vt generare vel generari,spirare,vel spirari, nequeunt esse formaliter & principaliter diuinarum personarum constitutiue & distinctiue.
Maioris veritas, hinc clarescit, quoniam oportet semper constitutiuum alicuius pariter & distinctiuum,habere rationem formæ quiescentis,& permanentis. Nam sola talis forma, vel res habens modum huiusce modi formæ, potest esse id, quo formaliter & intrinsecæ aliquid constituitur, & ab alio seiungitur,quod nequit origini diuinæ conuenire. Licet enim verissime dicamus,generationem actiuam, non esse realiter & ex parte rei, egredientem à deo patre,nec generationem passiuam, realiter viam seu fluxum tendentem in filium, sed solum secundum nostrum intelligendi modum significatam, vt egredientem, & promanantem, à patre, & tendentem in filium,eo quod generatio actiua,& passiua idemptificantur realiter personæ patris, & filij, & relationibus paternitatis ac filiationis, quia tamen generatio ipsa actiua, & passiua secundum rationem & significandi modum, differunt ab ipsis relationibus, & personis,propterea aliquid ipsis relationibus vtpote formis quiescentibus, & incommunicabilibus conuenire potest, quod non ipsis originibus, scilicet generationi actiue & passiue, quæ modum habent operationis,seu egressus & viæ cuiusdam,secundum nostrum intelligendi modum,quo diuina intelligimus modo creaturarum à nobis conceptarum. Repugnat etenim egressui,aut viæ, habere modum constituendi formaliter suppositum.Et id expresse docuit

D.Thom.

D. Thom. De potentia dei. q.viij. art.iij. inquiens, quod distinctiuum & constitutiuum hypostasis, potest dupliciter intelligi, Vno modo, quo aliquid distinguitur & constituitur formaliter, sicut homo, humanitate, & socrates, socrateitate, Alio modo, quo constituitur, vel distinguitur quasi via ad constitutionem vel distinctionem, sicut si diceremus, quod socrates est homo sua generatione, quæ est via ad formam, qua formaliter constituitur, Quare concludit patere, originem alicuius, nam posse intelligi vt constitutiuum, & distinctiuum alicuius, ob id, quod formaliter constituat & distinguat, quoniam si generatione non induceretur humanitas, nunquam generatione constitueretur homo. Et subinculcans ait. Nequaquam dicendum esse quod hypostasis filij constituatur sua natiuitate, nisi quatenus intelligitur, natiuitatem eius, terminari ad aliquid, quod formaliter constituit, tale autem est, ipsa filiationis relatio. Confirmatur & ipsa maior. Quia quod secundum nostrum intelligendi modum est posterius, & significatur vt extrinsecum, nequit esse prioris formale constitutiuum, at origo puta generatio actiua, est posterior secundum nostrum intelligendi modum, deo patre generante, & veluti quoddam extrinsecæ significatum, igitur nequit esse patris formale constitutiuum. Maior ex se clarissima est, & minor quoque elucet ex eo, quod generare, cum actio quædam sit, & operatio supponit ipsum generans à quo egreditur. Probatur & ipsa primi argumenti minor, tametsi satis ex dictis elucescat. Quia vt inquit. D. Thom. j.q.xl.art.ij. Origo actiue significata, vt progrediens à persona subsistente significatur, vnde præsupponit eam, origo autem passiue significata, significatur vt via ad personam subsistentem, & nondum vt eam constituens. Et De potentia dei. q.viij. art.iij. ait. Quod relatio intellecta in origine sicut & ipsa origo, non significat aliquid in natura subsistens, sed

Maioris assumpte confirmatio.

Minoris probatio.

in

in naturam tendens. Quod autem & ipsa origo non significetur vt aliquid intrinsecum, patet ex eodemmet D. Thom. j.q.& artic. supra citatis, vbi inquit, Origo non significatur vt aliquid intrinsecum, sed vt via quædam, à re, vel ad rem, sicut generatio significatur vt via quædam ad rem genitam, & vt progrediens à generante.

Tertia vero conclusionis pars nempè quod relationes originis videlicet paternitas, filiatio, & processio, seu passiua spiratio sint diuinarum personarum constitutiue pariter & distinctiue in esse hypostatico, & personali probatur. Et primo quidem. D. Thomæ authoritate, deinde ratione. Inquit enim D. Thom. De potentia dei. q. viij. art. iij. ad septimum. Quod relationes in diuinis & si constituant hypostases, & sic faciant eas subsistentes, hoc tamen faciunt inquantum sunt essentia diuina. Nam relatio inquantum est relatio, non habet quod subsistat, vel subsistere faciat, quia hoc solius substantiæ est. Distinguunt vero relationes, quatenus relationes sunt, quia sic oppositionem habent. Hinc fit vt ipsa paternitatis relatio, inquantum est constituens hypostasim patris, (quod habet inquantum est idem substantiæ diuinæ) præintelligitur generationi, quatenus vero distinguit, sic generatio paternitati præintelligitur. Et in responsione ad octauum ait. Relatio in diuinis non solum est relatio sed est secundum rem ipsamet diuina substantia, & ideo potest constituere aliquid subsistens, non solum aliquid relatiuum. In responsione quoque ad nonum inquit. Relatio distinguit inquantum est relatio, constituit autem hypostasim, quatenus est diuina essentia, & vtrunque facit inquantum est diuina essentia, & relatio. Hæc ille. Et ne quispiam fortasse arbitraretur, relationem paternitatis, vel filiationis, vel spirationis passiue, quæ, quoniam diuinæ essentiæ identificantur, & ob id asseruntur esse diuinarum perso-

Tertia conclusionis pars affirmatiua probatur, authoritate, & ratione.

natum constitutiue, eas ipsas esse communes quemadmodum ipsa diuina essentia communis est, propterea idem. D. Thom. in Corp. articuli id pulcherrime elidit dum inquit. Paternitas enim est ipsa diuina essentia, & pari ratione, pater est idem quod deus. Paternitas ergo constituendo patrem, constituit deum, & sicut paternitas licet sit essentia diuina, non tamen est communis sicut essentia, ita pater, licet sit idem quod deus, non tamen est communis vt deus, sed proprium. Pater ergo deus (subdit) inquantum est deus, est quid commune, habens naturam diuinam, & inquantum est pater, est proprium ab alijs distinctum. Vnde est hypostasis, quæ significat subsistens in natura aliqua distincta ab alijs. Et per hunc modum paternitas constituendo patrem constituit hypostasim. Confirmatur hoc idem, videlicet, quod relatio in diuinis hypostasim, & personam constituat, non quidem vt relatio, sed vt diuina, & vt idem ptificatur diuinę essentię, ex dictis. q.x. De potentia dei. art. nj. vbi ait. Relatio in diuinis habet quod constituat personam inquantum est diuina relatio, & subdens (inquit) quod ex hoc habet vt sit idem cum diuina essentia, quia in deo nullum accidens esse potest, & hæc ipsa relatio quia secundum rem est ipsa diuina natura, hypostasim diuinam constituere potest. Ex his autem dictis clare colligitur quod quia prædictę relationes diuinæ sunt, & ob id substantiæ, & diuinæ essentiæ realiter idemptificate, solum secundum rationem, ab ipsa essentia distincte, habentes rationem formarum incommunicabilium, habentes, & rationem distinguentis relatiue vnam personam ab alia tanquam à proprio correlatiuo, propterea tales relationes sua ex idemptitate cum essentia constituere valent rem subsistentem, quatenus vero ab eadem essentia distincte, & vt formæ incommunicabiles vicem gerentes omnium principiorum individuantium, constituere possunt res incommun-

cabiles

cabiles, personas, scilicet ipsas, quæ incommunicabilitate penitus gaudent, & ab inuicem relatiue distincte sunt. Quod si fortasse quispiam obijciat hinc clare sequi diuinam essentiam esse diuinarum personarum primo constitutiuam, & non relationes ipsas, quandoquidem relationes non constituant hypostases diuinas, siue personas, nisi ex idemptitate ipsarum cum essentia, qua idemptitate ablata, nullatenus constituerent. Huic respondendum est obiectioni & dicendum veritissimum equidem esse, relationes præfatas, trahere vim constituendi rem subsistentem nempè hypostasim, & personam, ex eo quod diuinæ idemptificantur essentiæ, cui primo subsistere competit, at quoniam eidem repugnat esse formam incommunicabilem, & facere distinctionem relatiuam, quod pulcherrime relationibus vti proprietatibus ab eadem essentia secundum rationem distinctis competit, eapropter hæ ipse asseruntur simpliciter personarum constitutiue, & distinctiue, non autem essentia. Relationes igitur vt diuinæ essentiæ realiter idemptificate, & vt formæ omnino incommunicabiles vicem gerentes omnium principiorum indiuiduantium, sunt vere, & proprie, eatundem personarum constitutiue licet sub alia ratione constituant, & sub alia distinguant, vt infra clarius ostendetur. Probatur & hæc conclusionis tertia pars, hac irrefragabili ratione. Nam illud solum quod est veluti forma indiuidualis subsistens, & incommunicabilis, potest esse personarum diuinarum constitutiuum, & distinctiuum, sed solum relationes diuinæ sunt veluti formæ indiuiduales, subsistentes, & incommunicabiles, igitur solum relationes diuinæ, sunt diuinarum personarum constitutiue, & distinctiue. Maior ex se patet, quia nequit forma pluribus communicabilis, constituere, & distinguere suppositum incommunicabile, quale est vnumquodque suppositum trium personarum. Minor vero pro-

Obiectio.

Solutio.

Qua ratione, relationes diuinæ, diuinas constituant personas, & distinguant.

Tertiæ partis conclusionis probatio.

batur authoritate. D. Thom. inquientis prima parte. q.xlj. art. v. Quod licet paternitas, vt forma patris significetur, est tamen proprietas personalis, se habens ad personam patris, vt forma individualis, ad aliquod individuum creatum. Et de potentia dei. q.ij. art.ij. ad tertium sic ait, Paternitas, non est in patre, per modum formæ speciei, sicut humanitas in homine sic enim est in eo natura diuina, sed in eo est, vt ita dicam, sicut principium individuale. Est enim ((subdit) proprietas personalis. Primo quoque sent. dist. xiij. q.j. art.ij. ait. Relatio in diuinis non tantum habet quod sit relatio, sed etiam quod sit personalis, id est personam constituens, & ex hoc habet quasi actum differentiæ constitutiuæ, & formę propriæ. Postremo de potentia dei. q.ij. art. j. ad tertium inquit. Relatio filiationis, in filio, tenet locum omnium principiorum individuantium in rebus creatis, propter quod dicitur, proprietas personalis, ipsa autem natura diuina, tenet locum naturæ speciei, sicque ex his. D. Thomę dictis, minor ipsa clarescit. Annotandum vero est ad maiorem huiusce rei claritudinem quod relatio diuina sub diuersis potest considerari rationibus ex parte intellectus nostri, & sub illis diuersa constituere potest. Nam relatio habet quod sit diuinitas, ex eo quod diuinæ idemptificatur essentiæ, & quod sit forma individualis, & quod absolute dicatur, relatio, & postremo, quod sit hæc relatio, puta paternitas. Et primo quidem quatenus diuinitas, deum constituit, quatenus forma incommunicabilis, & individualis subsistens, constituit quippiam incommunicabile, in natura diuina, & vt absolute relatio, relatiuum aliquod constituit, vt hæc vero relatio, exempli gratia, paternitas, patrem, constituit. Et licet inter has rationes, secluso intellectu, nullus sit prioritatis ordo, ex nostro tamen intelligendi modo, potest admitti, dicēdumq. est, quod prædicta relatio, vt diuinitas, prius deum

Sub quibus rationibus, & diuersis, possit relatio diuina cõsiderari & esse constituens.

constituit

constituit quam aliquid incommunicabile in diuina natura, priusque constituit aliquod incommunicabile, nempè suppositum diuinum, quam idipsum constituat in esse relatiuo, & denique prius est constitutiua alicuius suppositi, in esse relatiuo, quã in esse patris, quandoquidem hæc vltima constitutio quæ rei singularis est, supponat constitutionem in esse relatiuo tanquam aliquod commune.

Dubium arduum circa constitutionẽ relationũ, insurgit, sub qua, scilicet rõne formali diuinas cõstituãt personas.

Atqui dubium hic maximum exurgit. Num scilicet relationes diuinæ, diuinas constituant personas in esse hypostatico, & personali, prout habent rationem formarum subsistentium incommunicabilium, & vicem gerentium principiorum indiuiduantium in rebus creatis, & vt sic sub ratione absoluta conceptarum, an potius easdem personas constituant vt sunt relationes personales, scilicet, & incommunicabiles, infra latitudinem relatiuam suam tamen, ideſt infra latitudinem diuinarum relationum, quæ subsistentes asseruntur.

Capreoli opinio de constitutiuis diuinarum personarum.

Hac in re non parum inter seſe dissident Thomistæ ingenio præclari. Nam Capreolus. xxvj. dist. j. in responso ad primum Aureoli, aduersus secundam conclusionem, expresse tenet ad aures. D. Th. relationes præfatas diuinas esse diuinarum personarum constitutiuas in esse hypostatico, & personali, sub ratione formarum incommunicabilium, & absolute conceptarum, non autem sub ratione relationum. Inquit enim quod paternitas dum concipitur vt patris constitutiua, intelligitur vt quid relatiuum, & verissime relatiuum, sed non relatiue, nec sub ratione relatiui, quia sub tali ratione considerata, & concepta, solum constituit patrem, in esse patris, & proinde in esse relatiui, sed vt concipitur vt constitutiua hypostasis, seu personæ, quo ad esse ipsius diuini suppositi, & diuinæ personæ, concipitur vt est forma quędam incommunicabilis naturæ intellectualis diuinæ, & subdit quod taliter concipi est

absolute concipi. Erit igitur constitutiuum diuinæ personæ, verissime relatiuum, sed non relatiue conceptum, eritque diuina persona, vere relatiua, attamen dum intellectus noster, constitutiuum talis personæ concipit, non nisi sub ratione concipit absoluta. Et subinculcans ait, non aliter posse constitutionem talis personę concipi, nisi concipiēdo rem relatiuam, sub ratione absoluta. Et ne cuipiam fortasse hoc impossibile videatur, & repugnantiam habere, vt scilicet aliquid relatiuum sit, & sub ratione absoluta consideretur, propterea paucissimis verbis, id fore possibile commonstrat. Inquit enim quod quia diuina relatio, vt exempli gratia, paternitas realiter idemptificatur diuinæ essentiæ, & ob id est substantia per se subsistens, quod absolutissimum importat, ea propter potest hæc ipsa, & conceptu absoluto conci pi, & conceptu relatiuo; Est enim extra genus omne, & omnium generum, perfectiones, in se eminenter continens, estque penitus illimitata. Et hinc euenit, vt secundum nostrum intelligendi modum, valeat sub conceptu absoluto, id est sub ratione formæ incommunicabilis, formaliter vnum efficere, & sub conceptu relatiuo aliud, sicque sub conceptu absoluto, hypostasim, personamque constituere, & sub conceptu relatiuo eadem personam, ab alia distinguere. Paternitas enim quatenus relatio est ordinem dicit ad filium, & patrem à filio relatiue distinguit, non autem eum ipsa constituit in esse hypostatico, & personali, atqui id facit vt concipitur sub ratione formæ incommunicabilis, & absolute, prę uenientis, secundum nostrum intelligendi modum, actum notionalem, nempè generationem, nedum passiuam, verum & actiuā, & ita fit vt paternitas, personam constituat, non sub expressa ratione paternitatis, sed vt sæpe dictum est, sub ratione formæ incommunicabilis gerentis vicem principiorum indiuiduantium in rebus creatis.

Reueren

Reuerendissimus vero Caietanus prima.q.xl.art. iiij.tenet relationes præfatas, quas personales vocita mus, & incommunicabiles, infra latitudinem relatiuam (suam tamen) id est, vt diuini ordinis sunt, & vt substantificas personas ipsas constituere. Et exemplificans de relatione paternitatis, inquit, quod paternitas vt substantifica, relatiua res est, & personam patris constituit, subintellectis alijs conditionibus, scilicet incommunicabilitate, & primitate, ad differentiam spirationis, quæ etiam si soli patri conueniret, quia non est prima, non constitueret personam. Et tandem posita apud logicos distinctione de relatione ipsa, quia scilicet dupliciter significari potest, vt concepta, & vt exercita, inquit, quod paternitas, vt exercita actum generationis consequitur, & ipsamet sub expressa ratione paternitatis, vt concepta, præcedit generationem, & constituit hypostasim. Et parum infra subdit, quod paternitas, vt præcedit generationem, constituit relatiuam personam patris in esse hypostatico relatiuo, realiter & formaliter, sed non relatiue exercito, & propterea vocatur paternitas, non vt relatio, sed vt constituiua. Nec tamen (paulò post subdit) sunt duo esse relatiua in patre, at vnum duntaxat datum à paternitate formaliter, ante generationem, vt hypostaticum, & post, vt exercitum. Sicque secundum eius opinionem, paternitas, vt constitutiua personæ, significat paternitatem eandem, vt exercet actum hypostaticæ formę.

Caietani opinio, Capreoli opinioni opposita.

Verum harum duarum opinionem, prima, quæ Capreoli est, videtur mihi & D. Thomæ prorsus consentanea esse, & veritati, ideirco tenenda. Secunda vero quæ est præfati Reuerendissimi Caietani vel ab ipsa veritate deuiat, vel si asseratur, aliquid veritatis continere, cum Capreoli opinione omnino coincidet, & propterea diligenter est examinanda. Cum itaque primo inquit, relationes personales, & incommunicabiles vt diuinas, & vt substantificas

Caietani opinionẽ, falsam esse, declaratur, ex D. Th. doctrina, & ratione.

infra latitudinem relatiuam, personas ipsas constituere, percunctandum est, num constituant sub ratione relationis, vel sub ratione relationis diuinæ, vel sub ratione formæ hypostaticæ. Non primum quidem, quoniam & id ab ipso negatur, & D. Thomæ repugnat. Si secundum asseratur, cum relatio diuina, vt diuina est, puta paternitas illimitata res sit, & substantia, quia diuinæ idemptificatur essentiæ, tunc dicetur ipsa relatio, hypostasim, seu personam patris, constituere, solum sub ratione formæ substantifice, & hypostaticæ, & sic sub ratione formæ absolute, incommunicabilis tamen vt inquit Capreolus. Et id clare deducitur ex doctrina. D. Thomæ. prima q. xxix. art. ij. ad primum, vbi inquit, quòd hypostasis apud græcos, ex nominis significatione, significat quodcunque individuum substantiæ, & ex vsu loquendi, sumitur pro individuo intellectualis naturæ, ratione suæ excellentiæ. Hincque optime sequitur quod forma substantifica, & hypostatica, in diuinis, significat formam individuam substantiæ quæ incōmunicabilis est, & quod quemadmodum hypostasis quæ importat individuum substantiæ, concipitur sub ratione absoluta, & non relatiua (tametsi in diuinis res extet relatiua) ita & forma substantifica, & hypostatica concipitur sub ratione formæ absolutæ, & incommunicabilis, quamquam res sit relatiua. Idque confirmatur ex ipsomet. D. Thoma prima q. xl. art. ij. vbi inquit, quod omnis hypostasis rationalis, siue intellectualis naturæ, est persona, cum autem persona ex eius sententia. j. q. xxix. art. iij. ad primum dicatur ad se, non ad alterum, ad mentem Augustini. vj. de Trinit. cap. vj. quia significat relationem non per modum relationis, sed per modum substantiæ, quæ est hypostasis, & hoc idem asserat, idem. D. Thomas. in cor. art. Et de potentia dei. q. ix. art. iiij. hinc præclare colligitur, relationem quamuis personalem, vt personæ constitutiuā,

quæ

quæ & est ipsamet persona constituta, (quia in deo idem est quod est,& quo est,) constituere sub ratione formæ absolute, & incommunicabilis, non sub ratione relatiua. Forma enim hypostatica, & si sit vere relatiua, quia tamen vt constitutiua exercet actum formæ hypostaticæ, quæ est forma substantialis, & incommunicabilis, & ad se, non ad alterum, vt dictum est, propterea vt sit constitutiua personæ, habet quatenus sub ratione absoluta concipitur. Quod si vt est constitutiua non concipiatur sub ratione formæ absolute, & incommunicabilis, igitur sub ratione relatiua, & relationis, quod D. Thomæ aduersatur; Non enim inter formam, sub ratione absoluti, & eandem sub ratione relatiui, consideratam, vllum cadit medium, propterea alterum istorum asserere necessum est. Et cum per distinctionem logicam, inquit, quod relatio, vtputa paternitas bifariam considerari potest, vt concepta, scilicet & vt exercita, & quod ipsamet vt exercita actum generationis consequitur, & vt concepta sub expressa ratione paternitatis, præcedit generationem,& constituit hypostasim. Dicendum est, membrum hoc vltimum falsum esse,& D. Thomę repugnans. Nam si paternitas concipiatur sub expressa ratione paternitatis, igitur concipitur sub expressa ratione relationis, claret consequentia, quia paternitas, relatio formaliter est,& si isto modo concipitur, generationem consequitur, & non præcedit,& ita hypostasim constituere nequit. Concipi enim non aufert naturam rei, eapropter si paternitas, concipiatur sub expressa ratione paternitatis, quæ formaliter relatio est, concipitur sub expressa ratione relationis, & sic secundum ipsum sub tali ratione relationis hypostasim constitueret, quod sibijpsi, & D. Thomæ aduersatur. Si autem tertium astruatur, tunc paternitas, vt exercens actum formæ hypostaticæ esset constitutiua. Et id affirmare, est in eandem Capreoli opinionem

nionem incidere, quia ipsam paternitatem exercere actum formæ hypostaticæ, est eam ipsam exercere, actum formæ substantialis, quæ incommunicabilis est. Cum autem exercitium actus talis formæ, sit exercitium illius, sub ratione absoluti, igitur paternitas erit constituiua hypostasis patris, sub ratione absoluti, vt iam dictum est, & non vt est infra latitudinem relatiuam formaliter sumptam, formaliterq. consideratam, siue conceptam. Et cum demum inquit quod in patre est vnicum duntaxat esse relatiuum, datum à paternitate formaliter ante generationem, vt hypostaticum, & post, vt exercitum, dicimus quod omnino falsum assumit in hoc scilicet, quod à paternitate, sit datum esse formaliter hypostaticum, ante generationem sub ratione paternitatis, atqui sub ratione formæ absolutæ, & incommunicabilis, vt sæpe assertum est, & ab eadem paternitate, vt paternitas est, post generationem, datum est esse relatiuū ipsi patri vt à filio distinctum. Et hoc modo, formaliter exercet actum relationis, & distinctionis ab alio, nempè à suo correlatiuo. Nec dictis verissimis pro Capreoli opinione, obstat, id quod astruit. D. Th. j. q. xl. art. iij. ad secundum, scilicet, quod paternitate pater, nō solum est pater, sed est persona, & est quis, siue hypostasis, (non obstat inquam) quoniam opti me fatemur, cum ipso. D. Th. paternitate, patrem, non solum vt patrem relatiue dictum, verum etiam vt personam, & hypostasim, constitui, at alia ratione. Nam paternitate ipsa, sub expressa ratione paternitatis, & relationis, pater, in esse patris, & relatiui constituitur, & à correlatiuo distinguitur, & eadem paternitate sub ratione formæ absolutæ, & incommunicabilis, patris persona, seu hypostasis, pariter constituitur. Et hæc est vera verborum. D. Th. interpretatio. Ex his autem clarissime patet, Scoti argumenta, aduersus. D. Th. minime militare, quibus probare conatur, quod relationi vt relatio est, repugnet

Declaratur. D. Th dictū, non repugnare opinioni Capreoli.

Scoti argumenta aduersus. D Th sen tētiam rectè intellectam minime militant.

gnet constituere personam, siue suppositum, quoniam & hoc idem asserit vbique. D. Th. verum declaratum est ex eius solida doctrina, relationem, hypostasim, siue personam constituere, non quidem sub ratione relationis, atqui sub ratione formæ absolutæ, & incommunicabilis, gerentis vicem differentiæ constitutiue, vel principij indiuiduantis. Nec alia hac in re supersunt argumenta, quę non possint ex dictis facillime solui.

Et hæc de quæstione hac dicta sufficiant.

Quæstio. De locali Angelorum motu. Num in tempore, an in instanti fiat.

VAERITVR. Num localis Angelorum motus, sit in tempore, an solum in instanti. Antequam ad huiusce quæstionis decisionem deueniamus, operæprecium est declarare, id, quod quæstio ipsa supponit, nempe quòd Angelus, in loco sit, localiterque moueri quæat.

Angelus, nec pprie in loco est nec proprie moueri dicitur

Annotandum est itaque primo quòd Angelus, non proprie in loco esse dicitur, nec etiam proprie locali motu, moueri affirmatur, at solum improprie atque æquiuoce. Nam vere proprieque id solum in loco est localiterque mouetur, quod molis quantitate gaudet, extatque corporeum, sicuti videmus elementa omnia, partes & elementata, ac cœlestia corpora in loco per se esse, præter vltimam sphæram, quoniam isthæc omnia, à superficie corporis continentis ambiuntur. Vltima autem sphæra, cum à nulla extrinseca ambiatur superficie, non nisi per accidens seu per partes locari asseritur, vt iiij. physic. tex. com. xliij. dicitur. Et cum sensu constet, corpora in loco proprie esse, localiterque hæc ipsa moueri, nullus nisi rationis ac sensus expers, id negare valet. Angelus autem cum penitus immaterialis sit, omniqúe carens magnitudine, vt docet Arist. xij Metaph. tex. com. xxx. & xliij. ob id ipsum nec in loco, proprie esse, nec locali motu corporibus solum à philosophis attributo, moueri valet. Æquiuoce igitur ac improprie in loco esse dicetur, pariter & moueri. Nam

in

in loco est, iuxta. D. Thoma placitum j. q. lij art j. Et j. sent. dist. xxxvij. q. iij. art. j. Et quol. j. art. iij. per operationem, non quidem immanentem, (si de perfecta ac completa localitate loquamur) at per operationem transeuntem in extrinsecam materiam, siue (quod idem est) in loco esse asseritur, per contactum virtualem, seu applicationem suæ virtutis ad locum siue locatum, quam virtutis applicationem per operationem ostendit externam. Hanc opinionem prosequitur Capreolus. ij. dist. ij. sent. eamque conclusione prima pulcherrime tuatur aduersus Scotum, Aureolum, Gregorium de Arimino, ac Durandum, quorum argumenta adducit, egregieque dissoluit; Angelus enim vbi operatur, ibi est, vbi vero non operatur, ibi non est, & si nullibi operatur, nullibi est. Nec mirum id cuipiam videatur, quoniam communis extat omnium sapientum sententia, incorporalia in loco, minime esse. Quod planè intelligitur, si omni extrinseca operatione careant, non aliter, quoniam per solam extrinsecam operationem ad locum definitur, ac determinatur.

Angelus secundum D. Th. & veritatẽ i loco est, complete perfectéq; per operationẽ trãseuntem.

Angelum autem localiter moueri, vt diuersis in locis, à. D. Thom. habetur, preserim j. q. liij. art. j. & dist. xxxvij. j. sent. q. iij. art. j. & à Capreolo dist. vj. ij. sent. q. j. conclu. ij. est, eundem de loco ad locum se transferre, seu recedere à termino à quo, vbi prius operabatur, & accedere ad terminum ad quem, in quo posterius opus exercet. Transitus quippe Angeli, à loco, in quo prius operabatur, ad alium, cui se per operationem applicat, motus vocitatur. At quoniam motus, in continuum secatur & non continuum, pōt Angelus, continuo moueri motu, & non continuo, siue discreto. Penes autem quid attendatur huiusmodi motus continuitas vel discretio, respectu Angeli, & si modo quodam possit ex supradictis haberi, nihilominus amplius declaratur. Oritur nanque continuitas hæc, ex operationis angelicæ

Quid sit Angelũ, localiter moueri.

Angelus continuo motu, & discreto moueri potest.

conti

continuitate, non quidem vt exeuntis ab ipso Angelo operante, quoniam vt sic solum immanens est, & indiuisibilis, at vt ad operatum in loco terminatur. Et quia tale operatum circa locum vel locatum, continuum esse potest, vt patet de motu aquę in lacu existente, quo successiue, pars, post partem ab Angelo mouetur, ob id, motus talis, continuus appellatur, & in hoc, omnia media, inter terminum à quo, & terminum ad quem, existentia, necessario pertranseuntur; Motus autem discontinuitas siue discretio, hinc trahitur, quoniam cum Angelus recedit à termino in quo prius operabatur, & accedit ad terminum ad quem posterius operatur, non necessario per medium aliquod transit, & propterea motus non continuus seu discretus nuncupatur. Discrimen autem inter hosce duos motus est maximum, quia termini continui motus sunt duo mutata esse, quæ indiuisibilia sunt, quæque motus prædicti partes esse nequeunt, quandoquidem omnes partes continui motus, diuisibiles sint. Mensurantur autem hij prædicti duo termini, indiuisibiles, duobus instantibus, & cum inter huiuscemodi duo instantia vtpote terminos temporis continui, semper mediet tempus, propterea inter duo etiam mutata esse, instantibus præfatis correspondentia ac subdita, nunquam non mediabit motus. Ante enim quodlibet mutatum esse, præcedit motus, & omne moueri, mutatum esse, antecedit. Quo fit vt mobile, ab vno tali termino, ad alium tranhens, necessario per omnia transeat media. Termini autem motus discreti, quamquam indiuisibiles sint, partes tamen eiusdem motus esse valent, quoniam non inconuenit, motum talem, ex indiuisibilibus componi partibus, sicut nec absonum est, numerum vtpote discretum quippiam, ex vnitatibus constitui. Et ne quispiam, hæc veritati aduersari meditetur, norit hanc expressam esse. D. Thom. sententiam. j.q.liij.art.ij. ad tertium vbi sic legitur.

Inter motum continuum atq; discretū, differētia

In

In motu continuo, mutatum esse, ipsius moueri, pars minime est, at terminus, quare oportet ipsum moueri, præcedere mutatum esse, perneccessariumque esse, vt talis motus, per medium sit. In motu autem discreto siue non continuo, asserit, mutatum esse, talis motus, partem esse, sicuti vnitatem numeri partem, hincque fieri, vt successio diuersorum locorum, etiam sine medio, talem motum constituat. Hæc ibi. Hoc idem confirmat, Primo sent. dist. xxxvij. q. ij. art. ij. ad secundum. Si modo, hæc, Angelorum motui applicuerimus, dicendum erit, Angelos ipsos, dum motu locali continuo mouentur, omnia pertransire media, dum autem motu locali discreto, seu non continuo mouentur, vel nullum vel non omnia transcurrere media.

Scoti obiectio.

Quòd si in medium afferatur, Scoti obiectio. dist. ij. ij. sent. q. vlt. inquientis, ordinem à superiori agente præfixum, obseruandum esse ab inferiori agente, circa talia ordinata, operante, & propterea oportere Angelos ipsos operantes circa vniuersi partes à deo ordinatas, dum ab vno loco, ad alium sese transferunt, omnia media inter hæc duo loca, necessario pertransire, & quod si secus fieret, contingeret nullam quantamuis distantiam, eius actiones impedire.

Obiectionis Scoticæ solutio

Dicendum est, ordinem talem à deo præfixum, Angelis ipsis, motu locali discreto, seu non continuo, motis, neutiquam esse præfixum, quoniam Angeli ipsi, suapte natura, in tali motu, à distantiæ locorum legibus, absoluti sunt, nec ex parte effectus tali alliguntur ordini, cum discreto, seu non continuo mouentur motu. Inficiamur deinde consecutionem, quam Scotus ipse deducit, nempe quòd si Angeli suo in motu, non omnia pertransirent media, possent in quantauis distantia, actionem suam habere. Non enim intellexit Scotus, aut intelligere noluit, Angelos ipsos, in motu, seu quibusuis actionibus

suis,

suis, determinatam limitatamque sphæram habere, vltra quam operari nequeunt, & ob id euenire, vt possint quidem in quantauis distantia, suæ actiuitatis sphæram non excedente, pulcherrime operari, at non in quantauis simpliciter distantia, cum virtutem habeant limitatam & finitam. His vero præliba tis, quæ necessario præscienda erant, ad principalis quæsiti enucleationem accedamus.

Quærebatur enim num localis Angeli motus, esset in tempore an potius in instanti. Et quoniam quæstio hæc reuera difficillima est, tum propter materiæ in se subtilitatem, tum propter varias doctorum opiniones, eapropter sic procedemus. Quoniam primo quæstionis titulum declarabimus, deinde veritatis determinationem, doctrinæ. D. Thomę omnino conformem, inculcabimus, postremo difficultates principales, circa veritatem determinatam accidentes, adducemus, easque ipsas, breuiter quidem, at clare dilucideque quoad fieri poterit, resoluemus;

Ver' quæsiti, declaratur sensus.

Quo ad primum itaque sciendum est, quòd verus huius quæsiti intellectus, ad aures. D. Th. quicquid dicat Reuerendissimus Caietanus est, vt quæratur, Num transitus Angeli de loco, ad locum, seu recessus à priori loco, & accessus ad posteriorem, mensura instantanea seu indiuisibili mensuretur, an potius tempore, seu diuisibili mensura. Liquet quippe, quòd dum Angelus in aliquo est loco, suam per operationem, quæ vltimum sui esse habet, talis operatio, solo mensuratur instanti, dumque ab illo recedit, ad aliumque locum accedit, ibidem operando, etiam talis operatio, per quam locatur, alio mensuratur instanti, hincque fit, vt hic transitus, duo complectatur, instantia, & consequenter tempus aliquod. Verum quia à nonnullis harum operationum Angeli, successiuarum est ignorata mensura, arbitrantur hij, Angeli transitum de loco, ad locum, se habe-

re

ve ad modum, substantialis mutationis, quæ in instanti fit, iccirco. Doctor sanctus, vt hanc decerneret veritatem, quæsitum hoc mouit, Num scilicet Angeli motus qui transitum dicit de vno loco, ad alium fit in instanti, an potius in tempore. Et hoc quo ad primum.

Quo ad secundum ponitur hæc conclusio veritatis decisiua scilicet. Impossibile est, Angeli motum, in instanti esse, atqui necessum est, hunc, in tempore fieri. Conclusio hæc, duas habet partes, mutuo se inferentes. Nam cum fieri in instanti, fierique in tempore, contradictoriæ pugnent, hinc euenit, vt altero contradictoriorum negato, alterum necessario affirmetur, & altero posito, reliquum remoueatur, propterea si impossibile sit Angeli motū in instanti fieri, necessum est vt fiat in tempore, & econtra. si in tempore fiat, in instanti fieri impossibile est. Probatur aūt prima huiusce conclusionis pars, hoc modo. Id quod suapte natura successiuum est, in instanti fieri nequit, at Angeli motus suapte natura successiuus est, igitur in instanti fieri nequit. Maior ex se liquet, quia naturaliter successiuum quatenus successiuum est, partes habet, quarum altera, alteri succedit, & sic priorem partem habet & posteriorem, quibus simul in instanti temporis fieri, vel esse, aut poni, repugnat. Minor probatur. Quia quod semper fluit, ac semper aliter se habet nunc quàm prius, successiuum est, at Angeli motus est huiusmodi, quoniam aliter quiesceret, igitur Angeli motus est successiuus.

Conclusio

Conclusionis probatio.

Amplius. Id quod necessario duo includit instantia immediate sibi succedentia, in instanti esse nequit, at solum in tempore; Hæc enim ex se clarissima euadit, at Angeli motus, duo necessario includit instantia, immediate sibijnuicem succedentia, Quæ sic probatur. Quoniam dum Angelus est in termino à quo, vbi operatur, cuius operationis, datur

vltimum esse, talis operatio, vno mensuratur instanti, dumque se transfert ad terminum ad quem, in quo pariter operatur, eius quoque talis operatio, alio mensuratur instanti, cumque transitus hic Angelicus, à termino à quo, ad terminum ad quem, seu recessus à priori loco, & accessus ad posteriorem, sit eius motus, hinc optime sequitur, vt talis motus, duo includat instantia, & sic non in instanti, at in tempore necessario fiat, quod erat probandum.

Adhuc hoc idem confirmatur ex. D. Thom. doctrina. xxxvij. dist. primi sent. q. iiij. art. iij. inquientis, Angeli motum, non aliud quippiam dicere, quàm diuersarum operationum, numerum, & quot sunt operationes ex quibus componitur motus secundum loca diuersa, tot esse, nunc, siue instantia, tempus discretum componentia. Ex his itaque pulcherrime elucet, Angeli motum, duobus mensurari instantibus, & consequenter tempore, quoniam in altero instantium, nempe in primo Angelus dicitur à loco recedere, per positionem de præsenti, & negationem de futuro, quia verum est dicere, Angelus nunc est in hoc loco, & immediate post hoc nunc, in ipso minime erit, In altero vero & secundo instanti, dicitur recessisse per negationem de præsenti, & positionem de præterito, quoniam verum est dicere, ipsemet Angelus, nunc non est in priori loco, & immediate ante hoc nunc, ibi erat. Elucet quoque apertissime, falsam illorum omnium esse opinionem, qui Angeli motum sustinere conantur, in instanti fieri posse, ac esse.

Fundamentum illorum, qui sustinere conãtur, Angeli motum in instanti fieri posse.

Et quoniam opinionem hanc suam, falso nituntur tutari fundamento, ob id, fundamentum ipsum in medium afferemus, & adductum penitus destruemus. Inquiunt igitur. Quòd cum Angelus de loco mouetur ad locum, in toto tempore præcedenti, Angelus est in termino à quo, in vltimo autem instanti

ti illius temporis est in termino ad quem, nec opus est, medium aliquod inter duos terminos esse, sicuti nec necessarium est, vt inter tempus, ac eiusdem temporis terminum, aliquid mediet; Inter duo autem nunc temporis, necessario mediat tempus; Ex huiusce autem opinionis sententia, expresse colligitur, possibile fore, vt aliquid in toto tempore præcedenti, in termino à quo, quiescat, & postmodum in vltimo illius temporis instanti, in alio sit termino, nempe in termino ad quem, & sic mutatum sit. Quod tamen. D. Thomas impossibile censet, hoc præclaro fundamento. Quia cum de ratione quietis sit, quòd quiescens, non aliter se habeat nunc & prius, quia de eius ratione est vniformitas, operæprecium est, quòd quiescens in aliquo toto tempore, in quolibet illius temporis instanti, quietem mensurante, quiescat, eodemque modo se habeat, & sic ne queat, in vltimo instanti esse in termino ad quem, quoniam impossibile est, aliquid in aliquo toto tempore quiescere, & in vltimo instanti illius temporis, aliter se habere, vel motum esse; Et id quidem pulcherrime declaratur. Quia naturaliter loquendo, omissis his, quæ supernaturaliter à deo & fiunt & fieri possunt, & speculatis his duntaxat quæ rerum naturis congruunt, sibique conueniunt, & possibili vel impossibili non logico, at physico solum, (quæ omnia semper præ oculis habenda sunt, cunctis D. Thoma doctrinam sectantibus,) dicendum est, omnino impossibile esse, naturali rerum ordine seruato, quippiam in aliquo toto tempore quiescere, & in vltimo eius instanti, aliter se habere, quia naturæ cursu, semper factum omne, fieri aliquod, præcedit. Nam rerum ordo, id sanè exposcit, vt nil nouum & per se productum, tam repente fiat, quin semper via quæpiam anteceserit, ad ipsum terminum ducens. Cumque sub quiete, nulla via sit ad alteritatem, siue acquisitiuam, siue deperditiuam ipsius esse rei, at solum

Reprobatur à D. Th. præfatũ fundamẽtũ ratione duplici.

lum talis sit sub motu, quo, esse aliquid acquiritur vel deperditur, nimirum sequitur, vt quiescens in ali quo toto tempore, in vltimo termino, seu vltimo eiusdem temporis instanti, eodem modo se habeat. Quòd si ponatur mobile ipsum, vel quiescens in termino, aliter se habere quàm prius, iam non nisi medio motu, terminum ipsum consequi valet. Hincque fit, vt nequeat angelus de loco ad locum, seu de termino à quo, ad terminum ad quem, sese transferre, nisi mediante motu, qui solus, via est acquisitiua loci, seu termini, in quo prius minime erat, & ob id in instanti moueri nequit, vt asserebat præfata opinio. Necessario itaque eius motus in tempore erit. Improbatur rursus dicta opinio, hac alia ratione. Quia omnis instantanea mutatio terminus est alicuius motus, hæc inductiuæ patet, at motus angeli non est terminus alicuius alterius motus, quandoquidem à nullo alio motu dependeat, vt clarissime constat, igitur talis motus non est instantaneus, at in tempore, vti dicebatur.

Aduersus conclusionem fundamentum, tres à Scoto adducuntur in Hantie.

Quo ad tertium adducenda sunt, tum Scoti, tum Gregorij de Arrimino argumenta præfatam veritatem impugnantia, & diluenda. Scotus nanque. ij. dist. ij. q. xj. arguit aduersus conclusionis fundamentum, triplicem afferens instantiam. Primam quidem de instantanea transubstantiatione panis in corpus Christi, quia sequeretur inquit, quòd in vltimo instanti prolationis verborum in consecratione, esset ibi vera forma panis quæ præfuit in toto tempore prolationis illius. Secundam vero, de aëre tenebroso, dicens, quòd aër qui erat in esse tenebroso per totum tempus, in vltimo instanti illuminationis illius aëris tenebrosi, esset aër tenebrosus, sicque illuminatio haud fieret in instanti. Quòd si dicatur (inquit ipse) illuminationem esse terminum localis motus, quo, sol, medio sit præsens, nihil officit, tum quia hoc est per accidens, tum quia potest deus, instanta

ſtantaneæ corpus luminoſum producere præſens aëri quieſcenti in tenebra, toto tempore præcedenti, tum demum quia euadi non poteſt quin ex parte ſubiecti, aër quieuerit reuera in toto tempore, & in vltimo inſtanti aliter ſe habet. Tertiam demum, de angelo ipſo, Quoniam ex præmiſſa propoſitione fundamentali, ſequi videtur, quòd angelus in aliquo toto tempore quieſcens, nullatenus poſtmodum moueretur. Deducitur conſequentia, quia poſito quòd vna hora quieſcat, aut incipiet moueri in vltimo illius horæ inſtanti, & id, per te dici nequit, nec etiam mouebitur in inſtanti mediato, quia tunc tempore intermedio quieuiſſet, nec immediato, quia inſtans, inſtanti, immediatum eſſe nequit.

Gregorius autem Arrimin. diſt. vj. ij. ſent. q. iij. art. j. multipliciter aduerſus prædictam concluſionem arguit, vt ex Capreolo patet. ij ſent. diſt. vj q. j. contra quartam concluſionem. Verum duo duntaxat ex his adducam argumenta directè concluſionem impetentia, quorum alterum eſt. Mobile ſimul totum locum relinquens, ſeu abijciens, in quo prius erat, & ſequentem locum ſimul totum occupans, mouetur in inſtanti, at angelus, ſimul totum priorem locum relinquit & deſerit, ac ſimul totum poſteriorē locum occupat, igitur in inſtanti mouetur.

Gregorij Arrimineſis aduerſus concluſionem, argumenta.

Alterum vero eſt. Si aliquod graue deſcenderet de loco, ad locum per vacuum, illud in inſtanti moueretur & deſcenderet, igitur angelus poteſt ex vno ad alium locum, in inſtanti ſeſe transferre, etiam per medium. Maior videtur Ariſt. eſſe. iiij. Phyſic. & Commentatoris commento lxxj. conſequentia vero aperte deduci videtur, quia tunc in vacuo, nulla eſſet medij reſiſtentia pariter & in motu angeli, nulla eſt alicuius corporis reſiſtentia, igitur idem quod prius.

Ad huiuſce difficultatis claritudinem, inquit Reuerendiſſimus Caietanus. j. q. liij. art. iij. prius aperiendum

riendum esse præfate propositionis sensum, illius, scilicet. Omne quiescens in aliquo toto tempore, in quolibet illius instanti, eodem modo se habet. Et antequam propriam huius propositionis interpretationem ponam, quæ est Capreoli, vbi supra ad sextum Greg. contra quartam conclusionem adducit, & reprobat. Ait enim quosdam astruere, ipsam, sic esse interpretandam, vt dicatur, quòd omne quiescens in aliquo toto tempore primo, seu adæquate, etiam in quolibet illius instanti intrinseco, scilicet, eodem modo se habet, & subinculcat, hoc sic dicentes, propriam vocem ignorare, quia etiam eorum iudicio sic intellecta, habet instantiam. Nam non sequitur (inquit) quòd quicquid est homo, in aliquo toto tempore, adæquate, in quolibet illius instanti intrinseco, sit homo, quia in vltimo instanti, potest esse corruptus, & tamen secundum ipsum Capreolum, id esset admittendum.

Caietan⁹, Capreoli interpretationem quã huic dat propositioni, scilicet. Oẽ quiescens ī aliquo toto tempore, &c. impugnat.

Verum mea sententia, non videtur Reuerendissimus Caietanus, hac in re Capreoli mentem attigisse, & proinde haud rationabiliter ipsum impugnasse. Nam seipsum pulcherrime declarans, loco citato, ait, vt etiam Doctor sanctus affirmat, quòd de ratione quietis est vniformitas, sicut de ratione motus, difformitas, & propterea opus esse, vt quicquid quiescit in aliquo tempore primo, seu adæquate, in quolibet instanti illius intrinseco, maneat vniforme, & in eadem dispositione, ita vt non sit accipere illius temporis duo instantia, in quibus mobile sit in diuersis dispositionibus, respectu formæ secundum quam dicitur quiescere. Et per instantia intrinseca, intelligit Capreolus, instantia, siue continuantia, siue terminantia tempus, vt clare paret ex calce eiusdem responsionis. Ex hac autem responsione clare elucet, propositionem verissimam esse, nec vllam pati calumniam. Et cum inquit Caietanus eam ipsam sic declaratam falsam reddi, quia non

quicquid

quicquid est homo, in aliquo tempore adæquate, est homo in quolibet illius temporis instanti, quoniam homo in vltimo instanti potest esse corruptus. Dicitur quòd oportuit ipsum meminisse, se inferius astruxisse, propositionem taliter à Capreolo declaratam, veram esse non gratia formæ, at solum gratia materiæ, & propterea non in omnibus terminis, at solum in præfatis veritatem habere. Et iccirco dici minime debet. Quicquid est homo in aliquo toto tempore adæquate, in quolibet illius instanti, eodem modo se habet; Quod patet ex ipso. D.Th. opinionem ab ipsomet recitatam impugnante, & dicente. Vnde non est possibile vt aliquid in toto tempore præcedenti quiescat in vno termino, & postea in vltimo instanti illius temporis sit in alio termino. Et cum subdit idem Caietanus primam opinionem ab ipso doctore sancto reprobatam, haudquaquam asserere, aliquid quiescere in aliquo toto tempore, & in vltimo illius instanti intrinseco, aliter se habere, falsum expromit, quoniam id expresse astruit. D. Thom. vt ex supradictis patet. Quòd si fieret vis in verbo illo addito, scilicet intrinseco, dicitur, illud quidem expresse minime addi disse, ipsum. D. Thomam, verum illud subintelligi debere, si appellauerimus instans, intrinsecum illud, quod est temporis non solum continuatiuum, sed terminatiuum, ad sensum Capreoli. Cum autem ipse propriam affert interpretationem, inquiens, quòd id quod dicitur in toto tempore quiescere, bifariam distribui potest, & primo quidem in partes tantum, vt idem sit dicere, in toto aliquo tempore, & in qualibet parte illius temporis. Secundo in partes, & in quæcunque illius sunt, vt idem sit ac si diceretur, in toto aliquo tempore, & in qualibet parte, ac in quolibet illius instanti, Et asserat vtrunque sensum, esse quidem in vsu, verum primum sensum, tum à philosophis, tum à Theologis fore magis ap-

Quis duorum sensuũ à Caietano, assignatorũ præfatæ propositionis sit melior.

probatum, Mihi dicendum videtur, secundum sensum magis arridere. D. Thomæ doctrinæ, cum semper affirmet, Id quiescere in toto tempore, quod in quolibet illius instanti, eodem modo se habet, vt cuilibet ipsum legenti, patet.

Ad Scoti primã instantiam responsio.

Ad Scoti autem instantias, & Gregorij argumenta respondetur. Et ad primam quidem Sco. instantiam, dicitur, ipsam nihil concludere aduersus veritatem prædictam, tum quia transubstantiatio panis in corpus Christi, miraculosa est, nos autem de his quæ rebus ipsis naturaliter conueniunt, loquimur, tum quia nequit vere propriéque dici, transubstantiationem talem, quietem habere præcedentem sibi oppositam, quandoquidem, ipsa, motus minime sit. Quies enim motui opponitur, priuatiue tamen, vt clare docet Aristot. v. Physic. tex. com. liij. vtque ibidem Commentator declarat. Et propterea negatur, consequentia, nempe quòd in vltimo instanti prolationis verborum ipsius consecrationis, adhuc esset vera forma panis quæ in toto tempore prolationis verborum præfuit; Equidem fuit in toto tempore prolationis illius, forma panis, at non quiuit, vt imaginatur Scotus.

Ad secundam.

Ad secundam de illuminatione aëris tenebrosi, dicitur, falsum esse, aërem in toto tempore præcedenti, quiescere sub tenebra, in vltimo autem instanti, illuminatum esse. Potest quidem vere dici, ipsum esse sub tenebra, at non sub ipsa quiescere, & iccirco negatur sequi, aërem sub tenebra existentem, in vltimo instanti illuminationis, tenebrosum remanere. Illuminatio quippe, non quietis at motus localis est terminus; Et cum arguit Scotus, id esse per accidens, respondetur, quòd tametsi illuminatio absolute loquendo, localem motum per accidens terminet, vt de partibus clarescit corpori solari, semper proximis, quæ perpetuo decorantur lumine, nullo ipsius solis accessu vel recessu, intercedente, illumina

tio

tio tamẽ noua, de qua solum nunc agimus est per se terminus localis motus, & licet non per se primo, at secũdo & extrinsecus sit, habet tamen ad motum, illum ordinem, & aër illuminatus, modo quodam potest dici moueri, dum ad lucem, tenebre oppositam, sese appropinquat, per continuam ablationem obstaculi luminis ac per continuam distantiæ solis ablationem. Et cum rursus instabat de corpore luminoso instantaneæ à deo, producto, dicitur, hoc ad propositum minime esse, quoniam ad dei potentiam recurrit, non ad ea quæ rerum naturis congruunt. Cumque postremo arguebat, non posse effugi, quin aër, in toto tempore præcedenti, quieuerit, & in vltimo instanti aliter se habuerit. Dicitur ad hoc, iam ex dictis haberi responsio. Nam dictum est, non posse dici, aërem sub tali tenebra quiescere, aut quieuisse, quin potius moueri.

Ad tertiam de Angelo, negatur consequentia, & ad eius probationem, dicitur, ipsam procedere ex malo intellectu motus Angelici, quia talis motus, non vno mensuratur instanti temporis, at duobus, non continuum, at discretum tempus, componentibus, quæ quidem instantia, mensurant angelorum operationes. Potestque quodlibet istorum instantium correspondere, non solum vni temporis nostri, instanti, verum & vni parti eiusdem, puta vni hore; Et quia in operatione angeli, qua dicitur esse in termino à quo, mensurata, per primum instans, datur vltimum esse illius, & similiter in operatione, qua est in termino ad quem, mensurata, per secundũ instans, datur primum illius esse, propterea recessus à termino à quo, & accessus ad terminum ad quem, qui angeli motus, vocitatur, est, necessario in duobus instantibus vti etiam supra tactum est; Recessus igitur termini à quo, id est ab vltimo esse illius termini, erit per positionem de præsenti, & negationẽ de futuro, accessus vero, per negationem de præsenti

Ad tertiã

&

& positionem de præterito. Et in casu Scoti, diceremus, quòd Angelus nunc, seu in hoc primo instanti horam mensurante, est in isto loco, & post istud in stans, in hoc ipso non erit, Et similiter nunc in hoc secundo instanti, aliam horam mensurante, non est in priori loco, & ante hoc ipsum ibi erat, igitur est mutatus, & iste motus, in duobus erit instantibus immediatis, tempus discretum constituentibus. Ob id falsum asseruit Scotus, inquiens, non posse instans, immediatum esse instanti. Possunt enim duo temporis discreti instantia, esse immediata, licet non duo temporis nostri continui.

Ad primū Gregorij argumentum respō sio.

Ad argumenta vero Gregorij. Et ad primum quidem, dicitur, Maiorem esse falsam, quoniam ipsa solum veritate gaudet, in his quæ simul tota relicta, non habent vltimum esse, sed solum primum sui non esse, in illis autem quæ vltimum sui esse habent, falsissima est. Ad secundum dicitur conditionalem assumptā, à veritate omnino esse alienam quoniam si per impossibile, graue moueretur in vacuo, in tempore, non in instanti moueretur. Non enim tota ratio successionis motus, est spacij plenitudo, vti arbitrabantur antiqui, vt habetur ex Arist. iiij. physicorum tex. com. lxxj. & nonnullis alijs, eosdem sequentibus, sed ipsamet natura motus, de cuius ratione essentiali, & formali, est continuitas & successio, cui repugnat, in instanti esse, & ab eodem mensurari, Repugnat quoque eidem in instanti fieri, quia in vacuo esset extensio spacij imaginarij, si extensio, igitur & extremorum distantia, igitur situum oppositio, quorum alterum, sursum esset, deorsum alterum; Qua re graue simul sursum & deorsum, esse nequiret. Ad Angelum autem applicando, dicitur, quòd Angeli motus, non ideo est in tempore, quia aliqua adsit spacij distantia, vel mobilis resistentia, verum quia adest terminorum incontingentia, cum non contingat, Angelum,

Ad secundum.

gelum, in duobus simul esse locis, vt. D. Thom. quolib. ix. quæstio. ix. ad primum apertissime docet; Nec aliud in quæstione hac dicendum occurrit, quare hæc dicta sufficiant.

Quæstio de Angelorum merito, prima.

VAERITVR, Num Angeli omnes in primo suæ creationis instanti beatitudinem mereri potuerint & de facto ipsam promeruerint. Hæc quæstio quoniam ad aures. D. Thomæ perdifficilis est, in hacque haud parum inter se dissident Thomistæ, eapropter vt ipsius clara habeatur notitia quantum humani ingenij vires capere possunt, sic procedemus; Nam primo declarabimus terminos in quæstione positos. Deinde conclusionem ponemus, eamque ipsam ex. D. Thomæ doctrina claram reddemus, tertio aliorum opiniones ex veritate determinata explodemus. Postremo hac in re difficultatem afferentia, dissoluemus.

Dicendorũ series.

Angelum mereri, quid sit, pulcherrime declaratur.

Quo ad primum annotandum est, quod Angelos posse beatitudinem mereri, vel de facto promeruisse, nil aliud sonat, quàm eosipsos posse elicere actionem voluntariam secundum quam eisdem beatitudo debeatur, secundum iustitiam. Talis autem actio sic elicita, meriti nomen sortitur, meritum vero debitum necessario includit, ita vt quotienscunque quis elicit habetque talem actionem, quæ meritum à Theologis appellatur, illi, iure merces præmiumque debeatur, quod si à præmiorum largitore non redderetur, iniustus, vel iniuste agere diceretur, modo tamen declarando, Inniti tur nanque meritum non largitati, at iustitiæ, vt operanti, scilicet, præmium æquale eius operi reddatur. Et hæc omnia pulchre insinuauit Apostolus Rom. iij. dum dixit. Ei qui operatur merces non imputatur secundum

dum gratiam, sed secundum debitum. Verum animaduertendum est, quòd quia inter creaturam & creatorem Deum, ius simpliciter reperiri nequit, sed solum ex suppositione, seu pollicitatione, vt quoniam omni taliter operanti pollicitus est Deus se beatitudinem redditurum, ob id reddere tenetur, quam si non redderet, iniustitiam non quidem creaturæ, at sibi ipsi suæque voluntati faceret, non reddendo quod promisit. Huiusce rei exemplum est accommodatissimum Math. xx. de patrefamilias complures operarios in vineam suam mittente, illisque promittente se singulos denarios elargiturum, quos, iuxta pollicitationem suam sero reddidit. Verum de hoc alias vita comite. Nomine autem beatitudinis, non naturaliter beatitudinem quam proprijs viribus tum homines, tum Angeli, nanciscì possunt, in contemplatione summi dei naturali, consistentem intelligimus, at eam quę ex sola Dei gratia haberi potest, audimus; Hæc enim beatitudo est qua intellectuales creaturæ vere felices sunt, quaque Deum haud per similitudines, at facie ad faciem contemplantur, ipsoque perpetuo fruuntur. Erit igitur sensus tituli huiusce quæstionis: Num Angeli omnes ex gratia in qua conditi sunt, vt expresse testatur Augustinus beatitudinem supernaturalem in primo suæ creationis instanti promereri potuerint, & de facto promeruerint, ipsis perseuerantibus, vere reddendam.

Inter creaturam, & creatorē, ius simpliciter reperiri nequit, at solū ex suppositione.

De beatitudine supernaturali, non naturali est sermo.

Quo ad secundum ponitur hæc affirmatiua conclusio. Angeli omnes in primo suæ creationis instanti ad aures. D. Thomæ, supernaturalem beatitudinem, & mereri potuerunt, & de facto eamipsam promeruerunt.

Conclusio

Angelos omnes in gratia cōditos, esse testatur. D. Augustinus.

Ad huiusce conclusionis euidentiam sciendum est, ipsam supponere Angelos omnes in gratia conditos esse, quod aperte astruit D. August. xij. de ciu. Dei, sic inquiens. Bonam voluntatem quis fecit in Angelis,

Angelis, nisi ille qui eos sua voluntate, id est cum amore casto, quo illi adhærent, creauit? Simul in eis condens naturam, & largiens gratiam. Quod etiam D. Thomas. j. q. lxij. art. iij. Et ij. sent. dist. iij. art. iij. Et dist. v. q. ij. art. ij. & quol. ix. art. viij. & vbique sustinet, D. Aug. semper innitens, quicquid dicant cæteri tenentes Angelos eosdem in puris naturalibus esse creatos. Et hac ratione inductus Doctor sanctus, ait, opinionem suam, & D. Augustl. esse probabiliorem, quoniam cernimus ea omnia quæ in prima rerum conditione producta sunt, secundum quasdam rationes seminales iuxta D. Aug. sententiam super Genesim ad literam, à Deo effecta fuisse, veluti arbores, animalia, & cætera huiusmodi. Cumque gratia ipsa gratum faciens, ad beatitudinem supernaturalem comparetur, veluti ratio seminalis in natura ad naturalem effectum producendum vt scribitur j Ioann. iij. vbi gratia Dei semen appellatur, sanè sequitur quòd sicut in prima rerum conditione corporalibus creaturis à Deo mox inditæ sunt seminales rationes, ita, & Angelis, creaturis intellectualibus in primo suæ creationis instanti, simul cum natura producta, sit gratia vere seminalis beatitudinis ratio, quæ solum natura posterior est Angeli substantia, non autem tempore, seu duratione. Modo quòd Angeli in primo instanti in gratia conditi, mereri potuerint, hoc expresse. D. Thomas edocuit. j. q. lxiij. art. v. ad tertium. Vbi postquam astruxit, quòd quidquid est in merito est à Deo, subdit. Et ideo in primo instanti suæ creationis, Angelus mereri potuit. Quòd autem de facto meruerit, in responsione ad quartum his verbis aperte declarat; Deus non discreuit inter Angelos ante auersionem quorundam & conuersionem aliorum, vt Aug. dicit. xj. de Ciui. Dei. Et ideo omnes in gratia creati, in primo instanti meruerunt. Quo certe nil clarius dici poterat. Nec vllatenus Capreoli acceptanda est in

Angeli in primo suæ creationis instanti mereri potuerunt, de facto; meruerunt

interpretatio, quam dat his. D. Thomæ verbis. Inquit enim. iiij. dist. ij. sent. ad primum Sco. aduersus. quintam conclusionem, hoc. D. Thomæ dictum intelligi posse, quòd meruerunt non eliciendo actum meritorium & formatum gratia, sed quia in primo instanti digni fuerunt beatitudine per gratiam quam habebant, eo modo quo quilibet in gratia, & caritate existens, dignus est vita æterna, dato quòd nullum meritum elicuerit, sicut patet de pueris nouiter baptizatis. Non est inquam acceptanda hæc interpretatio, quoniam apertissime doctrinæ. D. Thomæ repugnat plerisque in locis. Nam ad aures eius constat, meritum non habitum virtutis, at actum ex eo proficiscentem dicere, vt habetur. xxv. dist. iij. sent. q. ij. art. j. quæstiuncula j. vbi habet hæc precise verba. Meritum autem consistit in actu virtutum. Et. j. par. q. lxij. art. iiij. vbi ait, actum non posse esse meritorium, nisi quatenus est ex libero arbitrio gratia informato. Hoc idem asserit art. v. inquiens, quòd statim post vnum actum caritate informatum, beatus fuit. Et. q. lxiij. art. vj. inquit, per vnum actum meritorium ad beatitudinem ipsum peruenisse. Ad id quod de pueris ait nouiter baptizatis, quoniam ex sola gratia ex baptismate recepta, absque merito saluari possunt, dicitur, quòd equidem si decedant, absque proprio merito saluantur, at non absque Christi merito, vt pulcherrime docet Doctor sanctus, ij. ij. q. cxxiiij. art. j. inquiens, in pueris baptizatis per gratiam baptismalem, meritum Christi operatur ad gloriam obtinendam. Et. ij. dist. iiij. sent. art. ij. quæstiuncula iij. ad primum ait, quòd ex merito Christi solo pueri baptizati ad vitam æternam perueniunt. Et cum amplius subdit Capreolus, quòd in primo instanti fuit in Angelis meritum potentiale, vel habituale, vel virtuale, vel interpretatiuum, non autem actuale, & elicitum, & quòd id ad merendum sufficiat, hoc inficias imus. Quod rursus subinculcat impossibile

Capreoli interpretatio, ad verba. D. Th. data, nullatenus est acceptanda.

Christi merito pueri baptizati, salutem consequuntur.

bile minime esse, vt Angeli in primo instanti habuerunt actum meritorium, qui est dilectio electiua non Dei, sed ipsorummet gratia informata, lege diuina regulata, & debitis circunstantijs vestita. Dicimus assumptum falsum esse, & contradictionem implicare. Falsum quidem, Quia cum finis agendorum sit ratio eorum quæ sunt ad finem, quandoquidem principium sit cuiuslibet operationis practicæ, propterea impossibile est Angelos habere dilectionem electiuam suiipsorum absque Dei dilectione, vtpote principio eos mouente ad suam dilectionem, Contradictionem vero implicare. Quia si præfata Angelorum dilectio est diuina lege regulata, & debitis circunstantijs vestita, & nequeat esse regulata, nisi dilectione diuina, ad quam suapte natura dilectio quælibet ordinatur & similiter si talis dilectio est debitis circunstantijs vestita, vt dicitur, cum prima omnium & potissima circunstantiarum sit circunstantia primi & vltimi finis qui est Deus, igitur non poterit talis dilectio absque peccato elici, nisi prius perspecto fine, & in ordine ad ipsum, & cum ponatur, quòd habuerint solum suiipsorum & non Dei dilectionem, igitur erit dilectio elicita ipsius Dei, & non Dei, quod contradictionem (vt dicebamus) implicat. Patet quoque ex citatis Diui Thomæ dictis, falsum esse & aliud Capreoli dictum, vbi supra, nempe quòd Angeli mali nunquam meruerunt. Nec id illis ex verbis quæ ex. D. Thoma. j. q. lxiij art. vj. in solutione argumenti, citat, elici potest, cum ait, quòd omnes Angeli in primo instanti suæ creationis habuerunt motum naturalem in bonum, & in secundo instanti boni conuersi sunt ad Deum, & mali in eodem instanti auersi sunt ab eo. Quoniam ad hunc sensum intelligenda sunt hæc sua verba, vt scilicet, Angeli in primo suæ creationis instanti, naturalem motum habuerint, naturalem inquam, vt naturale contra penitus liberum in creaturis distinguitur. Nam taliter liberum

Reprobat & aliud Capreoli dictum quo asserit angelos malos nũquam meruisse.

rum in bonum, flecti potest & in malum; Et intendit, ipsos Angelos, habuisse naturalem motum, quia solum ad bonum, non item ad malum. Est enim motus hic naturalis, quo ad actus specificationem, quam ab obiecto trahit, quia nequibat in malum tendere. Non tamen ob id, quia sic naturalis fuit, terminatus est solum ad naturale bonū tanquam ob iectum, quoniam tam respectu boni supernaturalis, quàm naturalis, ita determinatus fuit, vt in primo instanti nequiret ad malum aliquod conuerti. Quemadmodum enim natura ad vnum semper impellit, nempe ad bonum, ita gratia in natura Angeli reperta, ipsius voluntatem insupernaturale bonum impulit, vt ab illo declinare nequiuerit, & propterea in primo instanti malum eligere, aut amplecti non valuit. Cum hoc tamen, Angeli voluntas, in primo instanti; libera extitit, tum quoad exercitium actus respectu boni naturalis, tum quo ad quodcunque aliud bonum, naturale bonum perficiens, veluti est supernaturale bonum. Tendit quippe Angelus in suo instanti primo non in supernaturale bonum simpliciter & absolute ita vt in ipsum tendere posset, & in malum, at solum in illud vt naturali bono, conforme, quod est tendere semper in bonum, non autem in malum, quod est præter naturam. Neque inconuenit vt nonnulli arbitrantur, è quorum numero est Capreolus vbi supra, & Bartholomæus Pisanus ipsius Capreoli sectator, in quæstione de primis Angelorum operibus, Angelorum intellectum & apprænsionem pariter & appetitum simul, in natura le bonum ferri & supernaturale, quatenus supernaturale est naturali bono conforme, eiusque perfectio, eo, scilicet modo quo finis postremus est anterioris finis in illum ordinati, perfectio. Inconuenit autem quòd apprænhendatur ab intellectu Angelico pariter & ab eius voluntate appetatur bonum naturale & supernaturale absolute, quoniam tunc posset

Angeli mali habuerunt naturalē motum, ē primo suæ creationis instanti, ad bonū naturale, & supernaturale, quia peccare non potuerūt.

Refellitur Capreoli, ac Bartholomæi Pisani dictum, quo arbitrantur, Angelorum intellectum & appeti-

tum non posse simul ferri in naturale ac supernaturale bonum.

ex libertate voluntatis ipsius, in primo instanti bonum appetere supernaturale, & malum eius oppositum, quod neutiquam dicendum est; Quòd autem Angelicus intellectus nequeat per diuersa lumina, quorum alterum est naturale, alterum supernaturale, simul in vnum, vel in diuersa ferri obiecta, vt inquit præfatus Doctor Pisanus, id à veritate recedit, quia cum talia lumina sint ad inuicem subordinata, & vnum, alterius sit perfectiuum, vt patet de essentia Angeli, qua seipsum & Deum naturaliter agnoscit, & de gratia qua ipsummet Deum vt supernaturalis beatitudinis obiectum, inspectat. Nam simul vtroque vti potest in primo suæ creationis instanti, secus de speciebus eiusdem ordinis, quales sunt species Angelorum congenitæ, dicendum est. Aduertendum tamen. gratiam non aliter posse speciei rationem habere, nisi speciei sub qua aliquid videtur, cum ipsa non sit proprie loquendo, alicuius similitudo repræsentatiua. Confirmatur quoque prædicta conclusio eiusdem. D. Thomæ auctoritate. iij. parte. q. xxxiiij. art. iij. ad primum vbi responsionem concludendo ait. Et ideo liberum arbitrium creaturæ, in primo instanti creationis, potest moueri ad bonum, merendo, non autem ad malum, peccando, si tamen natura sit integra. Quid quæso hac in re clarius dici poterat? Nonne & Christus in primo suæ conceptionis instanti meruit? Id sanè nemo est, qui inficietur. Et si his adiunxerimus meritum esse non posse nisi in actu libero, optime sequetur & Christum dominum, & Angelos omnes, in primo tum conceptionis, tum creationis, instanti, liberum arbitrium habuisse, haud tamen ad bonum, & malum indifferens, verum ex naturę ordine, ad bonum duntaxat determinatum.

Potest Angelus in primo suæ creationis instanti. duob⁹ luminibus vti, naturali, videlicet, & supernaturali.

Scoti rõnes, quib⁹ mouetur ad ponen

Ex his autem dictis vti verissimis exploditur Scoti opinio tenentis. v. dist. ij. q. ij. Angelos in primo instanti non potuisse mereri, quoniam (inquit) Angeli

geli operatio, auctoris naturæ, non sua ex. D.Th. esse videtur, si non sua, cum nullus mereri valeat operatione aliena, igitur in primo instanti Angelus mereri nequiuit. *dum Angelos non potuisse ī primo*

Rursus cum operatio cuiuslibet viatoris quo ad exercitium actus ad aures. D. Thomæ libera sit, vt sic libera, potuit circunstantiam aliquam deformitatis apponere: Et confirmari potest hæc ratio, quoniam extante voluntatis libertate, quo ad exercitiū actus, potuit saltem peccare, omissionis peccato ex eo quòd potuit actum elicere, & non elicere. *suæ creationis instanti promereri.*

His argutiunculis facillime respondetur, & ex iam dictis responsio elici potest. Nam pulchre fatendum est, primam Angeli operationem & Dei auctoris naturæ, & ipsius Angeli esse, Dei quidem vt Angeli naturam producentis, & eandem simul ad bonum determinate mouentis, Angeli vero, vt operationem elicientis, & libere quo ad actus exercitiū, & naturaliter quo ad specificationem actus eiusdem, & propterea meritoria fuit. *Ad Scoti rōnes, responsum.*

Et cum vlterius instat quia si voluntas libera est, quo ad actus exercitium, igitur potuit apponere aliquam deformitatis circunstantiam, consequentia nulla est, quia cum voluntas ipsa in primo instanti à natura, determinata fuerit ad bonum duntaxat, & ad actus rectitudinem, nullam penitus deformitatē admisit, nec admittere valuit. Confirmationi postremo satisfit negando, quòd in primo instanti potuerit omissionis peccatum incurrere ex voluntatis libertate, quo ad exercitium actus, quoniam omissio quæ peccati rationem subijt, rationem voluntariæ declinationis, actum voluntatis obliquum necessario habentis annexum, præincludit. Et quoniam assertum est sæpius Angeli voluntatem, naturaliter determinatam in primo instanti fuisse ad actus rectitudinem, eapropter in eodem instanti nequiuit omissionis peccatum incurrere, sicuti nec commis-

sionis. Et id quo ad tertium quod pollicitum erat.

Aduersus conclusionem, duplex affertur argumentum, Et primū est.

Quo ad quartum aduersus conclusionem ipsam obijcitur: Quia si omnes Angeli in primo instanti vere ac proprie meruerunt, sequitur omnes in eodem impeccabiles redditos fuisse, & ita nullum damnatum fuisse, quod nedum falsum at hæreticum est. Consequentia probatur sicque deducitur. Nam si omnes (vt dicebatur) in tali primo instanti meruerunt igitur habuerunt actum dilectionis electiuum respectu obiecti supernaturalis beatitudinis, igitur actum electiuum inflexibilem, igitur in secundo instanti peccare nequiuerunt, igitur in primo instanti impeccabiles redditi sunt quod probandum erat, prima consequentia ex se liquet, quia vbi est meritū, ibi necessario est dilectionis, & caritatis actus electiuus, quandoquidem meritum actus sit liberi arbitrij, gratia & caritate informatus. Secunda consequentia patet quia si Angeli ipsi post electionem habent liberum arbitrium inflexibile, vt clare astruit Doctor san. j. q. lxiij. art. vj. ad tertium & in primo instanti talem habuerunt electionem, sanè sequitur, eos ipsos impeccabiles fuisse redditos.

Primo satisfit argumento.

Ad hoc argumentum respondetur primam interimendo consequentiam, & ad eius probationem admisso antecedente vna cum sua consequentia ad secundam cum infertur, igitur actum electiuum inflexibilem habuerunt: dicitur quòd quia actus electiuus idem sonat quod actus liber, eapropter Angelos habuisse in primo instanti actum liberum duobus modis potest intelligi, primo modo, quòd actū habuerint liberum quo ad exercitium actus, dumtaxat, quia poterant ipsum elicere, & non elicere, non autem quo ad specificationem ipsius actus, quia sic erat talis actus ad vnum determinatus obiectum, nempe ad bonum, tum naturale, tum supernaturale, (vt tamen supranaturali bono conforme,) quòd nequibant in malum deflecti, sicque intelligendo,

ad

admittitur consequentia nempe, quòd Angeli habuerunt actum electiuum, seu liberum quo ad exercitium ipsius, & inflexibilem quo ad malum, quandoquidem ad malum flecti non possent, at tunc negantur omnes illatæ consequentiæ, vtpotè ab ipsa veritate recedentes. Secundo modo intelligi potest vt habuerint actum electiuum, seu liberum, tum quo ad exercitum, tum quo ad specificationem actus eiusdem, & inflexibilem absolute, ita quòd in secundo instanti nullatenus in malum flecti possent, & ad hunc sensum negatur ipsa consequentia, quia Angeli omnes in secundo instanti vere perfectéque liberi extitere, adeo vt omnes valerent in bonum malum ue deflecti, negantur, & consequenter cæteræ consequentiæ. Et ad dictum. D. Thomæ dicitur, quòd sic intelligitur, vt Angeli habuerint liberum arbitrium inflexibile post electionem, post electionem inquam totaliter liberam, nempè ad bonum, & malum. Et quia in solo instanti secundo habuerunt Angeli electionem huiusmodi liberam totaliter, eapropter post talem electionem sæpe dictã, habuerunt liberum arbitrium omnino inflexibile, dum boni in fælicitate, & mali in miseria, confirmati sunt.

Exponit. D. Th. dictum.

Amplius obijcitur ex S. Thomæ, doctrina. j. q. lxiij. art. vj. ad quartum. Ibi enim dicitur, quòd instans primum Angelorum correspondere intelligitur operationi mentis Angelicæ qua in seipsam conuertit per vespertinam cognitionem, quia in primo die commemoratur, vespere, sed non mane: ex his sic arguitur. In primo instanti, Angeli habuerunt solummodo agnitionem vespertinam qua in seipsos conuersi sunt, igitur in tali primo instanti meruerunt non potuerunt; Consequentia probatur, Quia cum agnitio vespertina ea sola sit, qua cognoscunt se ipsos, & alia omnia naturali cognitione, igitur in tali primo instanti non conuersi sunt in Deum vt su-

Argumentum secundum.

pernaturalis beatitudinis obiectum, igitur in illo me reri haudquaquam potuerunt.

Præfato respondetur argumento. In quo discriminẽtur cognitio iuspertina, & matutina

Huic argumento quod ex malo. D. Th. verborum intellectu conficitur, respondetur: quòd cognitio vespertina ex ipsomet. D. Th. j. q. lviij. ar. vij. & de Ver. q. viij. art. xvj. & xvij. à cognitione matutina, in hoc seiungitur, quoniam vespertina omnis illa est, qua res, (quæcunque illæ sint,) per medium creatum agnoscuntur: matutina vero qua res eædem, per medium increatum nempè per diuinam essentiam, siue per verbum contemplantur; Et quia cognoscere Deum ipsum per gratiam, eundemque per ipsorum Angelorum substantiam, & cæteras res per species sibi congenitas, est hasce res omnes, per medium creatum agnoscere, propterea cognitio quælibet per gratiam habita, vespertina cognitio merito dicenda est; Gratia quippe & si ad supernaturalium rerum ordinem spectet, quia tamen creata est, modo sibi conuenienti, eapropter sub medio continetur creato; Cum igitur arguebatur Angelos in primo instanti habuisse solum cognitionem vespertinam, dicitur verissimum id esse, at cum infertur, igitur in eodem instanti promereri minime potuerunt, negatur hæc consequentia, quoniam quicquid cognoscitur per medium, siue naturale, siue supernaturale dummodo creatum sit, vespertina cognitione dignoscitur, & idcirco argumentum nihil concludit.

Et hæc de præsenti quæstione.

Quæstio. De Angelorum merito, secunda.

VAERITVR rursus, num Angeli in secundo instanti à sua creatione mereri potuerint, suppositio quòd etiã in primo promeruerint. Hæc quæstio perdifficilis reddítur, tum propter Scotum, tum propter Thomistas inter sese dissidentes; Et circa hanc hoc ordine procedemus. Nam primo. D.Th. mentem qualis fuerit, vnica cõclusione aperiemus, eam ipsam elucidando. Secundo opinionem Magistri Francisci Ferrarien sis. iij. Contra Gent. cap.cx. positam refferemus, edocebimusque fundamenta, quæ ipse ad suam comprobandam opinionem assumit, arbitraturque esse. D.Th. doctrinæ consentanea, ab ipso male intellecta. Tertio adducemus Scoti argumenta, aduersus hanc nostram cõclusionem, ipsaque perpulchre diluemus. *Vnde qõnis huius difficultas exoriatur.*

Quo ad primum hæc ponitur affirmatiua conclusio. Angeli boni in secundo instanti promeruerunt, simul & beatitudinem acceperunt. Hanc conclusionem expresse ponit Doctor sanctus.quol.ix.art.viij. Inquiens quòd in primo instanti quo mens Angelica, ad verbi conuersa est fruitionem, & beata quidem erat ratione perfectæ fruitionis, quasi in facto esse existens, & beatitudinem merebatur in hoc quòd conuerrebatur ad verbum, non præexistente beatitudinis perfectione, at quasi existens, in ipso fieri beatitudinis, sed postmodum mens Angelica est tantum beata & non beatitudinem meretur eo modo quo diceretur, quòd dum peccator conteritur, in ipsa contritione, simul in eodemque penitus instanti, est ter- *Cõclusio.*

missus præparationis ad gratiam, & gratiæ infusio, veluti etiam est in naturalibus, simul ipsa postrema materiæ ad formam substantialem dispositio, & ipsius formæ in materia introductio. Talis autem formæ introductio, generatio cum sit, in instantique fiat simul est & dispositionis terminus, & formæ introductio. Hisce sanè ex. D. Thomæ verbis, optime colligitur Angelorum viam ex duobus integrari instantibus, altero vt simplici puráque via, altero vt viæ termino, primo in quo Angelus solum exercitij actus libertate gauisus est, non autem eiusdem specificatione; Secundo in quo vtriusque actus est libertate lætatus. Nam in hoc secundo totaliter, complete ac perfecte liber extitit, dum ad Deum Angelus quilibet conuerti poterat, & ab eodem auerti, & propterea de facto nonnulli ad ipsum conuersi, felicitate donati sunt, nonnulli ab eodem auersi, perpetua affecti sunt miseria.

Angelorũ via, duobus integratur instantibus altero, vt pura via, altero vt via, & termino.

Et ad horum maiorem euidentiam sciendum est, supradicta instantia Angelorum viam integrantia, sic adinuicem comparari, vt primum ita via sit, quòd terminus nullatenus esse valeat, secundum autem via simul & terminus, via quidem prout conuersionis liberi arbitrij in Deum, vel auersionis, ab eo, mensura fuit, terminus vero, prout in illo, nonnulli perfecta consumataque gratia perfusi sunt, nonnulli vero amissa gratia, interminabili addicti sunt miseria. In isto quippe instanti secundo simul fuit fieri ac factum esse, meritum & præmium, meritum vt in via & in fieri, præmium vt in termino viæ ac facto esse; Nec esse in termino, cum libertate, merito, ac beatitudine, pugnat; quoniam dum actus ex libero arbitrio gratia perfecto inchoatur, meritorius est, dum autem per gratiam consumatam & gloriam completur, beatitudo æternaque felicitas est. At quispiam fortasse obijciet impossibile fore, vt in eodem secundo instanti, meritum simul & beatitudo sint, quando

Quũ duo instantia angelorũ viam integrãtia ad inuicẽ cõparentur.

Obiectio apparens.

quandoquidem meritum gratiæ imperfectæ, beatitudo vero gratiæ innitatur consumatæ & perfectæ, ponere autem gratiam imperfectam simul & perfectam, in eodem instanti, in eodemque actu, impossibile est, vt aperte docet. S. Doctor. 1. q. lxij. art. iiij. igitur impossibile est meritum pariter & beatitudinem simul esse. Et confirmatur quia sequeretur, quòd idem Angelus in eodem instanti esset simul viator & comprehensor, quod falsum est, cum id soli Christo conueniat. Huic obiectioni pariter & confirmationi pulcherrime satisfacit. S. Thomas citato quol. art. qui supra, ad primum & secundum. Nam ad primum inquit, quòd etsi in secundo instanti Angeli meruerint simul & beati fuerint, haud tamen sequitur, in tali instanti simul fuisse gratiam imperfectam & perfectam, at solum simul extitisse gratiam perfectam & consumatam, quæ beatorum est, & terminum gratiæ imperfectæ, quod nec veritati nec. D. Thomæ vllatenus repugnat, repugnaret autem, si ponerentur in eodem instanti, esse simul gratiam imperfectam & perfectam, vti optimè deducebat ipse Doctor sanctus. Aliud quippe est in vno instanti esse gratiam perfectam, & terminum gratiæ imperfectæ, aliud in ipsomet instanti esse gratiam imperfectam simul & perfectam, quoniam primum verum, secundum falsum omnino est, in primo stant simul meritum vt in termino & ipsa beatitudo, in secundo autem implicatur contradictio, & propterea simul esse non possunt. Ad confirmationem vero patet responsio, ex ipsomet. D. Thoma, vbi supra ad secundum. Nam optimè sequitur (inquit,) Angelum esse simul viatorem eundemque mereri, vt non distantem à termino, at vt in termino viæ existentem, & comprehensorem esse, non autem sequitur Angelum mereri vt à termino distantem, quoniam id Christo duntaxat conuenit, & eidem est proprium; Vt enim optimè ait. D. Thomas. iij. q. xxxiij. art. iij.

Obiectio nis resolutio ex. D. Th. doctrina.

Mereri vt viatorem & à termino distantem.

ad

& simul comprehẽ sorem esse est Christo proprium.

ad primum Christus non meruit sibi animæ gloriam qua comprehensor dicitur, cum eamipsam à primo conceptionis suæ instanti habuerit, at corporis duntaxat meruit gloriam, quam per passionem erat consequuturus, quamque à merito distantem esse cernimus. Erit itaque proprium Christo simul mereri vt viatorem & distantem à termino, & comprehensorem esse, non autem mereri vt viatorem indistantem à termino, & comprehensorem simul esse, quoniam id Angelo competit vti dictum est.

Rõ & D. Th. dicta super quibus Magister Franciscus Ferrariensis fundat positionem suam quatenet angelos in secundo instanti non meruisse.

Quo ad secundum adducenda sunt fundamenta positionis Magistri Francisci Ferrariensis vbi supra tenentis, Angelos bonos in secundo instanti nõ promeruisse. Fundat igitur positionem suam super non nulla. D. Thomæ dicta, & super rationem quandam vt infra patebit. Primum autem dictum ex prima parte. q. lxij. art. iiij. & v. trahitur, vbi tenet sanctus Thomas, non posse Angelum simul fruitionem habere, & eamipsam promereri, quandoquidem alterum sit gratiæ imperfectæ, perfectæ, & consumatæ alterum. Verum germanus huiusce dicti sensus, iam patet ex dictis, & propterea non opus est ei aliter respondere. Secundum eius dictum ex vltima. q. de Ver. art. vj. desumitur, vbi habetur, quòd ad statum merendi requiritur, vt sibi desit id quod quis mereri dicitur. Tertium dictum ponitur prima par. vbi supra art. v. vbi clare asserit, Angelos per vnicum actum meritorium ad beatitudinem peruenisse, modo si in secundo instanti boni promeruissent, iam non per vnicum actum meritorium, at per duos peruenissent ad beatitudinem. Atqui si dicatur (inquit ipse,) quòd D. Thom. illis in locis de merito vt in via tantum loquitur, non autem de merito vt in viæ termino, id ad aures eius dici nequit, quoniam j. q. lxiij. art. v. &. vj. vult, ex eo quòd dæmones in primo meruerunt instanti, in secundo beatitudinem accepissent, ni peccati obstaculum posuissent, tunc ex hoc sic

arguitur,

arguitur, igitur sola impedimenti absentia, secundum ipsum, sufficiebat ad beatitudinem consequendam, igitur non aliud requirebatur meritum: Ratione vero, suam comprobat opinionem dicens, q̃ si. D. Th. mens fuisset Angelorum viam ex duobus integrari instantibus, altero vt in via simpliciter, altero vt in viæ termino, vtique ipse. j. parte tam exacte de Angelorum merito, ac demerito, de beatificatione, ac damnatione loquens, redarguendus esset, eo quòd nullam de re hac, determinationem fecerit, sicuti dum loquens de præparatione ad gratiam. j. ij. q. cxij. art. ij. de duplici distinxit præparatione, vna scilicet, quæ simul est cum gratiæ infusione, altera, quæ ipsam præcedit. Ponit deinde his ex fundamentis opinionem propriam, inquiens, quòd in processu Angelorum, siue ad beatitudinem, siue ad miseriam, duo fuerunt instantia, in quorum primo omnes meruerunt, in secundo vero potuerunt quidem absolute, & simpliciter omnes mereri & demereri, at de facto aliqui demeruerunt, & effecti sunt miseri, alij vero beatitudine quidem donati sunt, at minime meruerunt, meruissent tamen, nisi in primo promeriti fuissent.

Suã Magi Ster Franciscus prædictus, declarat, & fundat opinionem

Ad idem rursus ait, quòd omnes in primo instanti meruerunt, at in secundo potuerunt quidem omnes peccare, ac demereri, at nullus in ipso mereri potuit, eo quòd meritum, ac præmium simul coire nequeunt, altero (vt dictum) ex gratia imperfecta, altero vero ex gratia perfecta, & consumata proficiscente; Atqui mea sententia opinio hæc & falsa est, & in se ipsa contradictoria implicare videtur. Nam si secundum opinionem hanc, Angelorum via, ex duobus integratur instantibus, igitur in vtroque viatores erunt. Repugnat quippe & implicat, Angelorum viam, duobus compleri, & perfici instantibus, & in vtroque viatores nequaquam esse. Si igitur in vtroque omnes viatores sunt, & in secundo

Prefati doctoris alioquin viri doctissimi, opinio vti falsa, reprobatur.

cundo instanti maxima libertate gaudeant, cum liberi extent, tum quo ad exercitium, tum quo ad specificationem actus; igitur omnes mereri ac demereri potuerunt, & si mereri ac demereri nequiuerunt, igitur non omnes fuerunt viatores, igitur fuissent viatores & non viatores, quòd contradictionem implicat. Dicere autem Angelos ipsos in secundo instanti omnes absolute quidem potuisse mereri, ac demereri, ac de facto, ipsorum quosdam demeruisse, nempe Dæmones qui æterna affecta sunt miseria, aliquos vero non meruisse, attamen beatificatos esse, voluntarium penitus, id est, nec vlla ratione suffultum. Cur nanque dæmones in ipso secundo instanti demereri, & simul damnationem accipere potuerunt? Non alia sanè de causa, nisi quia viatores erant, vt in termino viæ existentes. Cur igitur non itidem Angeli boni efficere valuerunt? Non ne æqua est omnium conditio, ius & potestas respectu meriti & demeriti? Sicut enim Dæmones actum elicuerunt deformitati & irrectitudini annexum, quo sanè demeruerunt, & damnati sunt, ita & boni actum elicuerunt bonitate ac rectitudine decoratum, quo & meruerunt & simul beatitudinem adepti sunt. Nec vlluni ex hoc sequitur inconueniens. Potest etenim meritum vt in termino viæ, & præmium esse simul, & gratia perfecta seu consumata, & gratiæ imperfectæ terminus, vti supra expositum est & declaratum.

Declarantur. D. Th. dicta, atq; verus reddi tur sensus

Ad dicta modo D. Thomæ respondetur, & ad secundum quidem de Ver. quoniam ad primum iam responsum est, dicitur quòd ad statum merendi vt in pura via, requiritur quidem vt sibi desit quod quis meretur, & id etiam Angelo in primo instanti euenit, at ad statum merendi vt in termino viæ, id minime requiritur, ita vt status meriti, sit à termino distans, quoniam in secundo instanti, fuit Angelus bonus in statu merendi vt à termino indistanti, &

ob

ob id, non exigitur vt id quod meretur, illi desit, quoniam in statu tali potest simul mereri, & id quod meretur habere. Verum tamen est, quòd etiam in instanti naturæ, quo Angelus meruit, caruit beatitudine promerita, quia ipsam in alio naturæ instanti accepit, licet in eodem temporis instanti vna fuerint, meritum, scilicet, & ipsa felicitas.

Ad tertium dicitur dictum, verissimum esse quod astruit. D. Th. nempe Angelum per vnicum actum meritorium, ad beatitudinem peruenisse, per vnicum (inquam) actum vt in via tantum, de quo solo loquitur illis in locis, & de quo solum intelligitur. Nam loquendo de merito simpliciter, & absolute, neutiquam verum est, Angelum per vnicum actum, at per duos, beatitudinem meruisse, per primum quidem vt existentem in pura via, per secundum vero vt existentem in termino. Et cum aduersus hanc responsionem arguit ipse Magister Fr̃a ciscus ex eiusdem. D. Thomæ dictis, vbi supra quia ad beatitudinem ab Angelo capescendam, non requiritur aliud meritum quàm habitum in primo instanti, id vti falsissimum negatur, & cum probat, quoniam Dæmones in secundo instanti beati fuissent, si sola impedimenti, nempe peccati affuisset absentia, absque alio merito, dicitur quòd si dæmones impedimentum non præstitissent peccando, in Deum libere conuersi fuissent, in qua sanè conuersione promeruissent vt in termino viæ, vti sæpius dictum est, & idcirco non sola absentia impedimenti, sed & actus positiuus, nempe in Deum conuersio, affuisset.

Ad rationem autem eius rhetoricam dicitur, quòd rametsi. D. Thom. j. parte non clare explicuerit duplex hoc meritum, id tamen explicuit prædicto quolibeto. ix. vt cuilibet ipsum legenti liquido constat; Nec opus est vt omnia vno in loco complectatur. D. Thomas, sed alicubi pandere, quod alibi subticuit, vel ita exacte non tetigit. Sufficit igitur alicubi

Ad rõnẽ pulcherri me respon detur.

alicubi tetigisse quod implicite solum prima parte tetigit. Nec quicquam officit adducta ex prima secundæ similitudo, quoniam nil aliud haberi potest, nisi quòd aliquo in loco id explanaretur, quod & in præfato quolibeto clarissime fecit, & dist. quinta. ij. sent. q. ij. art. vltimo, vbi expresse sic ait. Quòd meritum in Angelis non præcessit præmium tempore, sed natura, & id declarans, inquit. Sicut enim actus liberi arbitrij est dispositio ad gratiam, ita actus gratia informatus, est meritum gloriæ. Vnde vnus & idem conuersionis motus, est præparatio ad gratiam secundum quòd ex libero arbitrio est, & meritorius gloriæ secundum quòd est gratia informatus, & iterum fruitionis actus, prout completur per habitum gloriæ. Nec valet responsio eiusdem Magistri Francisci, dicens. D. Thom. non solum loqui secundum propriam at aliorum opinionem, quoniam id falsum esse constat. Nam etsi asserat cum alijs melius esse dicendum, non propterea sequitur suam non esse opinionem, at non suijpsius solum, verum etiam aliorum, quod suam esse comprobat in prædicto quol. assertam. Non trahitur igitur opinio quam ponit prima par. ad aliorum opinionem, sed quam ponit ibidem determinationem, magis in præfatis locis elucidat. Arguit autem præfatus Doctor aduersus suam positionem triplici medio quæ dissoluere enitur, haud tamen verè dissoluit.

Improbatio responsionis Magistri Francisci, quæ dat ad. D. Th. dictum.

Præfatus doctor, triplicit. arguit aduersus positionem suam, & primo

Et primo quidem sic, si Angelus in primo meruit instanti, in secundo vero nequaquam sequitur ipsum in nullo instanti, liberum habuisse arbitrium ad bonum & ad malum, quod inconueniens est maximum, consequentia extat clarissima, quia si in primo instanti tantum in bonum conuerti valuit in secundo autem nonnisi in malum, & cum non plura instantia angeli viam integrantia, sint, igitur nunquam in aliquo alio habuit libertatem ad bonum & malũ.

Amplius

Secundo.

Ampliùs si in instanti secundo Angeli solum demereri potuerunt, igitur Angelorum bonorum & malorum via non fuit æqualis quod expressum est inconueniens. Consequentia claret, quia si Angeli boni in secundo instanti nullatenus meruerunt, atqui beatitudinem acceperunt, & mali in secundo demeruerunt, igitur mali in via extiterunt, boni autem extra viam, igitur inæqualis fuit eorum via.

Postremo arguit, sicut Angelus in perfectione vltima constitutus qualis est beatitudo, non potest in illomet instanti mereri, ita in extrema positus miseria quæ damnatio est, in eodem instanti demereri nequit, patet hæc, quia sicut operatio meritoria se habet ad beatitudinem, ita demeritoria ad damnationem, sed Angelus bonus secundum hanc opinionem in secundo instanti est beatus & mereri nequit, igitur Angelus malus in eodem instanti secundo damnatus demereri nequibit, quod huic positioni repugnat.

Præfatis argumentis arbitratur quidē prædictus doctor respondere, at certe eisdem minime satisfacit.

Tria hæc argumenta nititur quidem soluere antedictus Doctor, non tamen ea dissoluit, quia re vera concludunt. Et ad primum quidem respondet, non derogare absolute libertati Angeli, qua absolute mereri & demereri potest, quod ex actu meritorio in primo instanti ab ipso libere elicito, tollatur libertatis exercitium in secundo instanti inquantum posito merito, mox in secundo sequatur ipsa beatitudo nisi impedimentum aliquod peccando opponatur.

Impugnatio primæ responsionis Magistri Francisci, non sibi ipsi cōstat.

At ista responsio nulla est, & ad responsionem hanc quæ nihilominus aduersatur. D. Thomæ in citato quol. & citata. dist. ij. sent. vt patet, sequitur, enim nullum Angelum fuisse vere liberum, libertate ad bonum & malum, quod tamen aduersatur eidem Magistro Francisco. iiij. Contra Gent. cap. xcv. inquienti, quòd Angelus in secundo instanti poterat habere

habere actum perfectæ liberum, quia videlicet in potestate sua erat elicere vel non elicere actum, & bene & male eligere. Quare subdit, post electionem in secundo instanti habitam, vo juntas Angeli immobilitata est. Nec vllatenus veritati consonat primum meritum in primo instanti habitum, secundum in secundo instanti elicitum impedire ex beatitudine sibi superuenienti, quoniam vti diximus, potest in eodem dicto instanti, esse, vt in termino viæ, meritum, & beatitudo. Nec est etiam acceptanda secunda responsio qua vult in secundo instanti Angelum habere libertatem ad bonum & malum in actu primo & signato, quoniam eadem ratione dici posset hanc libertatem in Angelis solum sufficere, quod negat ista positio. Et præterea eadem ratione suppòsita hæc responsio retunditur. Nec tertia quoque responsio vllatenus admittenda est, quoniam magis peccat quàm præcedentes. Ad secundum eum respondet argumentum consequentiam, negando, dicimus quòd male negatur. Et eum subdit quòd licet Angelus bonus in secundo instanti non meruerit, malus vero in eodem demeruerit, non tollitur, quin secundum instans ad viam bonorum attineat, sicut ad viam malorum, dicimus, falsum esse quòd tunc secundum instans, ad viam pertineret bonorum, quia Angelus non valens mereri, est penitus extra viam, vt cuilibet terminos intelligenti, patet. Et si sunt Angeli boni in secundo instanti vt in termino viæ, procul dubio ita mereri poterunt, vti mali demereri, cum non maior appareat ratio de malorum quàm bonorum via, stat itaque solidum argumentum.

Refellitur & secũda responsio.

Tertia impugnatur responsio, primò data argumento.

Responsio ad secundũ argumentum data nulla est.

Ad tertium, similitudinem negat, quæ tamẽ vere negari non potest, quoniam si Angelus bonus in vltima est sua perfectione constitutus, nempe in beatitudine sua, & ob id mereri non potest, cur Angelus malus in vltima sua damnatione positus, poterit in

Responsio ad tertiũ argumentum, veritate caret

secundo

secundo instanti demereri? Nonne rationi consonar, etiam nulla. D. Th extante auctoritate, ita Angelum bonum in secundo instanti vt viatorem posse mereri sicut & Angelum malum in eodem posse demereri? Nihil enim est, quòd vtriusque Angeli viæ inæqualitatem efficiat. Et cum inquit in merito quippiam esse felicitati repugnans, nempe gratia imperfecta, in demerito aũt nihil includi damnationi obsistens, dicitur falsum penitus assumi vti supra declaratum est. In suo igitur robore permanent argumenta claretque positionem hanc &. D. Thomæ, & rationi repugnare.

Postremo aduersus conclusionem ipsam afferendum est vnum Scoti argumentum ex dist. v. ij. sent. in responsione ad quæstionem. iiij. dist. motam, Et aliud aduersus id quod astruit. D. Th. nempe, quòd in secundo instanti nonnulli obicem posuerint peccando, præcedens meritum mortificantes, qua de re beatitudinem minime consecuti sunt.

Arguit primo Scotus aduersus cõclusionem

Arguitur igitur, sic meritum, duratione præmium præcedit, vt habetur ex quæstione. lxij. artic. v. quia semper gratia imperfecta, perfectam antecedit, igitur in secundo instanti nequiuit esse simul meritum, & ipsa beatitudo, atqui beatitudinem in præfato instanti, consequuti sunt. igitur in ipso, non meruerunt.

Arguit secundo ad uersus. D. Th. dictũ.

Aduersus secundum dictum sic argumentatur: Merentes vsque ad nunc præmiationis, in illo nunc sunt præmiati, atqui omnes ad aures. D. Th. meruerunt vsque ad nunc præmiationis, scilicet vsque ad secundum instans, igitur omnes in illo præmium ac cepere, igitur nullus peccauit. Minor videtur ex se clara, supposito tamen omnium Angelorum viam æqualem esse, vtpote ex duobus instantibus integram: Maior probatur quoniam in nunc præmij extra viam sunt, ponentes autem obicem in via sunt, cum igitur Angeli omnes in secundo nunc, sint in

illo, vt in nunc præmij, igitur nullus in tali demereri potest. Et confirmatur (inquit Scotus) quia homo in tota vita existens in merito, in instanti mortis demereri nequit, nec obicem ponere ne præmietur.

Ad primũ Scoti argumentũ respondetur.

Ad hæc duo argumenta facillime respondetur: Et ad primum quidem dicitur, meritum bifariam alicui adesse posse, vt viam scilicet puram, & vt viæ terminum; Meritum quippe existentis in puta via, duratione semper præmium præcedit, quoniam tale in primo est instanti, præmium vero in secundo. Et in hoc sensu Scoti propositio assumpta verificatur; meritum vero vt in termino viæ existens, simul cum præmio esse valet, vt supra declaratum est, & ob id, non opus est, vt præmium duratione, at natura duntaxat antecedat. Et cum id improbatur quia sequeretur gratiam imperfectam, quę principium est meriti, & gratiam perfectam, siue consumatam, quæ gloria est, esse simul, negatur hæc consecutio: quoniam solum sequitur vti inquit. D. Thom. quolibeto supra citato, vt simul sit terminus gratiæ imperfectæ, & gratia perfecta, quod nullum penitus inconueniens est.

Meritum alicui ad esse pŏt, vt in pura, scilicet via, & vt in via simul & viæ termino.

Ad Scoti secundũ argumentum.

Ad secundum vero distinguitur de actu merendi, ad nunc vsque præmiationis, quoniam id dupliciter contingit: Nam quispiam mereri potest ad nunc vsque præmiationis inclusiue, & tunc meretur, vt in termino viæ, & hoc modo boni duntaxat meruerũt, & simul beatitudinem, & præmium acceperunt: Alio modo mereri potest ad nunc vsque præmiationis exclusiue, & hoc modo meruerunt mali, seu dæmones, dum solum in primo nunc promeruerunt, & in secundo in quo mereri poterant peccando impedimentum præstiterunt suæ beatitudini, propterea eã ipsam non acceperunt.

Ad confirmationẽ.

Ad confirmationem dicitur, falsum à Scoto assumi, nempe quòd homo solum tempore vitæ suæ, & non in instãti mortis mereri possit, quoniam in tali

in

instanti meritum consumatur, & propterea mereri, ac demereri potest, vtpote in termino viæ existens, quemadmodum de Angelis assertum est & declaratum. Solum enim transacto viæ, & vitæ termino, merito caret & demerito. Hinc fit, vt Magister Franciscus Ferrariensis minus bene senserit. iij. Contra Gent. cap. ex. dum inficiatur hominem in instanti mortis non posse operari, & propterea non posse mereri, quia esse non habet. Iam enim ex dictis patet hominem non esse quidem vt in via, at esse, vt in viæ termino, & propterea, & operari, & mereri posse, vt in termino vię. In instantaneis enim è quorum numero est hominis corruptio, non solum est factū esse, at simul ipsum fieri. Simul quippe corrumpitur homo, & corruptus est, & idcirco ratione fieri, dicitur esse in vię termino, ratione autem facti extra viam positus est. Posset & secundo ad confirmationem responderi, respondendoque similitudo negari, cum ipsam Scotus haud aliter probet. Hæc de quæstione hac, sat sint.

Non acceptatur Magistri Frāciſci reſpōſio.

Quæstio. De Angelorum peccato.

VAERITVR, an in Angelis peccatum esse potuerit, & supposito quod sic, quærendum erit. Num tale peccatum, & primum, superbia extiterit.

Arguitur quod in Angelo, peccatum esse nequiuerit.

Circa primum, videtur quod non. Quia cum ab Angelo, appetitum & exoptatum, solum fuerit spirituale bonum, & id, quanto excellentius fuerit, tanto melius extet, & proinde appetibilius, ac exoptabilius, difficile cognitu videtur, in quo consistat tale Angeli peccatum, quod superbia ponitur. Constat enim iuxta expressam. D. Thomæ. Sententiam. j. q. lxiij. art. ij. Et. iij. contra gentiles. c. cix. Angelos ipsos, quos malos ac peccatores appellamus, proprium bonum, propriam perfectionem, propriamque beatitudinem naturalem exoptasse, qua nil desiderabilius esse potest, in quaque quiescendo, nullum videtur, Angelus, potuisse peccatum incurrere. Si etiam ponatur Angelum, supernaturalem concupiuisse beatitudinem, vti sustinet idem doctor sanctus dist. v. ij. sent. q. j. art. ij. & quæst. de Mal. q. xvj. art. iij. ad aures Anselmi, cum hæc secunda felicitas, prima naturaliqúe longe perfectior sit, ob id, ab ipso Angelo, magis erat expetenda. Quare cum ipsam, ex gratia agnouerit, summopere appetendam esse, si eam ipsam appetiit, haud quaquam peccato fuit obnoxius.

Supposito autem quod Angelus, in vtriusque appetitione beatitudinis, peccauerit modo declarando, dubium exoritur. Num tale peccatum, & primum, superbiæ peccatum, extiterit. Et quidem prima fron-

ie

te hoc minime videtur, quin potius quòd luxuriæ peccatum fuerit, quia appetitus delectabilis vt delectabile est, videtur ad luxuriam pertinere, atqui dum Angelus, propriam exoptauit beatitudinem naturalem, vel supernaturalem, appetitus fuit delectabilis vt delectabile est, igitur tale peccatum, & primum, luxuria fuit.

Videtur quòd primum Angeli peccatum, luxuria fuerit

Ad horum obiectorum præcipuè primi, intelligentiam, & claritudinem, supponendum est, Angelum quemlibet, liberi esse arbitrij, quod si ab ipso, demeretur, in ipso sanè peccatum aliquod esse non posset, quandoquidem peccatum omne, voluntatij rationem subeat, & eo posito valet in singulis Angelis, vt simpliciter viatoribus, peccatum esse. Possunt enim vt viatores in bonum malumue deflecti. Contingit autem in actu liberi arbitrij, lætale peccatum, bifariam esse, vt pulcherrime S. Th. 1. q. lxiij. art. 1. ad primum declarat. Vno, quidem modo, vt malum quippiam eligatur, veluti cum homo adulterium eligit, quod secundum se simpliciter malum est & secundum quid bonum apparens, & sic eligendo peccat, oportetque tale peccatum semper ex ignorantia, aut errore quopiam, prouenire, aliter id quod simpliciter malum est, vt bonum secundum quid, minime eligeretur; Et propterea adulter particulariter hanc delectationem, inordinati actus, eligendo, eam ipsam eligit, quasi bonum quoddam, ad nunc agendum, passione, aut habitu, tractus, etiam si nouerit vniuersaliter omnem adulterinam delectationem esse malam, & propterea fugiendam. Hoc sanè modo, in Angelis nullatenus peccatum esse valet. Quia cum omnes in sua prima conditione, perspicacissimum à deo nacti sint intellectum, quo omnia creata deumque ipsum, vt naturalis beatitudinis, & ex gratia, eorundem naturæ super infusa, vt etiam super naturalis beatitudinis, obiectum, agnouerint, fuerintque ab vniuersis passionibus, semoti, nec pri-

Constat Angelos cũctos, liberi esse arbitrij.

In actu liberi arbitrij, bifariam contingit esse peccatum

mum eorum peccatum, habitus quispiam ad peccatum inclinans, præcedere potuerit, nequiuerunt me hercle, tali limpidissima eorum cognitione extante, malum quippiam, vt obiectum expetitum eligere. Alio autem modo, arbitrij libertate, peccare contingit, dum eligitur aliquid, equidem secundum se bonum, verum electione, debito ordine destitutum, ac debita mensura, rectaque regula, carēte, Et hoc modo, peccatum ex parte electionis duntaxat, aderit, non item ex parte rei electe, sicut si quispiam eligeret, ad deum, preces effundere, non attendens ad ordinem ab Ecclesia statutum. In tali quippe peccato, non pręexigitur ignorantia, vel error, at solum inconsideratio, quæ est defectus actualis cognitionis, eorum, quę quis considerare tenetur, dum ad rei electionem exit. Isto sanè modo, peccauit Angelus, dum in proprium conuersus est bonum, siue naturale, siue supernaturale, id ipsumque elegit, non consideratis debitis necessarijsque circunstantijs, nempe ordine diuinæ regulæ, seu diuine sapientiæ; Tenebatur quippe, Angelus, ex eo quod agnouit bonum proprium, seu beatitudinem naturalem, esse in deum, vt obiectum supernaturalis beatitudinis, ordinabilem, nec ordinauit, at illi inhæsit, vt vltimo fini, in illaque quieuit, propterea peccauit; Pariter dicimus secundum opinionem aliam, quòd quia Angelus agnouit supernaturalem beatitudinem, esse duntaxat ex dei munere, nempe gratia ipsa, nanciscendam, & dum in electiuam, appetitionem exijt, considerare omisit præfatam beatitudinem, non nisi ex dei gratia esse consequendam, ad cuius tamen rei contemplationem, omnino tenebatur, idcirco id omittendo, peccauit; Voluit quippe eam proprijs consequi viribus, non tamen positiue, vt id, scilicet totum sit appetitum, beatitudo supernaturalis, proprijs viribus habenda, at negatiuè, quia videlicet beatitudinem ipsam supernaturalem voluit & appetijt, nil de dei gratia considerando.

Quo peccauerit Angelus.

derando. Inconsiderationem autem talem, non primum angeli peccatum ponimus, vt nonnulli, falso arbitrantur nos ponere, quandoquidem peccatum ipsum, natura saltem præcesserit, sed ipsius potius causam fuisse existimamus, Cuius inconsiderationis ratio, vt docet. D. Thom. iij. Contra Gent. cap. cx. esse videtur, quia eius voluntas in proprium bonum intense conuersa est, & ita quidem vt cum voluntati maxima insit libertas se in hoc, vel illud, conuertendi bonum, in suum duntaxat conuersa sit, omittendo ad quodcunque aliud conuerti, Et si conuersa fuisse dicatur ad bonum supernaturale, dicendum erit, quòd ex intensa cõuersione ad illud tanquam vltimũ finem, considerare omisit, id quod ad talem finem maxime perducit, quod gratia extat diuina, propterea lapsus est.

Inconsideratio, primũ Angeli peccatũ esse nequiuit.

Ex his autem sic declaratis, facillime ad primum respondetur argumentum, inquiendo, angelum ipsum, peccasse, non quidem, quia malum appetierit, nec quia bonum proprium, seu beatitudinem naturalem, vel supernaturalem in dei visione consistentem, exoptauerit, vt optime argumentum concludit, sed quia talia bona, suis cum debitis & necessarijs circunstantijs, minime appetijt. Debebat enim & tenebatur Angelus, in actum appetitionis proprij boni, seu beatitudinis suæ naturalis exiens, eam ipsam ordinare, ac referre in deum, vt obiectum supernaturalis beatitudinis. Et similiter dum supernaturalem appetijt beatitudinem, appetere debebat, non vt consequendam proprijs ex viribus, at ex solo dei munere.

Ad primũ argumẽtũ in oppositum, respõdetur.

Ad secundi dubij sanè difficillimi, claritudinem, videndum est primo quid peccari superbiæ nomine, intelligamus nempè quid ipsa essentialiter sit, & circa quod versetur obiectum, deinde vnica ponet affirmatiua conclusio. Postremo argumento in oppositum facto, & alijs difficultatem afferentibus, respon

Secunda tractatur qõ, an. s. angeli primum peccatum superbia extiterit.

debitur. Quo ad primum sciendum est, quòd superbia multifariam accipitur. Quandoque enim superbia dicitur, omne superexcedens, eo nempè modo, quo apud Esaiam sub nomine superbiæ, reprimittitur quidam bonorum superexcessus, dum inquit: Ponam te in superbiam seculorum vt exultatur. D. Thom. ij. ij. q. clxij. art. j. ad primum. Quandoque sumitur pro inclinatione quadam, vel ex naturæ flexibilitate tantum, vel ex fomitis corruptione ad superbiendum, & sic accepta, cui libet peccati initium esse dicitur, vt inquit. D. Thom. v. dist. ij. sent. q. j. art. iij. Nonnunquam accipitur, pro actuali extollentia seu electione aduersus præcepti limites, ne quis superiori præcipienti, subijciatur, sicque accepta haud speciale peccatum, at generalis quædam conditio est, peccatum quodlibet ex parte, auersionis consequens, vt vbi supra immediate. D. Th. expresse docet. Postremo proprie sumitur vt à. D. Aug. xiij. de ciuit. dei definitur, inquiente. Superbiam esse peruersæ celsitudinis appetitum, seu sub alijs verbis, esse inordinatum propriè, seu singularis excellentiæ, appetitum; Et hoc modo accepta, speciale peccatum est, cæteris capitalibus vitijs condistinctum, de qua solum nunc habendus est sermo, alijs significationibus prætermissis. Vt autem clarissima hæc euadat definitio. Annotandum est, quòd quemadmodum virtutes quæque, à proprio specificantur obiecto, & ab eodem distinctionem specificã sumunt, ita & vitia, quare cum superbia ipsa vitiorũ caput esse à cunctis affirmetur, ex obiectoque ab alijs vitijs discretionem specificam sumat, propterea indagandum, est, quid eius proprium sit obiectum; Hoc quippe intellecto, partim perspicua redderur prætacta definitio. Est autem proprium superbiæ obiectum, celsitudo peruersa simpliciter, non vt tali vel tali, est concreta materiæ, quoniam sic concreta, aliquorum dicitur esse vitiorum obiectum. Nam

Superbia multipliciter accipitur.

Superbia peccatum ab Augustino, definitum.

Quod sit proprium superbiæ obiectũ.

præsum

præsumptio, operis, ambitio, honoris, inanis gloria, gloriæ, peruersam celsitudinem, vt proprium respicit obiectum. Superbia vero non talem determinatam respicit celsitudinem, siue excellentiam, at ipsam simpliciter; Superbus quippè solum in sui celsitudinem atque excellentiam tendit, quæ sola simpliciter celsitudo, seu excellentia est, cęterę autem secundùm partem celsitudines sunt, vtpote in tali determinata, & particulari materia existentes. Quotquot enim superbi naturam exactè contemplati fuerint, intuebuntur sanè, eum ipsum non in obiectum aliud ferri, quàm in semetipsum, vt celsum, vt excellentem, suique magnitudine gaudentem. Et quoniam ad sui magnitudinem, tum virtutum bona, tum vitiorum mala, ordinari optime possunt, ob id virtutes, ac vitia eorumque materiæ, superbiæ materia sunt. Quod & aperte edocet. Doct. sanct. secunda. ij. q. clxij. art. ij. ad quartum inquiens, superbiam, habere quidem speciale obiectum, nihilominus inueniri posse in diuersis materijs, quia cum ipsa sit inordinatus propriæ excellentiæ amor, excellentiaque varijs in rebus reperiri queat, & eam ipsam in illis inueniri, necessum est. Cum autem celsitudo, ac excellentia non solum in rebus sensibilibus, & imaginabilibus reperiatur, verum & in intelligibilibus, eapropter superbia, & in mortalibus, & in immortalibus substantijs merito inueniretur vt optime declarat. D. Thom. in quæst. de Mal. quæst. xvj. art. ij. Atqui mirabile cuipiam fortasse videbitur, quonam modo in celsitudinis aut excellentiæ, appetitione, superbiæ peccatum esse possit, cum in hanc ipsam, tam Angelus, quàm homo, naturaliter ferantur. Verum cessabit admiratio si contemplati fuerimus superbiæ peccatum, non quidem simpliciter prouenire ex re appetita, at ex inordinato peruersoque appetendi modo; Cum enim appetitus intellectiuus, quem voluntatem vocitamus, necessario intellectui se

Superbus in semetipsum vt celsum & excellẽtẽ, vt in proprium fertur obiectum.

Superbia vitiũ, siue peccatum, non

simpliciter ex re prouenit appetita, atqui ex inordinato peruersoq; appetendi modo.

sequatur, debeatque ab eo tanquam à virtute cognoscitiua, dirigi, præsertim cum est diuinæ legi conformis, si contingat, eundem, Angeli, vel hominis, appetitum, in bonum aliquod naturaliter exoptatum ferri, vt excellens mensuram, à deo præfixam, semper, homo vel Angelus, superbiæ vitium incurrit. In quacunque enim re, excessus mensuræ, vt à deo præfixe, est proprium superbiæ obiectum. Ex his arbitror, claram redditam fore prædictam definitionem, qua dicebatur, superbiam, esse peruersæ celsitudinis appetitum, seu inordinatam propriæ excellentiæ, appetitionem.

Conclusio affirmatiua.

Quo ad secundum ponitur hæc affirmatiua conclusio. Primi Angeli peccatum, sola superbia fuit.

Ad cuius euidentiam est annotandum ex doctrina. D. Thom. iij. Contra Gent. cap. cix. quòd quem admodum est ordo in causis efficientibus, ita & in causis finalibus, nempè vt secundarius finis, à principali dependeat, veluti secundarium agens, à principali dependet, dependentia autem secundarij agentis, à principali, in hoc pulcherrime consistit, vt actio ipsius ab actione principalis pendeat. Oportet enim vt dum principale agens secundarium, mouet, & in ipsum influit ad alicuius effectus productionem, simul & ipsum cooperetur & comproducat, & cum ita fit, semper operatio recta est, & effectus productus bonus. Cum autem secundarium agens, sua in operatione deficere potens, agit, non ex motu & influentia principalis agentis, at vt ab ipsa recedit, & secundum propriam defectus conditionem operatio nunquam recta euadit. Cum itaque deus optimus principale omnium agens, principalisque cunctorum finis, existat. Angelus vero secundarium agens eiusque bonitas atque perfectio, secundarius sit finis, si Angelus agit & cooperatur ipsi deo agenti, ipsumque ad operationem mouenti, eius operatio, vtpote diuinæ operationi subiectæ, semper rectissima

Operans non ex influentia principalis agentis nempe dei, at secundum propriam defectus conditionem semper peccat.

ma erit. Quòd si operatur ex se, deo, ipsum, minime mouente, cum agens sit deficiens, producet operationem à rectitudine deuiantem. Si idem, quoque, eius propriam perfectionem, propriuḿque bonum, quod secundarius est finis, ordinet ad deum, vt supernaturalis beatitudinis obiectum, idipsuḿque appetat ob ipsummet deum vt tale obiectum, nunquam sanè appetitus eius inordinatus ac peruersus erit. Verum si tale proprium bonum, taleḿque suam perfectionem, vti finem appetat absque ordine ad deum principalem omnium finem, quinimò talem contemnat ordinem, velitque in tali appetitu, non subijci deo, nec eius regulæ, obnoxius sanè erit superbiæ peccato, quoniam superbiæ actus prius, est deum contemnere, & eidem nolle subijci, nec eius regulæ obtemperare? Superbus naḿque ad nolle se subijci deo, per se, tendit. Quicquid enim appetit, per modum non subditi deo appetit, sicut è contra, humilis, ad quodcunque tendit, vt deo, subditus, tendit. Et quia Angelus bonum proprium propriaḿque perfectionem, naturalem pulchritudinem, naturaleḿque felicitatem, appetijt, eamipsam non ordinando in deum, vt supernaturalis beatitudinis, obiectum, vti tenebatur, quinimò hunc diuinæ sapientiæ ordinem reliquit, dei subiectionem abhorruit, ipsiuśque vt superioris, regulam, contempsit, ob id superbiæ vitio, infectus est. Nam vt peregregie inquit. D. Thom. prima quæstio. lxiij. art. ij. In spiritualibus bonis, non potest esse peccatum, dum aliquis eis afficitur, nisi per hoc, quia superioris regula non seruatur; Et subdit. Et hoc est superbiæ peccatum, non subdi superiori, in eo quod debet. Verum in apperentia proprij boni, non seruari superioris regulam, bifariam contingit, per se scilicet primo, & per accidens, siue ex consequenti, per se quidem primo, tunc superioris regula minime seruatur, qñ ipsa despicitur, & ex tali neglectu, superbia

Superbus ac humilis q̃ quid per se tendant.

Qũo Angelus, superbiæ peccatum incurrit.

In appetitu proprij boni, non seruari regulam superioris dupliciter contingit.

superbiæ peccatum semper incurritur, quandoquidem proprius eiusdem superbiæ actus (vt iam tactum est) sit superioris contemptus. Per accidens autem siue ex consequenti, superioris regula non seruatur, quando ad conuersionem boni commutabilis, sequitur auersio ab incommutabili bono, & id, omnibus peccatis mortalibus est commune. Et hinc fit vt respectu auersionis, superbia, à ceteris discrimi netur vitijs lætalibus, quoniam auersio, in superbiæ peccato est per se volita, non quidem vt res obiecta, at vt ipsius per se modus, quia auertens se à deo per superbiam, ideo auertitur, quia vult, & eligit auerti, quod est contemnere sui subiectionem ad deum. In ceteris autem criminibus auersio, est solum per accidens, & ex consequenti, volita, non autem primo & per se, quoniam dum quispiam in suum tendit obiectum, nempe in commutabile bonum, auersio à diuina regula, illud, concomitatur. Angelus igitur dum in proprium bonum, conuersus est, illud, in deum, vt vltimum finem supernaturalem non ordinando, at eidem proprio bono vt vltimo fini inhærendo, in superbiæ peccatum, lapsus est. Hinc factum est vt dum sic proprio inhæsit bono, vt vltimo fini, à quo omnium actionum regulæ desumuntur, voluerit omnium actiones, ac voluntates, suo fine regulari, sicque omnibus præesse, ac omnibus principari. factum quoque est, vt in tali conuersione ad proprium bonum, non vsus sit diuina regula, qua tamen in electionem exeundo, vti tenebatur, quinimò ipsam aspernatus est, vt suæ electionis modum, & propterea eiusdem superbiæ peccato est affectus.

Quo peccauerit Angelus, in appetitione supernaturalis beatitudinis.

Si quoque secundum Anselmi placitum, ponamus Angelum, supernaturalem beatitudinem appetiuisse, quoniam eam ipsam, proprijs viribus, non ex dei munere, neque ex diuina gratia consequi voluit, eapropter superbissimus extitit. Habuit enim

inord

inordinatissimum propriæ excellentiæ, appetitum Quænam excellentia maior appeti potest, quàm ea quæ soli deo competit? Appetijt enim supernaturali ipsa felicitate, suis viribus, frui, quod soli sanè deo proprijssimum est. Appetendo autem modo tali felicitatem prædictam, cum in ipsa omnium bonorum perfectiones aggregentur omniumque appetibilium bonitates adunentur, & ea ipsa summæ excellentiæ rationem habeat, summam certè appetijt excellentiam, celsitudinem summam. At quia inordinata affectione, propterea nec isto modo, superbiæ peccatum, euasit. Quod autem, superbia, in Angelo peccatum sit primum, facilè ex his quæ scribit. Doct. Sanct. ij. ij. q. clxij. art. vj. & vlt. &. j. ij. q. lxxxiiij. art. ij. deduci potest. Quia cum in peccato, ait duo sint, conuersio, scilicet ad commutabile bonum, & auersio ab incommutabili bono, ex parte vtriusque superbia primum omnium peccatorum dici potest; Et ex parte quidem auersionis à deo, probat vbi supra art. vlt. vbi sic inquit. Illud quod est per se in quolibet genere semper primum est, clarè autem vt ibidem notatur art. vj. auersionem à deo, quæ formaliter peccati rationem complet, per se primo ad superbiam pertinere, quandoquidem oriatur ex hoc ipso, quòd non vult deo & eius regulæ subijci, igitur superbia, peccatorum omnium est primum. Maior assumpta, ex eo clarescit, quia quod est per se primo, semper præcedit id quod est per aliud, sicut perfectum, imperfectius, & prius, suum posterius, Minor vero & si sit probata, nihilominus amplius clarificatur. Quia superbia ex propria sui generis ratione, contemptum dicit subiectionis ad deum, veluti ediuerso, humilitas, amplexum subiectionis ad ipsummet deum nominat, ex hoc autem contemptu primo & per se in superbia reperto, contemptus, in ceteris causatur vitijs lætalibus, & consequenter ipsa auersio. In alijs enim

Quod superbia in Angelo primũ fuerit peccatum, declaratur.

Superbia ex sui generis rõne, cõtemptũ dicit subiectionis ad deum.

delectabilis, non ad luxuriam sed ad superbiam spectat. Inordinatus autem appetitus, quo quis delectatur in speculatione conclusionis geometricæ, potius ad peccatum curiositatis, quàm luxuriæ, spectat, tum quia delectabile, primum appetitum, in Angelo esse non potuit, quandoquidem appetitus delectabilis appetitum boni conuenientis, necessario supponat. Delectatio enim ex coniunctione boni delectabilis cum potentia, & hæc, ex coniunctione boni conuenientis, cum ea ipsa, causatur. Est enim delectatio quies in bono conuenienti potentiæ coniuncto. Et hinc pulcherrime sequitur deformitatem & irrectitudinem existentem in appetitu delectabilis, non esse primam, at illam quæ est in appetitu boni conuenientis, ad quod, ratio delectabilis consequitur. Et propterea dicitur ad argumentum, quòd vtique concludit quòd dum Angelus inordinate appetijt beatitudinem naturalem, vel supernaturalem, vt bonum delectabile, peccauit peccato luxuriæ ad sensum declaratum, sed si tunc subinferatur consequentia, ergo tale luxuriæ peccatum fuit primum, neganda est. Dicitur deinde falsum esse quòd dum Angelus inordinate appetijt beatitudinem vt bonum delectabile, peccauerit peccato luxuriæ, quoniam vt docet. D. Thom. ij. ij. q. xxj. art. iiij. inordinatus appetitus alicuius excedentis propriam virtutem, sicut est beatitudo, ad præsumptionem pertinet, quæ ex inani gloria oritur & ex superbia. Ad superbiam itaque non ad luxuriam, prædictum peccatum, spectabit.

Aliud affertur argumentū, aduersus præfatam conclusionem.

Potest rursus argui aduersus præfatam conclusionem, quòd peccatum superbiæ primum in Angelis non fuerit, quia cum Angelus peccauerit exappetitione beatitudinis naturalis, vel supernaturalis ex omissione scilicet considerationis, quam tenebatur habere dum in actum electionis exijt, igitur peccatum omissionis vel inconsiderationis fuit primum, & non superbia.

Ad

Ad argumentum responsio.

Ad hoc facillime respondetur, inquiendo, quòd quia primus actus inordinatus Angeli fuit velle, & non nolle, quia negatio, semper affirmationem, supponit, vt ea priorem, ea propter Angeli peccatum, in deordinata volitione, non nolitione, fuit. Cum autem ommissio negationem dicat, & peccatum ommissionis, vt magis. D. Thom. placet. j. ij. q. lxxxj. art. v. absque omni actu, esse possit, (qui tamen ad suam essentiam, pertineat,) præincludatque rationem voluntariæ declinationis, ob id peccatum primum, esse nequit. Præterea ommissionis peccatum, non speciale, at generale peccatum quoddam est, quia in omni peccato contra affirmatiua dei præcepta, perpetrato, est inclusum, & propterea primum Angeli peccatum esse minime potest. Inconsideratio autem non tam peccatum dicendum est, quàm causa peccati vt etiam Capreolus. iiij. dist. ij. sent. ad secundum Aureoli aduersus primam conclusionem expresse docet. Patet igitur ex his omnibus dictis in Angelis potuisse peccatum esse, & quod primum, non nisi superbia fuerit. Et hæc de quæstione hac, dicta, sufficiant.

Peccatum ommissionis, primum in Angelo esse nequiuit.



Quæstio. De potentia creandi.

VAERITVR. An potentia creandi sit alicui creaturæ communicabilis instrumentaliter. Hanc qõnem pluribus in locis doctrinæ suæ, tractat D. Th. Et primo quidem. j. q. xlv. art. v. ij. Contra Gent. cap. xxj. De potentia Dei. q. iij. art. iiij. ij. sen. dist. j. q. j. art. iij. iiij. sent. dist. v. q. j. art. iij. quæstiuncula iij. Capreolus quoque. ij. dist. j. q. iij. Tractatur etiam ab alijs doctoribus. ij. & iiij. sent. Et in hac perdifficili quæstione admodum discriminantur doctores, adinuicem. Et. D. Thom. videtur oppositа quodammodo scripsisse vti declarabitur. Propterea elucidandum erit quid secundum veram. D. Thom. sententiam ac secundum veritatem, tenendum sit.

Ad huiusce igitur quæstionis elucidationem, illud in primis supponendum est, quod à cunctis pulcherrime conceditur, nempe quòd creare est ex nihilo aliquid facere, & creari ex nihilo quippiam fieri, ex nihilo inquam, id est non ex aliquo, seu nullo penitus præsuppositо. Et creatio est progressio, siue simplex emanatio à non esse simpliciter, ad esse simpliciter. Supponendum quoque est, ipsum esse simpliciter primo & per se, esse effectum solius dei, & non alicuius creature, ita quòd agens primo, & per se ens, siue esse, est agens creans, & vnumquodque acquirens primo, & per se esse, est necessario creatum, quia quod producitur quo ad esse primo, & per se, producitur, quantum ad omnia quæ quoquo cõ currunt ad esse, & non producitur secundum partẽ sui; Intelligentiæ quippe si producuntur acquirendo

Creare, ẽ ex nihilo, aliq̃d facere. Et creatio ẽ simplex emanatio à non esse simpliciter, ad esse simpliciter.

primo,& per se esse,secundum se totas,& secundum omne id quod ad totam suam substantiam attinet, producuntur. Corpora quoque cœlestia elementa, & omnia elementata, si primo, & per se,esse acquirunt,producuntur & secundum materiam, & secundum formam, cum vero non fiunt primo,& per se, solum fiunt secundum formam,non item secundum materiam. Et hinc euenit vt cum aliquid fit primo, & per se, seu hoc modo esse acquirit, fiat simpliciter & adæquate, seu secundum totum,cum autem non fit primo,& per se,fiat inadæquate, & solum secundum partem.

Creare proprie, solũ subsistentibus conuenit,improprie vero nõ subsistẽtibus competere potest.

Supponendum est tertio,quòd creare, & creari sumuntur quandoque proprie, quandoque communiter,& primo modo creare, & creari,est solummodo subsistentium quibus duntaxat competit esse, secundo vero modo subsistentibus, & non subsistentibus competere potest.

Nulla creatura, vel principaliter vel instrumẽtaliter, entia subsistentiam creare potest.

His sic suppositis, Ponuntur duæ conclusiones quarum altera est negatiua aduersus Auicennam, Algazelem,& Duran. ij. sent.dist.j. q.iiij. & est.

Nulla creatura, vel principaliter, vel instrumentaliter potest entia subsistentia creare, nec eidem, talis creandi potentia, communicari.

Et hæc conclusio facillime probari potest ex ipsius. D. Thom. verissima doctrina, & hac quidem ratione, vt cæteras omnes quas de potentia Dei, &. ij. Contra Gent. adducit, obmittamus. In omni quippe agente aliquid ex nihilo,requirit necessario, & exigitur infinita potentia,sed in creatura,siue producta,siue producibili,non est nec esse potest infinita potentia, ergo creatura nequit aliquid proprie creare. Minor ex eo liquet,quoniam creatura quælibet sicut habet naturam participatam,limitatam,& finitam, ad tale genus, talemque speciem, ita habet & virtutem ex ipsa natura proficiscentem limitatam,& finitam,ne ipsa virtus,vtpote effectus,excedat,suum

princi

principium & causam. Maior vero probatur. Quia in quolibet agente, aliquid, tanto maior in ipso requiritur virtus, & potentia, quanto magis potentia passiua remouetur ab actu, cum quanto potentia magis deficit & elongatur ab actu, tanto magis agentis virtus excrescat, & augeatur, ponatur modo quòd potentia ipsa passiua minuatur, & decrescat, & elongetur ab actu vsque ad non gradum, constat q̃ nulla erit dicenda potentia, quoniam decrescet vsque ad non ens, & ita virtus in agente excrescet supra omnem gradum, & sic in infinitum, & ita agens aliquid ex nihilo infinitam habebit potentiam. Sicut enim se habet non ens, ad ens, quæ sunt duo extrema, ita se habent potentia, quæ potest supra non ens, ad eam quæ potest solum in ens, at inter non ens & ens, nulla est proportio vt etiam admittit Scotus, quia nullius potentię ad aliquam potentiam, nulla est proportio ergo inter ipsas potentias, quæ possunt, altera quidem supra non ens, & altera super ens, nulla erit proportio, ergo altera infinita erit, & altera finita, claret vltima consequentia, quoniam si ambe essent finite, tunc aliqua reperiretur proportio. Funda tur igitur hic processus non præcise super distantia non entis ad ens, sed super in proportione inter hęc inuenta. Quæ improportio ex dictis Arist. iiij. Phys. tex. com. lxxij. pulcherrime elici potest, vbi habet, loquens de motus velocitate facta in spacio vacuo, & spacio pleno. Inquit enim ibi velocitatis facte in vacuo ad velocitatem factam in pleno, nullam esse proportionem, Quòd si asseratur aliquam esse proportionem tunc sequetur q̃ motus factus per plenum, erit eque velox sicuti motus factus per vacuũ, quod est impossibile. Quod claresceret, si ponamus velocitatem factam in vacuo, in duplo fore maiorẽ velocitate facta in pleno, & sumatur medium spacium subtilius priore spacio dato, tunc motus iste factus per tale medium in duplo subtilius, erit in duplo

In quolibet agẽte aliquid, tanto maior in ipso requiritur potẽtia, quãto magis potentia passiua, elongatur ab actu.

Sicut se habet non ens ad ens, ita se habent potẽtiæ, quarum vnæ potest supra non ens, ad eã quæ solũ potest supra ens.

plo velocior & sic æquabit velocitatem in vacuo factam, quod tamen impossibile ab omnibus nedum ab Aristotele asserit. Itidem est de potentijs talium motuum velocitatem agentibus. Quare elucet prefata conclusio.

Altera conclusio & secunda est.

Conclusio secunda affirmatiua

Potentia creandi respectu non subsistentium, puta respectu gratiæ gratum facientis, vel aliarum formarum supernaturalium, quæ non subsistunt, potest creature communicari, non quidem vt creatura ipsa auctoritatiue creet, at ministerialiter, seu instrumentaliter effectiue tamen.

Qui doctores, opinionē contrariā cōclusioni posite, sustinere conantur.

Et in hac quidem conclusione maxima est doctorum disceptatio. Nam Capreolus dist. j. ij. q. iij. & dist. j. iij. sent. innixus. D. Th. dictis in prima parte, & ij. Contra Gent. ac de potentia Dei, articulis, & capitulis supra citatis, & Magister Franciscus Ferrariensis. iiij. Contra Gent. cap. lvij. dictis eiusdem. D. Th. inhærens, & Capre. sententiæ, tenent nullo modo creaturam etiam instrumentaliter concurrere posse ad gratię creationem, ita vt eam ipsam attingat, & propterea inquiunt sacramenta noue legis quibus videtur attribui gratiæ collatio à doctoribus recte sentientibus, non nisi ipsam causare, & producere dispositiue, producendo caracterem vti baptisma, Confirmatio & sacer ordo, vel ornatum, vti cætera sacramenta, non autem vt ipsam attingant, quia cum à solo deo creetur (inquiunt,) non valet creatura ad huiuscemodi creationem, etiam instrumentaliter, concurrere, ob id intrepide affirmat nullum sacramentum noue legis ipsam gratiam posse attingere siue causare. Hanc eandem opinionem sustinet Petrus de Palude. v. dist. iiij. Quas opiniones salua semper tantorum virorum reuerentia vti falsas infra refellemus, at nunc ex cōcessis ab ipsis, erroneas esse, commonstremus. Admittunt sanè hij omnes, tria prætata sacramenta caracterem conferre, cara-

Horū supradictorū doctorū, ac eruditissimorum, opinionem,

cter

ter vero vt inquit. S. Th.iij. q. lxiiij. art. j. cùm sit istorum effectus, & virtus instrumentalis à principali promans agente quod est deus, sitque mera spiritualis forma, solum per creationem producibilis, quemadmodum & ipsa gratia, percunctor, quonam modo à sacramentis prædictis instrumentaliter produci possit, & non ipsa gratia, si dicatur quemadmodum Magister Franciscus ait, quòd iccirco gratia à sacramentis attingi nequit, quoniam est forma principalis à principali agente principaliter intenta, non autem caracter, quoniam intenditur solum vt dispositio ad gratiam, & inconueniens minime esse formam principalem non posse nisi ab agente principali produci, vtpote formam omnino supernaturalem, non autem caracterem, qui vt dispositio. produci potest instrumentaliter ab agente creato. Dicitur quòd ista responsio nulla est, quoniam cum tam caracter quàm gratia nequeat educi de potentia materiæ vel subiecti, sed ex nihilo creetur eo tamen modo quo formis accidentalibus creari competit, & propterea vt inquit Sco. vtrunque sit terminus creationis, sumendo tamen creationem communiter dictam, si gratia solû creatur, & caracter similiter, quia vtriusque est eadem ratio. Nam caracter vti diximus ex nihilo producitur & ab ipso deo promanat. Nec valet præfati doctoris subiuncta responsio, nempe, quamlicet caracter sit forma ex nihilo producta, quia tamen est ab agente naturali virtute principalis agentis producibilis, iccirco non dicitur esse creationis terminus. Non valet (inquam) quoniam ad hoc vt quippiam creetur, sufficit vt è nihilo producat & ad hoc vt creationis terminus esse valeat, sufficit idipsum non posse per agens naturale, de potentia materiæ, vel subiecti, educi, Quod autem ad hoc vt aliquid sit creationis terminus requiratur etiam, quòd non possit ab agente fieri neque virtute propria, neque aliena, hoc est voluntarie dictum, nec vlla ratio

non esse approbandam censeo, vipote, à. D. Th. & veritate, recedentem. Magistri Francisci responsio.

Prefata impugnator responsio.

ne probatum, & huius oppositum infra docebitur.

Probanda est igitur supradicta conclusio, nempe, q̃ creatura effectiue, instrumentaliter tamen, possit gratiam attingere, & sic instrumentaliter ad ipsius gratię creationem posse concurrere, & hinc euenire, vt creandi potentia sit creaturæ communicabilis, & de possibili & de facto. Et de possibili quidem, Probatur auctoritate Magistri sent. iiij. dist. v. ibidem ex presse asserentis hoc esse possibile, quam opinionem, & tutatur. S. Th. eodem loco. q. j. art. iij. quæstiuncula. iij. ad quartum. Vbi habet quòd si quis velit magistrum sustinere dicendum est, quòd quia creare, est aliquid efficere ex nullo præexistente, tali autem modo producere, duobus modis contingit, primo modo vt aliquid ex nullo præexistente, fieri dicatur quã do neque ex parte agentis, neque ex parte facti aliquid supponitur, vt si agens aliquod agat, non in virtute superioris, agentis, sed ex virtute propria, neque agat aliqua ex præexistenti materia vel subie cto, & hæc actio quæ vere creatio dicitur, nulli creaturæ communicari potest, quoniam infinitam exigit potentiam quæ in creatura reperiri minime potest. Secundo modo vt dicamus agens aliquod producere quippiam, nullo præsupposito solum ex parte facti, & tunc est, quando agit quidem in virtute alicuius superioris agentis, sed non ex aliqua præexistente materia, & actio isto modo, quæ & creatio dicitur, creaturæ est communicabilis, & dicitur ministerialiter creare. Et hæc magistri positio amplius ex clarissimis. S. Thom. dictis corroboratur. Habet nanque. D. Thom. vbi supra art. iij. quæstiuncula ij. & iij. part. q. lxiiij. art. iiij. Quòd Christus potestatem excellentiæ quam habuit in sacris, ministris suis communicare potuit, eisdem tantam conferendo gratiam & gratiæ plenitudinem, vt eorum meritum operaretur ad sacramentorum effectus, vtque ad nominum ipsorum inuocationem sancti-

Probatur præfata conclusio, multiplici auctoritate.

Creare, quod est ex nullo præexistẽte aliquid efficere, duob⁹ modis cõtingit.

Probatur ex clarissimis. D. Th. dictis potentiã creãdi respectu nõ subsistentiæ vt est

fica

ficarentur sacramẽta, & vt ipsi, sacramenta instituere possent, & demum quod potius est, vt sine sacramentorum ritu, valerent solo imperio, sacramentorum effectum conferre.

Potest enim subdit, instrumentum coniunctum, quanto fuerit fortius, tanto magis virtutem suam, instrumento separato tribuere, sicut manus, baculo. Quid quæso clarius dici potest? Propterea his ex verbis inquit Reuerendissimus Caietanus habetur, potestatem conferendi gratiam, homini esse communicabilem. Si nanque Christi ministri, gratiam ipsam conferendi, potestatem excellentiæ habere potuerunt, tametsi decens id minime fuerit, vt conferetur, nonne instrumentaliter ad ipsius gratiæ creationem concurrere valuerunt? Valuerunt sanè, propterea pulcherrime dicitur quòd potentia creandi respectu gratiæ, creaturæ communicari potuit; Quòd autem de facto hanc potestatem creaturæ contulerit, nempe vt ad gratiæ productionem quæ solum per creationem fit, efficacissime probatur. Habet quippe. D. Thom. j. ij. q. cxij. art. j. vbi quærit an solus deus sit gratiæ causa, in responsione ad primum, quòd humanitas Christi vti quoddam diuinitatis organum iuxta Damasceni sententiam, gratiam causat, non quidem virtute propria at virtute diuinitatis adiunctæ, Et in responsione ad secundum ait, quòd sicut in persona Christi humanitas causat nostram salutem per gratiam, virtute diuina principaliter operante, ita etiam in sacramentis, nouæ legis quæ deriuantur à Christo causatur gratia, instrumentaliter quidem per ipsa sacramenta, sed principaliter per virtutem Spiritussancti in sacramentis operantis, iuxta illud Ioan. iij. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritussancto non potest introire in regnum dei. Hinc apertissime colligitur, & Christi humanitatem, & ipsa sacramenta nouæ legis effectiue & instrumentaliter ad gratiæ productionem & causa

gratia' gratiũ faciens, esse creaturæ communicabilem.

Ex prædictis. D. Th. auctoritatibus apertissime habetur &

Christi humanitatem, & sacramenta effectiue, instrumẽtaliter tamen gratiam producere, ip samq; attingere.

litatẽ concurrere. Nec Capreoli interpretatio bona est, inquientis, sacramenta quidem conferre gratiam sacramentalem, at non gratiam gratum facientem, quoniam cum gratia sacramentalis sit gratię gratum facientis effectus, si hæc à sacramentis causatur effectiue, & gratia gratum faciens, & si hæc nempe gratia gratificans ab ipsis sacramentis non causatur, nec sacramentalis. Amplius quòd sacramenta ipsa gratiam causent, affirmat expressime idem. D. Th. iij. q. lxij. art. j. iij. & iiij. Nam inquit art. j. quòd sacramenta noue legis gratiam causant, quia adhibentur ex diuina ordinatione, hominibus, ad gratiã in eis causandum. Nec oportet recurrere ad causalitatem dispositiuam, quoniam tenet ipse. D. Th. q gratia gratum faciens est principalis sacramentorum effectus, & caracter secundarius sicuti patet vbi supra. Rursus tenet art. iij. quòd sacramenta nouæ legis, gratiam continent, & est in ipsis, non sicuti in causa vniuoca, neque sicuti forma habens esse permanens, sed secundum quandam instrumentalem virtutem quæ est fluens, & incompleta in esse naturæ. Et in responsione ad tertium ait, quòd gratia est in sacramento secundum esse fluens & incompletum, & propterea conuenienter dici sacramentum gratiam continere. Demum art. iiij. docet sacramentis in esse virtutem quandam spiritualem gratiæ causatiuam, quæ quidem virtus in principali agente habet esse permanens, & completum in natura, in instrumentis autem vt in sacramentis habet esse transiens ex vno, in aliud, & incompletum, atque in responsione ad primum nihil prohiberi, in corpore virtutẽ esse spiritualem instrumentaliter, inquantum, scilicet corpus potest ab aliqua substantia spirituali moueri. ad aliquem spiritualem effectum inducendum, quemadmodum in ipsa voce sensibili, est quædam vis spiritualis, ad excitandum hominis intellectum inquantum à conceptione mentis procedit. Et si nul-

Sacramẽta noue legis, gratiam continent, & sunt fluens, & incompletum.

In corpore potest esse aliqua virtus spiritualis, instrumentalis prout moue-

la

la alia adesset ratio & auctoritas. D.Thom.nonne præstantia & nobilitas sacramentorum nouæ legis super sacramenta veteris legis id expostulat? Illa enim veteris legis gratiam significant & illius duntaxat sunt signa, noue legis vero & signa sunt inuisibilis gratiæ & eiusdem causa existunt. Huic opinioni tanquam verissime inhæret Reuerendissimus Cardinalis. iij.part. vbi supra tenens sacramenta hæc noue legis gratiam attingere pariter & causare institumentaliter tamen, vt sæpius dictum est. Adest & ecclesię auctoritas sicut patet in cōcilio florentino sub Eugenio.iiij.vbi habetur discrimen inter sacramenta veteris & noue legis in hoc, quia illa non causabant gratiam, ista vero continent gratiam & eam causant. Itidem habetur in Concilio Tridentino sessione.vij. can. vj.& vij.Et ex his refellitur opinio Sothi. De natura & gratia.lib.ij.cap.ix.tenentis, Christum & Christi humanitatem non esse gratiæ causam, sed infusionis eius, vt homo sit gratus. Constat nanque opinionē hanc nequiquam sacramēta nouæ legis dignificare, quoniam solum attingerent gratiam dispositiue siue vnionem gratiæ cum homine quod superius improbatum est. Verum Reuerendissimus Caietanus tenet quidem sacramenta, ipsa gratiam attingere, sed ipsam non proprie creari, sicut cum definit esse non annihilatur. Circa hoc dictum aduertēdum est, ipsum veritatem quidem habere quo ad hoc quòd gratia ipsa non proprie creetur, quia cum proprie creari ei solum competat, cui proprie competit esse, & hoc solum subsistentibus conueniat, ob id, cum gratia minime subsistat cum sit forma accidentalis, non sibi proprie creari conuenit, at si intelligeretur tale dictum quòd non crearetur ex nihilo in proprio subiecto, falsum omnino esset cum gratia, in esse, ex nihilo deducatur. Cum vero inquit quòd non annihilatur cum esse definit aduertatur hoc. D.Th.xxvj.dist.ij.sent.art.ij. ad quintum vbi

tur ab aliqua substātia spirituali ad aliquem effectum spiritualem inducendum. Reuerēd. Caietanꝰ præfatæ conclusioni arridet Roborat & prædicta conclusio, ex Concilij Florentini, & Tridentini, auctoritatibus. Refellitur Dominici Soto, opinio. Reprobatur Caietani dictum, nēpe, quòd gratia nō annihilatur cum definit esse.

vbi habet, quòd cum gratia corrumpitur, simul etiam in nihilum redit, quod intelligitur non quidem quòd annihilet per actionem aliquam, at solum per subtractionem sui influxus quo gratia ipsa conseruabatur. Et ex hoc facile interpretari potest dictum. D. Thom. j. q. ciiij. art. iiij. vbi videtur tenere rem deum nunquam aliquid in nihilum redigere, hoc inquam intelligendum est, quantum sit ex se, ex propria natura, ex propria bonitate, & ex intentione, & per actionem aliquam, at per accidens, seu per aliud, nempe per hominis peccatum, & per subtractionem sui influxus non inconuenit deum aliquid in nihilum redigere sicuti gratiam, nempe cum homo ipsam habens, in lætale labitur crimen. Et hæc de quæstione hac, dicta sufficiant, saluo semper meliori iudicio.

Quæstio. De necessitate sacramenti baptismatis, An scilicet sine ipso quispiam saluari valeat.

VAERITVR. Num quispiam sine baptismatis sacramento, saluari valeat seu æternam consequi vitam. In quæstione hac, non modicam patiente difficultatem, hic seruandus est ordo; Vt primo elucidemus terminos in ipsa quæstione positos, secundo conclusionem ponemus negatiuam, quam multipliciter perbelleque probabimus, Tertio Reuerendissimi Caietani opinionem conclusioni nostræ aduersam, adducemus, eamque ipsam improbabimus. Postremo eius rationibus vtpote falsitate laborantibus, perpulchre respondebimus.

Quo ad primum sciendum est secundum sacros doctores Theologos, & præcipue D. Thom. iij. q. lxvj. art. xj. iiij. dist. iiij. q. iij. art. iij & quol. vj. art. iiij. tria esse baptismata. Primum est aquæ, siue fluminis. Secundum est sanguinis. Tertium est flaminis seu Spiritussancti. Baptisma primum iccirco aquæ dicitur, quia eius propria, materia, est naturalis aqua, à qua tale, denominatur, & per quam extrinsecus abluimur, atqui per hanc exteriorem ablutionem, interior ablutio quæ per gratiam fit, perpulchre designatur. Forma vero eiusdem est, Ego te baptizo. In nomine Patris & Filij & Spiritussancti. Amen. Habetque baptisma hoc efficaciam à Christi passione, cui, per ipsum, quisque configuratur. At quoniam præter aquæ baptisma, potest quis consequi sacramenti effectum, nempe Spiritussancti gratiam,

Tria sunt baptismata secundum sacros doctores, videlicet, aquæ, sanguinis, et flaminis. Et quid hæc sint ppulchre declarat.

ex

ex Christi passione, quatenus ei conformatur, pro Christo patiendo, vt Innocentes fecere, eapropter ponitur baptismus sanguinis, qui à Ioan. Apocal. vij. designatus est, dum dixit. Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione & lauerunt stolas suas in sanguine agni, Et hic baptismus vt inquit. D. Th. iij. quæst. lxvj. art. xij. ad primum habet quidem præeminentiam quantum ad sacramenti effectum, super baptismum aquæ, at non quantum ad rationem sacramenti. Per baptismum enim aquæ, imprimitur caracter, non autem per baptisma sanguinis. Et quoniam sine his duobus iam prædictis baptismatibus, potest quis etiam consequi sacramenti effectum, per virtutem Spiritus sancti mouentis ipsum ad credendum, deum diligendum, & ad penitendum de peccatis, eapropter ponitur & tertium baptisma, quod quandoque flaminis siue Spiritus sancti, quandoque penitentiæ baptisma à doctoribus nominatur. Hæc vero duo baptismata postrema, ob id, baptismata vocitantur inquit. D. Thom. vbi supra art. xj. quia baptismatis aquæ, vicem supplent, cum omnimoda deest facultas ipsum actualiter suscipiendi. Sciendum est rursus, cum quæritur, nunquid possit aliquis sine baptismate saluari, quòd sermo minime est de absoluta dei potentia, quæ visibilibus sacramentis non alligatur, per quam posset, si vellet, vnumquemque saluare, eos per gratiam interius sanctificando, sed de ordinaria dei potentia quæ nobis ex sacris prodita est litteris dominisque scripturis. Et tunc clarus tituli quæstionis est sensus. An sine baptismatis aquæ sacramento possit quis, siue adultus, siue puer, potentia dei ordinaria, nobis ex scripturis sanctis patefacta, saluari, seu æternam consequi felicitatem.

In quæ hac, dicm quæritur. An possit quispiam sine baptismate saluari, sermo est non de absoluta. sed de ordinaria dei potentia.

Quo ad secundum huic, quæstioni, hac vnica respondetur, negatiua conclusione.

Nullus sine sacramento baptismatis aquæ, in re vel in voto, potentia dei ordinaria, saluari potest.

Hæc

Hæc conclusio probatur primo Christi auctoritate, inquientis. Ioan. iij. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritusancto non potest introire in regnum dei. His enim clarissimis verbis cunctis, Christus tum maribus, tum fœminis, tum paruis, tum adultis cuiuscuuque conditionis existant, vniuersalem, legem promulgat, & suscipiendi baptismatis sacramentum, necessitatem imponit, si æternam consequi volunt felicitatem, si in dei regnum introire, diuinaque visione frui, peroptant. Et confirmatur hoc idem ex libro de Ecclesiasticis dogmatibus, vbi dicitur. Baptizatis tantum iter salutis, esse credimus. Quid vero de conclusione hac, sentiat Ecclesia Catholica, quidque sentiant Catholici doctores pariter & sancti, subdendum est.

Conclusio prædicta, Ecclesiæ determinatione cõprobat.

Habetur enim ex Innocentij. iij. determinatione. De Baptis. & eius effect. c. Maiores. apertissimum hoc dictum. Cum ergo circuncisio tam adultis quàm paruulis ex præcepto conferetur, ne baptismus qui successit loco ipsius, & generalior tamen exitit, & tam viri quàm fœminæ baptizantur, minoris videatur effectus, tam adultis quàm paruulis est conferendus. Sicut enim sine distinctione qualibet, Mosayca lex clamabit. Anima cuius præputij caro circuncisa non fuerit, peribit de populo suo, ita nunc indistinctè, vox intonat Euangelica, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritusancto non introibit in regnum dei, ab hac generalitate, nec sexum, nec ætatem excludens. Amplius. Innocentius Papa huius nominis primus, in Epistola, Concilio Carthaginensi & Mileuitano rescripta, hæc verba ab Augustino contra duas Pelagionorum Epistolas, lib ij. c. iiij. relata, depromit. Illud vero quod eos vestra fraternitas, asserit prædicare, paruulos æternæ vitæ præmijs, etiam sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. Diuus vero Augustinus apertissime conclusionem prædictam plurib⁹ in locis cor-

Innocẽtij primus de baptismi necessitate.

D. Augustinus. De fide ad Petrum.

roborat. Nã de fide ad Petrum Diaconũ. cap.xxvij. vulgatissimam hanc sententiam pronunciat, quæ & hẽ. De Consecr. dist.iiij. cap. Firmissime. Firmissime (inquit) tene & nullatenus dubites, omnem hominem qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum originali peccato nasci impietati subditum, mortique subiectum, & ob hoc naturaliter iræ nasci filium, de qua dicit Apostolus. Eramus enim natura filij iræ, sicut & cæteri, à qua ira nullus liberabitur nisi per fidem mediatoris hominis Iesu Christi. Firmissime tene non solum homines ratione vtentes, verumetiam paruulos qui siue in vteris matrum viuere incipiunt & ibi moriuntur, siue iam de matribus nati, sine sacramento baptismi, quod datur in nomine Patris & Filij & Spiritussancti de hoc seculo transeunt, sempiterno igne puniendos; In Epistola quoque xxviij. ad Hieronymum. sic ait. Quisquis dixerit, quòd in Christo etiam viuificabuntur paruuli, qui sine sacramenti eius participatione de vita exeunt, hic profecto & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam, vbi propterea pro baptizandis paruulis festinatur & curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo viuificari non posse. Qui autem non viuificatur in Christo, restat vt in ea damnatione maneat, de qua dicit Apostolus. Per vnius delictum, in omnes homines ad condemnationem, Cui delicto obnoxios paruulos nasci, omnis credit Ecclesia. Amplius idem Augustinus. De Baptismo paruulorum contra Pelagianos cap. xiiij. sic ait. Fides Catholicissima est, Omnis generatus, damnatus, nemo liberatus, nisi regeneratus. Atqui nunc. D. Thomam Theologorum facile principem audiamus, conclusionem ipsam pulcherrime enucleantem. iij. q.lxviij. art.j. & ij. Verum antequam. D. Thom. verba citemus, sciendum est baptismum, fore ad salutem necessarium, bifariam intelligi posse, vel re, scilicet vel voto,

Idem Augustinus i epistola, ad Hieronymum.

De baptismo paruulorum idẽ August.

to, Et paruulis quidem cunctis, vt salutem consequantur, penitus est necessarius, vt ab ipsis re & actu suscipiatur vt ex dictis pulcherrime claresci, Adultis vero necessarius est, vt ab eisdem re vel voto suscipiatur, re quidem nisi violentum adsit impedimentum, vel dum ad ipsum suscipiendum quis accedit, in via, casu ex hac luce discedit. Sicut igitur baptisma, duobus alicui potest adesse modis, ita & cuipiam inquit. D. Thom. dupliciter deesse potest, Vno modo re & voto, quod illis sanè contingit, qui nec baptizantur nec baptizari volunt, quod manifeste ad sacramenti contemptum pertinet, quantum ad eos qui vsu gaudent, liberi arbitrij. Et propterea hi quibus hoc modo baptisma deest, nullatenus salutem consequi possunt, quandoquidem nec sacramentaliter, nec mentaliter Christo incorporentur, per quod solum est salus; Alio vero modo, potest alicui deesse sacramentum baptismatis, re, non autem voto, vt cum aliquis baptizari exoptat, morte præuentus, ipsum, actu suscipere nequit. Is tamen sine actuali baptismate decedens, cum desiderium habuerit, procedens ex fide per dilectionem operante, per quam deus interius ipsum sanctificat, salutem consequitur, quandoquidem dei potentia, visibilibus non sit alligata sacramentis. Et talis baptizatus est baptismo flaminis. Hinc. D. Ambrosius, de Valentiniano qui cathecumenus mortuus est, loquens, aiebat. Quem regeneraturus eram, amisi, ille gratiam quam popposcit, non amisit. Corroboratur quoque prædicta conclusio ex dictis quol. vj. art. iiij. vbi inquit quòd pueri saluari non possunt nisi per baptismum aquæ vel per baptismum sanguinis, si per Christum occidantur, ex quo non solum Christiani, sed etiam martires fiunt, vt inquit Augustinus de innocentibus. Et inde concludit, quòd si puer in deserto natus, sine baptismo moreretur, salutem minime consequeretur.

Sacrũ baptisma, in re cunctis paruulis ad salutem penitus est necessarium, adultis vero in re, vel ĩ voto

D. Ambrosius de Valentiniano cathecumeno.

Quo

Caietani opinio nō vera.

Quo ad tertium sciendum est. Reuerendissimum Caietanum nouam quandam adinuenisse opinionem, præfate conclusioni, præfatisque doctoribus, omnino contrariam, quam expresse ponit. iij. q. lxviij. super articulum primum & secundum. Opinio autem est hæc, quam vnica conclusione ponit, nempe quòd in casu necessitatis, ad salutem puerorum, sufficere videtur, baptismus in voto parentum, præcipue cū aliquo exteriori signo. Probat autem opinionem hanc suam & conclusionem, hac ratione, Quia sola veterum fides, non fuit maioris virtutis, apud veteres, quàm apud nos, & ob id, non plus potuit necessitatis vrgente articulo, subuenire tunc quàm nunc, atqui deficiente paruulis, proprio salutis auxilio, parentum fides paruulo sola sufficiebat, igitur nunc, quando paruulo, deest proprium salutis remedium, quod est baptisma, sola parentum fides paruulum deo offerentium, ad salutem sufficit paruuli. Maior ob id videtur manifesta, quia eadem omnino est nostra, & veterum fides. Minor, vero probatur. D. Gregorij auctoritate in lib. Moral. conscripta, quæ habetur. De Consecr. dist. iiij. cap. Quod apud. vbi sic legitur. Quod apud nos valet aqua baptismi, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis, sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij, vel pro his, qui ex Abrahe stirpe prodierunt, misterium circuncisionis. Nec obstat (inquit ipse) si dicitur, quòd apud veteres fides parentis, erat proprium paruulorum tunc remedium, nunc autem aduenient Christo in carnem, institutum est sensibile sacramentum, in proprium paruulorum remedium, non obstat (inquit) quoniam duobus existentibus fide, scilicet & fidei sacramento, operanti fidei, apud veteres adiunctum nostro tempore, fidei sacramentum, sub ratione possibilis, intelligimus, non vt fidei virtutem soluat, sed adimpleat, & propterea quando impossibilitas fidei sacramentum excludit,

Probatio præfatæ opinionis duplex affertur.

virtuti

virtuti fidei locus relinquitur. Sicque concludit, quòd paruulus ex baptismo flaminis voto parentis susceptо, muniatur signo crucis, cum inuocatione trinitatis expressa, & moriens,deo offeratur. Confirmatque præfatam conclusionem suam ex salute paruulorum tempore circuncisionis ante octauum diem,morientium, qui saluabantur per benedictionem, seu oblationem aliquam, quandoquidem ex circuncisionis lege, non sint redditi mares deterioris conditionis quàm fœminæ, quas constat ante octauum diem potuisse consequi remedium contra peccati originalis maculam. Concludit itaque quòd sicut tunc ante circuncisionem,ob eius impossibilitatem, saluari poterant in fide parentum, ita & nunc suppositа baptismatis impossibilitate.

Verum quòd opinio hæc penitus falsa sit, ex dictis & dicendis facillime clarescet; Et ad rationem suam quam pro se vt Achillem adducit, quæ nihilominus est argumentum. D. Thoma factum in oppositam veritatis partem. quol.vj. art.iiij. vbi quærit. Num puer in deserto natus,possit absque baptismate saluari in fide parentum, duplicem affert responsionem inquens, quòd secundum quosdam tempore legis naturæ,non sufficiebat ad salutem paruulorum solus motus fidei in parentibus, sed requirebatur aliqua exterior protestatio per aliquod sensibile signum. Et secundum hoc nihil differebat id quod tunc requirebatur, ab eo quod nunc requiritur ad salutem, nisi quòd nunc illud signum sensibile est determinatum, tunc erat indeterminatum, & pro voto adhibebatur; Aliorum opinio est, quòd solus interior motus fidei relatus ad salutem pueri, sufficiebat ad salutem ipsius, nec tamen nunc est diminuta fidei virtus, sed augumentatur gradus salutis,quia nunc qui saluantur per Christum, statim introduceuntur in regnum cęlorum, quod tunc non erat. Vnde non est inconueniens,si ad hoc amplius

Ad primũ Reuerẽd. Caietani argumẽtũ quod & est. D. Th. ĩ quo lib. 6. art. 4. respondetur ex eiusdem. D. Thom. doctrina.

aliquid requiratur, ſcilicet baptiſmus, vt dicitur Ioan. iij. Et hanc ſecundam opinionem magis videtur amplecti. D. Thom. vt patet. iij. q. lxx. art. iiij. ad ſecundum vbi dicit, quòd ſicut ante inſtitutionem circuncíſionis ſola fides Chriſti futuri, iuſtificabat tam pueros quàm adultos, ita etiam circuncíſione data, ſed antea non requirebatur aliquod ſignum proteſtatiuum huius fidei, quia nondum homines fideles, ſeorſum ab infidelibus ceperant adunari, ad cultum vnius dei; Subdit deinde. D. Thom. inquiens. Probabile tamen eſt quòd parentes fideles pro paruulis natis, & maxime in periculo exiſtentibus, aliquas preces deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent, (quod erat quoddam ſignaculum fidei,) ſicut adulti, pro ſeipſis preces & ſacrificia offerebant. Ex his. D. Thomę dictis, preſertim ex reſponſione. ij. ad primum quol. vj. art. iiij. data, & magis acceptata, clare colligitur, quòd quia nunc poſt Chriſtum, augumentatus eſt ſalutis gradus ob id, præter fidem, quam habuerunt antiqui, & nos nunc etiam habemus, aliud quippiam non ſub ratione poſſibilis, at ſub ratione neceſſarij, omnino requiritur, quod eſt baptiſma, in quo ſanè gratia confertur ex opere operato, nempe ex virtute propria ipſius baptiſmatis, quam habet, inquantum eſt inſtrumentum paſſionis Chriſti, iam perfecte, quodque baptiſma & caracterem imprimit & copioſiorem gratiam tribuit, ex opere (vt dicebamus operato) quam nec circuncíſio, nec aliud ſacrificium ante circuncíſionem, conferebat ex opere operato, at ſolum ex opere operante, nempe ex fide ſola Chriſti futuri. Atqui vt ad rationis formam per ipſum factam, reſpondeamus, dicimus, maiorem aſſumptam falſam eſſe, quoniam veterum fides ſiue ſola in voto parentum, ſiue cum aliqua oblatione vel ſacrificio, ante circu icíſionem, ſiue tempore circuncíſionis ante octauum diem, paruulis, in periculo

culo mortis existentibus,erat, à deo data, & institu-
ta, vt verum proprium, ac necessarium remedium
salutis illorum, sine qua nullus omnino saluari po-
terat,à qua diuina institutione, robur trahebat fides
ipsa vt pueros vel adultos ante circuncisionem, &
post, ante octauum diem, pueros periclitantes, sal-
uare posset quia vt inquit etiam. D. Thomas. iiij.
sent. dist.j. par.ij. art.iij. ad quartum. Et. iij. q.lxx.
art. vltimo tale remedium fidei,adhuc efficaciam ha
bebat. quæ sanè fides, cum nunc post Christi ad-
uentum,non sit à Christo instituta vt sola,vel aliqua
cum oblatione,vel sensibili signo,vt olim,sed ex ip-
sius Christi instituto,fidei ipsi,sit adiunctum,sacrum
baptisma tamquam necessarium penitus, & tam-
quam facillimum, generaleque cunctis, tum mari-
bus, tum fœminis, remedium, propterea ni paruuli
ipsi, actualiter sacrum suscipiant baptisma,& adul-
ti, vel actu, vel voto, nullatenus saluari queunt, Et
ideo cum in maiori dicebat, quòd non plus potuit
veterum fides, vrgente necessitatis articulo, paruulis,
vel adultis,ante circunsionem subuenire, tùc quàm
nunc, falsum penitus assumebat, quia tunc ex diui-
no,poterat institutio,nunc autem minime,quoniam
nunc vltra fidem,vult Christus necessario coexigi ip
sius fidei sacramentum, quod sacrum est baptisma,
quod cum ex parte materiæ aquæ,videlicet, commu
nissimum facillimumque sit, & ex parte ministri ip-
sius formam proferentis communitate quoque gau
deat quandoquidem mulier etiam in necessitatis ar-
ticulo,baptizare possit, ob id asserimus,nunc fidem
sine baptismate,fidei sacramento, nulli in quacunq;
extet necessitate,salutem, posse afferre. Quòd vero
quis sine baptismate decedat, valde per accidens est,
ex causa iam dicta. Et cum inquiebat nihil obstare
sacramentum baptismatis nunc fidei adiunctum,
quoniam tale adiunctum intelligi debet sub ratione
possibilis dicitur quòd immo maxime obstat, quo-

niam adiunctum tale, sub ratione necessarij, & non possibilis, intelligēdum est Christo inquiente Ioan. iij. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritusancto, non potest introire in regnum dei. Quod & ex. ipsius Reuerendiss. Caietani expositione super hæc verba perpulchre probatur, inquientis. Nam dicendo nisi quis, omnes comprehendit, omnibus necessitatem imponit, nullum excipit, nullam ætatem, nullum sexum, nullam conditionem excipit, sed cuiuscunque differentiæ hominem comprehendit, dicendo quis. Nonne obsecro his suis ex verbis, dum dicit, omnibus necessitatem imponit, possibilitatem destruit? Destruit planè, quia necessitas, secum possibilitatem vtpote contrariam non admittit. Si igitur baptismus simpliciter necessarius est, in nullo casu veluti possibilis admittitur. Et isto modo sub ratione necessarij, baptisma à Christo institutum, non fidem soluit, sed adimplet & perficit, dum caracterem imprimit, copiosiorem gratiam confert, & cœli ianuam aperit, quæ fides ipsa, ante Christi aduentum efficere nequit, quāobrem fidei soli absq; baptismate, nullus nūc ad salutē alicuius relinquit locus. Et ad confirmationem suam, dr̄, negando similitudinem qm̄ vt inquit. D. Thom. iiij. dist. j. parte. ij. art. iij. & . iij. q. lxx. art. iij. ad tertium. Iudæi, octauo die, circuncisionem celebrabant, eratque eis octauus hic dies in præcepto, ita vt ipsum prætermittentes, etiam si sabbatum fuisset, peccassent, nec vllatenus hunc diem, eisdem, præuenire licebat, ob infantis nimiam teneritudinem. Et quia multotiens ante octauum hunc diem, sub præcepto cadentem, contingebat infantes mori, eapropter ne aliquo salutis proprio remedio destituerentur, vrgente tali necessitatis seu mortis, articulo, diuinitus sibi collatum fuerat hoc remedium, vt in fide parentum salutem consequi possent. Baptisma vero à Christo institutum cum nullum penitus habeat determinatum

Baptisma, paruulis oīno necessariū fore ad salutem, ex verbis ipsius Caietani probatur.

diem,

diem, quia illico infans in lucem editus, quinimò cum ex matris vtero, exijt,& ſolum caput appareat, imminente illi mortis periculo, baptizari poſſit, nullum aliud ipſis infantibus adhibendum erat remedium, vt ſalutem conſequerentur. Si enim hoc baptiſmatis remedium ſufficit, cur adducendum eſt aliud? Id enim à ratione diſſonat. Curreret autem Caietani ſimilitudo, ſi baptiſma determinatum tempus haberet, vti circuncifio habebat, atqui cum non habeat vti dictum eſt, ſitque omni hora ad ſuſcipiendum, facillimum, nullatenus eſt afferendum, ſine tali baptiſmate nunc pueros in quocunque ponantur ſtatu, poſſe ſaluari. Et hæc de quæſtione hac dicta ſufficiant.

Quæstio. An pueri in vteris maternis exiſtentes, & baptizari, & ſaluari poſſint.



VAERITVR. Num pueri in maternis vteris exiſtentes, & baptizari, & ſaluari poſſint. Ad hoc quæſitum reſpondet. D. Thom. iij. q. lxviij. artic. xj. hac negatiua cõcluſione, videlicet. Infantes in maternis vteris exiſtentes, nullo modo baptizari poſſunt, nec proinde ſaluari.

Concluſio hæc, pluribus ſanctorũ doctorũ auctoritatibus, comprobatur.

Et hanc ipſam ſic perpulchre probat. Quia de baptiſmi neceſſitate eſt, vt baptizãdi corpus, aliquo modo aqua abluatur, quandoquidem baptiſmus, ablutio quædam ſit, cum autem corpus infantis antequam ex vtero naſcatur, nequeat aliquo modo ab lui, aqua, eapropter baptizari non poteſt, Et corroboratur ipſamet concluſio, Auguſtini auctoritate contra Iulianum, quæ habetur. De Conſecrat. diſt. iiij. cap. Si ad matris. vbi dicitur. Si ad matris corpus id quod in ea cõcipitur pertinet ita vt eius pars imputetur, non baptizaretur infans, cuius mater baptizata eſt, aliquo mortis vrgẽte periculo, cum eum geſtaret in vtero. Nunc vero cum etiam ipſe baptizetur infans non vtique bis baptizatus habetur, non vtique ad maternum corpus cum eſſet in vtero pertinebat. Probatur & eiuſdem Auguſtini auctoritate, in epiſtola ad Dardanum. lxxv. inquientis. Nemo renaſcitur, niſi primo naſcatur, Hanc eandem concluſionem ſic. iiij. diſt. j. parte ij. art. vj. quæſtiuncula. ij. ad ſecundum comprobat, inquiens, Puer in vtero matris adhuc exiſtens, quantum ad humanam

cogni

cognitionem pertinet, non habet esse distinctum à matre, & ideo per actum hominis consequi non potest, nunc vt mūdetur ab originali, per baptismum, sed diuinitus mundari potest, sicut de sanctificatis apparet. Ad hoc idem. iiij. dist. vj. art. j. quæstiuncula. j. ait. quòd baptismus est actio hierarchica, secundum Dion. De Eccles. Hierar. c. iiij. vnde per ministros ecclesiæ conferendus est, vel per eos qui in necessitate, vicem ministrorum obtinent, puer autem quandiu est in vtero matris existens, nō potest subijci operationi ministrorum ecclesiæ, nec est hominibus notus, & ideo tunc baptizari non potest. Amplius confirmatur Isidori auctoritate lib. j. sententiarum, quæ habetur. De Consecra. dist. iiij. cap. Qui in maternis, vbi dicitur. Qui in maternis sunt vteris, ideo cum matre baptizari non possunt, quia qui natus adhuc secundum Adam non est, secundum Christum regenerari non potest. Neque enim dici in eum regeneratio potest, quem generatio non præcessit; Et postremo. D. Thom. iij. quæstio. lxviij. artic. xj. ad primum ait. Pueri, in maternis vteris existentes, nondum prodierunt in lucem, vt cum alijs hominibus vitam ducant. Vnde non possunt subijci actioni humanæ, vt per eorum ministerium sacramenta recipiant ad salutem. Possunt tamen subijci operationi dei, apud quem viuunt, vt quodam priuilegio gratiæ sanctificationem consequantur. sicut patet de sanctificatis in vtero.

Reuer. Caietani opinio, asserentis, pueros siue infantes in maternis vteris, periclitantes, posse saluari.

Quo ad secundam conclusionis partem, possint ne pueri in maternis vteris saluari, Tenet Reuerendissimus Caietanus vbi supra. iij. q. lxviij. art. xj. sub correctione tamen, paruulos in maternis vteris periclitantes posse saluari, quemadmodum superius asseruit de infantibus, qui nequeunt baptizari. Posse saluari (inquit) per sacramentum baptismi, non in re, sed in voto parentum susceptum, cum aliqua be-

nedictione prolis, seu benedictione ipsius ad deum cum inuocatione trinitatis. Moueturque duplici ratione, ad hoc ponendum, altera quidem, Quoniam rationabile est, vt diuina misericordia, vnicuique prouiderit homini, in quocunque naturali statu, de aliquo salutis remedio, ita vt nullum reliquerit statum, allegare potentem, salutis remedium sibi impossibile fore, esset autem (subdit) sine omni remedio derelictus status morientium in vtero, nisi parē tum fides, illis posset subuenire; Altera vero, quia puer in materno vtero existens, capax est baptismi sanguinis, si propter Christum occideretur, Nam & martir esset non minus quàm innocentes; Et rationabile quidem videtur, parentum fidem posse opran do perducere ad id, ad quod corporalis passio infantem perducit. Et ob id irreprehensibiliter ageretur, si periclitantibus in vtero, ob maternam ægritudinem vel partus difficultatem, benedictio in nomine trinitatis daretur.

Impugnatur ꝑfata Caietani opinio vti erronea, duab⁹ fuis respondetur rationibus.

Verum positio hæc, mea sententia, & determinationi repugnat ecclesiæ, & sibijpsi. Ecclesiæ quidem determinationi. De Baptis. & eius effect. cap. Non vt. vbi Innoc. iij. Indrosien. Episcopo tale efflagitanti dubium. Postulasti vtrum paruuli sint pro christianis habendi, quos in articulo mortis constitutos, propter aquæ penuriam, & sacerdotis absentiam, aliquorum simplicitas, in caput, ac pectus, ac inter scapulas, pro baptismo, saliuæ consperſione liniuit, respondens ait. Respondemus, quòd cum in baptismo, duo semper videlicet, verbum, & elementum, necessario requirantur, iuxta quod de verbo, veritas ait. Euntes in mundum vniuersum prædicate euangelium omni creaturæ, & baptizate omnes gentes. In nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti, eademque dicat de elemento, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritussancto non potest introire in regnum dei; dubitare non debes, illos, verum

non

non habere baptismum, in quibus non solum vtrum que ipsorum, sed eorum, alterum est ommissum. Hæc Innocentius. Sibijpsi vero, quia Matth. xxvj ex ponendo illa Christi verba in cena, dicta, videlicet Accipite, & comedite, inquit. Hinc habetur Eucharistiam non esse tribuendã infantibus, quibus non potest dici, accipite, comedite. Sicut enim quia dominus dixit. Nisi quis natus fuerit denuo ex aqua & Spiritussancto, negatur baptismus, infantibus in materno vtero, ita dicente domino in communione Eucharistiæ, accipite & comedite, negatur Eucharistia illis, qui adhuc, non possunt accipere, qui adhuc non possunt comedere. Et Ioan. vj. sic inquit. Nullus nascitur ex aqua & Spiritussancto, nisi natus secundum carnem.

Ad Caiet. rationes responsio.

Ad rationes autem suas respondetur, Et ad primam quidem respondet. D. Thom. iiij. dist. vj. q. j. art. j. quæstiuncula. j. ad primum inquiens, non esse ex defectu diuinæ misericordiæ quòd in matris vteris paruulis existentibus, remedium non exhibetur, sed quia non sunt illius remedij capaces per quod secundum legem communem participes passionis Christi efficiantur, à qua est remissio peccatorum, quia non possunt subijci operationi ministrorum ecclesię per quos talia remedia ministrantur. Quam responsionem si perpendisset Caietanus diligenterq. examinasset, proculdubio vidisset rationem suam quæ est primum. D. Thomę argumentum loco citato, infirmissimam esse, nulliusque roboris; Homini igitur & paruulo nato, nunquam decst remedium contra originale peccatum. Ad secundam negatur similitudo, quoniam in baptismo sanguinis, dum infans in vtero materno pro Christo occiditur, euenit vt actio ipsius agentis & occidentis infantem, perpulchre ipsum attingat, quod in baptismo aquæ euenire non potest, vt ex supradictis patet. Nam baptismus ablutio quædam est, & perneces-

saria,

saria cuique baptizato quæ cum exerceri nequeat circa infantem, in materno vtero exiſtentem, nullatenus baptizari poteſt, & propterea ſalutem conſequi non valet. Et hæc pro quæſtiuncula hac, dicta ſufficiant.

Quæstio. An baptizati intentio, requiratur ad susceptionem baptismi.

VAERITVR. Num ex parte baptizandi, vel baptizati, requiratur intentio susciipiendi baptismatis sacramentum. Et circa quæstionem hanc quinque peragenda sunt. Nam primo declarabuntur termini, in quæstione positi. Secundo vna primo ponitur affirmatiua conclusio, qua elucidata, pulcherrime declarata, & multis comprobata rationibus, & auctoritatibus, adducentur quædam Caietani solutiones, ad quasdam, D. Thomæ rationes, quæ & improbabuntur. Tertio ponetur eiusdem Caietani opinio, suis cum fundamentis, & elidetur tanquam veritati repugnans. Quarto ponetur secunda & negatiua conclusio respectu paruulorum rationis vsu carentium, & elucidabitur. Postremo rationes nonnullæ ipsam improbantes adducentur, & illis optime respondebitur. *Dicendorum ordo.*

Quo ad primum sciendum est baptizandos in duplici esse differentia, quia eorum quidam adulti sunt, hij scilicet, qui ratione vtuntur, & iam libertatis suæ sese compotes esse agnoscunt, quidam vero sunt paruuli qui etsi rationis participes sint, vtpote animam intellectiuam habentes, haud tamen ratione vtuntur, cum ætas talem rationis vsum impediat. Intentio autem voluntatis nominat actum, præsuppositæ ordinationi rationis ordinantis aliquid in finem, vti eius terminum, quemadmodum. D. Thom. j. ij. q. xij. art. j. ad tertium & quartum peregregie docet. *Baptizati seu baptizandi, in duplici sunt differentia. Intentio quid sit, & cuius actus potentia.*

Et

Et licet actum, seu motum voluntatis sonet, nihilominus quandoque pro voluntate ipsa accipitur, & propterea Doctores intentionis & voluntatis nomine, indistinctè vtuntur, vt vel sic doceant in quæstione hac vtroque nomine vti licere. Baptizandum autem suscipere sacramentum, bifariam intelligi potest, primo quidem modo vt sacramentum ipsum baptismatis suscipiat, simul & rem sacramenti, nempe gratiam iustificantem, secundo vero vt solum sacramentum recipiat, non item rem sacramenti, sicuti accidit ei qui indispositione laborat. Hic etenim indispositus sacramentum quidem, & caracterem suscipit, at gratiam minimè, Ex horum autem enucleatione terminorum, sic intelligitur quæstionis præfatæ titulus, Num scilicet, ex parte baptizandi seu ipsius baptizati, siue adulti, ratione vtentis, siue paruuli, rationis vsu carentis, requiratur necessario intentio siue voluntas, suscipiendi baptismatis sacramentum, quatenus caracterem confert, quo quispiam Christianus efficitur, & non rem sacramenti, gratiam, scilicet, tametsi quisque dispositus vtrunque recipiat.

Baptizatum vel baptizandum baptismi sacramẽtũ, suscipere, bifariam intelligi potest.

Conclusio affirmatiua.

Quo ad secundum ponitur hæc affirmatiua conclusio, scilicet.

Intentionẽ adultis, per se necessariã esse ad sacramenti baptismatis susceptionem multipliciter probatur.

In cunctis adultis baptizandis siue baptizatis, si sacramentum baptismatis ipsi vere suscipere debeãt, necessario eorum requiritur intentio, vel voluntas illud suscipiendi.

Quæ quidem conclusio probatur ex. D. Thom. doctrina. iij. part. q. lxviij. art. vij. Et primo quidem ex Ecclesiæ ritu, in quo baptizandi profitentur se petere ab Ecclesia ipsum baptisma, per quod profitentur suam intentionem, de susceptione sacramenti. Deinde validissima hac firmiatur ratione. Quia, per sacrum baptisma susceptum, quis veteri moritur vitæ peccati, & quandam inchoat vitæ nouitatem, iuxta Apostoli sententiam, Rom. vj. Consepulti sumus

sumus Christo, per baptismum in mortem, vt quomodo Christus resurrexit, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Mori autem veteri vitæ, cum in habentibus liberi arbitrij vsum, secundum Augustinum libro de penitentia, & habetur. De consecra. dist. iiij. cap. omnis, voluntas per se requiratur, qua eum veteris vitæ peniteat, ipsa quoque requiritur ad hoc vt noua inchoetur vita, cuius principium est ipsa sacramenti susceptio. Amplius sic corroboratur. Quoniam nulla passio voluntaria est sine patientis intentione, atqui baptizati est passio voluntaria, vt optimè docet. D. Thom. vbi supra ad primum igitur baptizari, non sine patientis, siue baptizati extat intentione. Ad huiusce etiam conclusionis probationem, in responsione ad secundum ait, quòd si in adulto deesset intentio suscipiendi sacramentum, esset rebaptizandus. Et quid clarius dici poterat? Nonne ex hisce. D. Thom. verbis luce clarius constat intentionem in adulto, per se ac necessario concurrere ad baptismatis susceptionem? Constat sanè. Quia illud per se ac necessario ad aliquid concurrit, quo posito, illud ponitur, & quo remoto, illud remouetur, cum autem posita baptizati intentione, verum baptisma suscipiatur, & ipsa remota, neutiquam idipsum recipiatur, quia talis esset rebaptizandus, vt inquit. D. Thom. vbi supra igitur per se ac necessario ad talem susceptionem, intentio requiritur. Quare non possum non admodum mirari de dicto doctissimi Caietani, loco supra citato, quo attribuit. D. Thom. & falso, ipsum tenuisse in adulto, intentionem, solum per accidens & non per se requiri, dum baptizatur.

Si adulto deesset intentio suscipiendi sacramentum baptismi secundum. D. Th. esset rebaptizandus

Atqui Caietanus ipse, suam conatur tutari opinionem ex eiusdem. D. Thom. doctrina, iiij. dist. vj. q. j. art. ij. quæstiuncula. iij. vbi asserit, intentionem in baptizando, vel baptizato non requiri, nisi vt remouens, prohibens, quod ab Arist. viij. Physic. tex. com.

Caietani opinio, sustinere conantis, intentionē ī adultis

solum per accidens concurre re ad baptismatis susceptionem.

com. xxxij. causa per accidens duntaxat vocitatur. Hæc enim eius precise sunt verba. In baptismo, baptizatus duo recipit, scilicet sacramentum, & rem sacramenti, sed ad hæc duo recipienda non requiritur aliquid causans ex parte recipientis, sed solum impedimentum remouens, quod quidem impedimentum, nil aliud est, quàm voluntas contraria alicui prædictorum, & ideo in adultis, & in habentibus vsum rationis, in quibus potest esse contraria voluntas actu, vel habitu, requiritur & contritio, & deuotio, ad percipiendam rem sacramenti, & intentio vel voluntas ad recipiendum sacramentum. Itidem affirmat in responsione ad primum & tertium. Et licet ipsi Caietano pro se, hæc verba citanti, vnico verbo satisfieri posset, inquiendo, standum esse penitus sententiæ. iij. parte vbi supra positæ, vtpote sententiæ posteriori & saniori, & non sententiæ in ipso. iij. sent. adducte, si aliquo modo hæc illi aduersari videtur, nihilominus palam fiet, & sententiam hanc optimè sustineri posse, si tamen limpido conspiciatur intuitu, & eius verbis, vera donetur intelligentia.

Vera D. Th. verbis redditur interpretatio.

Non enim cum ait. D. Thom. intentionem ex parte baptizandi, vel baptizati omnino requiri, ad hoc vt sacrum suscipiatur baptisma, intelligit vt ipsa concurrat veluti effectiua causa sacramenti, vel quo ad caracterem, vel quo ad gratiam suscipiendam, vel quo ad quemuis alium sacramenti effectum, quoniam huiusmodi effectiua causa, & instrumentalis, attribuitur formæ verborum, ex intentione baptizantis, prolatorum, at solum requiri dicitur, vt causa sine qua non, siue vt conditio sine qua baptisma nullo modo susciperetur, eo modo quo in naturalibus dicimus approximationem combustibilis ad ignem, combustionis esse causam, & penitus necessariam non quidem vt causantem, & ipsam efficientem, atqui, vt causam siue conditionem, sine qua

Intentio in susceptione baptismatis concurrit vt causa, siue vt conditio sine qua non.

non

non fieret ipsa combustio. Et cum astruit. D. Thom. hanc ipsam intentionem, ex parte baptizandi siue baptizati, solum concurrere vt remouens prohibens, quod ex. viij. physic. tex. com. xxxij. causa per accidens appellitatur. Dicitur, verum quidem esse, quòd remouens prohibens motum grauium & leuium, de quo ibidem loquitur Arist. respectu generantis talia grauia, & leuia, dicitur causa per accidens, quoniam cum accidat ipsis grauibus & leuibus à generante naturaliter mobilibus vel motis, quòd à suo impediantur motu, & remouens prohibens, nullam eisdem det inclinationem, qua in sua ferantur loca, cum eam à generante duntaxat sortiantur, quemadmodum & ab eodem proprias consequuntur formas, per se causa dici nequit, cum in ipsa, tum grauia, tum leuia, nihil influat motum agens, at solum per accidens ad talem concurrat motum, quia cum remouens prohibens (suppositio quòd voluntarium sit,) solum per se intendat (vt exemplo dicamus) remouere columnam supra quam extat lapis, & non lapidem ipsum, ob id per se remouendo ipsam columnam, per accidens & accidentaliter dicitur esse causa motus lapidis deorsum. Si autem tale remouens prohibens intendat nedum remouere columnam, descensum lapidis impedientem, verum etiam simul intendat lapidis motum deorsum, qui necessario columnæ remotionem sequitur tunc causa per se dicetur, & non per accidens, cum talis lapidis motus, sit à remouente prohibens per se intentus; & multo magis si talis motus primo intendatur, qui esse nequit, ni necessario columna remoueatur. Causa (inquam) per se, non aliquid influens, vti diximus, sed causa sine qua, non sequeretur motus, & qua posita, necessario sequitur.

Ad propositum modo applicando, dicitur, quòd quia in adultis, accedente intentione, & voluntate, remo

remouente impedimentum susceptionis sacramenti baptismatis, semper ipsum suscipitur, & non accedente, impedimentum, quod est contraria voluntas, in ipso passo semper existit, ita vt nunquam recipi possit sacramentum, propterea per se, & necessario requiritur in baptizando ipsa intentio, siue voluntas, sicque pulcherrime dicitur remouens prohibens per se & necessario concurrere, vti declarauimus.

Ex dictis falsum cõ probatur quod à Caietano asseritur.

Quare falsum existimauit Caietanus, dum oppositum tenuit. iij. part. q. lxviij. art. vij. Amplius huic conclusioni ac eius veritati maxime arridet, eamq. potissimum confirmat & roborat, illud, scilicet quod nemo absolutè inuitus & coactus baptizari debet, etsi quispiam taliter baptizaretur, sacramentum minime reciperet. Quo fit vt eius intentio siue voluntas necessario exigatur. Assumptum vero probatur, ex sacro Concilio Tolletano, vt habetur dist. xlv. cap. de Iudæis. vbi dicitur. De Iudæis autem præcepit sexta sinodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre. Cui enim vult Deus miseretur, & quem vult indurat. Non enim tales inuiti saluandi sunt, sed volentes, vt integra sit forma iustitiæ. Sicut enim homo propria arbitrij voluntate, serpenti obediens, perijt, sic vocante se gratia Dei, propria mentis conuersione, quisque credendo saluatur, Ergo non vi sed libera arbitrij sui voluntate, & facultate, vt conuertantur, suadendi sunt, non potius impellendi.

Concilij Tolletani D. Augustini, Innocentij. iij. auctoritatibus, probatur, intentionem, necessariam fore, ad baptismatis susceptionem i adultis.

Ad idem est Augustini authoritas contra Petilianum lib. ij. cap. lxxxiij. & habetur. xxiij. q. v. cap. Ad fidem. Sic enim ait, Ad fidem nullus est cogendus. Et De Iud. & Sarace. c. Sicut Iudæi. sic inquit Clemês. iij. Christi fidem, habere non creditur qui ad Christianorum baptismum non spontaneus, sed inuitus cogitur peruenire. Vlterius itidem quàm clarissime habetur ex Innocentio. iij. De baptis. & eius effectu, cap. Maiores. §. Sed opponitur, vbi legitur. Id

Christia

Christianæ religioni esse contrarium, vt semper inuitus & penitus contradicens ad recipiendam & seruandam Christianitatem aliquis compellatur. Et hoc quidem dictum est ad refellendum quorundam falsam opinionem, asserentium, inuitos & reluctantes, in aqua tamen immersos, ad ecclesiasticam pertinere iurisdictionem, ad seruandamque fidei Christianæ regulam esse compellendos. Et ad huiusce etiam erroneæ opinionis improbationem infra sic dicitur. Ille qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec caracterem suscipit sacramenti, quia plus est expresse contradicere, quàm minime consentire, sicut nec ille notam alicuius reatus incurrit, qui contradicens penitus, & reclamans thurificare idolis cogitur violenter. Verum huic determinationi aduersari videtur id quod habetur. xxiij. q. vj. cap. j. vbi dicitur, Paulum dum Dei Ecclesiam immaniter persequeretur, in itinere obcęcatum ad Deum conuerti fuisse coactum. huic obiectioni. Glossa in cap. Maiores, vbi supra duplicem affert responsionem, vnam quidem, quòd si Paulus ad fidem venire coactus est, id ait, diuino factum fuisse iudicio, cuius facta ad consequentiam trahi non debent, quoniam id speciale in ipso fuit, alteram vero quæ habetur ex Augustino, Donato Presbytero scribente, & notatur. xxiij. q. iiij. cap. Displicet. vbi dicitur. Paulum, fideles persequentem, inter flagella, mutatum fuisse, & volentem, factum. Hæc enim sunt ipsius Augustini verba, loco citato. Paulus non est permissus vti pessima voluntate, qua persequebatur Ecclesiam, sed prostratus est, vt cęcaretur, cęcatus est vt mutaretur, mutatus est, vt mitteretur, missus est, vt qualia fecerit in errore, talia pro veritate, pateretur. Et act. ix. apertissime habetur hæc ipsa Pauli mutatio, dum prostratus in terram, tremens ac stupens dixit, Domine quid me vis facere? Ex hac autem decisione pulcherrima, elucet falsam esse Glos. opinio-

Obiectio.

Solutio.

Improbatur ex dicta Gloss. quæ habetur super cap. Solet. De Cõsec. dist. 4. & alia quæ habetur super. c. Maiores. De Bap. & eius effectus.

nem, supra cap. Solet. De consecr. dist. iiij. tenentis, quòd si baptizans intendit baptizare, qualemcunque intentionem, baptizatus habeat, recipit sacramentum. Claret quoque, & alterius Glos. opinionem supra cap. Maiores. De Baptismo, & eius effectu, erroneam fore, sustinentis pariter & docentis, quòd si quis baptizatur, tametsi corde dissentiat, ore tamen consentire se dicat, sacramentum recipit. Hæc enim vti falsissima reprobatur, in textu.

Dubium apparens.

Atqui dubium vnum supereſt dissoluendum, quod maxime vrgere videtur. Illud, scilicet, quod tempore Sisebuti Visigothorum Hispaniæ Regis, ip se infideles sibi subditos, coëgit fidem, & fidei sacramentum suscipere, & nihilominus à Concilio Toletano, vt habetur dist. xlv. cap. De Iudæis, & ab Innocentio. iij. cap. Maiores; De Baptismo, & eius effectu, factum approbatur, & baptisma susceptum ratificatur, dum dicitur constare, eos sacramentis diuinis associatos, & baptismi gratiam suscepisse, debereque cogi ad fidem retinendam, quam necessitate susceperunt.

Ad dubiũ responsio.

Huic facile respondetur dubio, de coactione ipsa distinguendo, vt distinguitur in prædicto. cap. Maiores, ab Innocentio, & à. D. Thom. iiij. dist. vj. q. j. art. ij. quæstiũcula. iij. quoniam altera absoluta est, ab extrinseco penitus prouenies, vt cum quis eo prorsus reclamante, nolente, & renitente immergitur, & baptizatur, & talis nec baptismi sacramentum, nec rem sacramenti recipit. Altera est conditionalis, seu conditionata, vt cum quis terroribus, minis, flagellis, ac motu mortis, violenter attrahitur, & ne detrimentum aliquid patiatur, vel vt mortem euadat, baptismi suscipit sacramentum, & talis vere idipsum suscipit, non quidem quo ad vltimum effectum, nempe quo ad gratiam, sed quo ad caracterem Christianitatis, vt expresse dicitur à. D. Thom. loco supra citato, & in prædicto. cap. Maiores. Et tali

coactio

coactione conditionali, seu conditionata, coacti fuere omnes Iudæi siue infideles illi, sub Principe Sisebuto ad baptismā susciendum, & retinendum. Iussit enim præcepit, & omnino voluit eos baptizari, & ni baptizarentur, à regno suo expelli vt ait Dominicus Soto, dist. v. iiij. sent. q. vnica, art. x. Qui ne discederent, & damnum paterentur, baptizati sunt. Et de hac coactione loquuntur Canones supra citati. Et quia coacta voluntas, voluntas est, vt habetur, ex. cap. Merito. xv. q. j. in textu, & in Gloss. & ea quæ ex metu fiunt, inuoluntaria secundum quid dicuntur, voluntaria autem simpliciter, vt inquit. D. Thom. j. ij. q. vj. art. vj. & quæ conditionaliter nolumus, absolute volumus, ex Arist. iij. Echi, propterea licet supradicti Iudæi, siue infideles noluissent baptizari, si in Hispaniæ Regno, commorari potuissent, sine tali baptismi susceptione, & similiter noluissent baptismatis sacramentum susc ipere, si eua dere potuissent, & vitæ periculum, & suorum bonorum dispendium vel detrimentum, quia tamen vt isti, hæc euitarent, baptizari potius voluerunt, ob id dicendum est, ipsos absolute voluisse sacramenti baptismatis susceptionem, quò susceptо, vere Christiani effecti sunt, & fidem susceptam retinere, cogi valuerunt. De tali tamen coactione præfatus Rex Sisebutus damnandus venit, cum nullus ad fidem, fideique sacramentum sit compellendus, de pia autem intentione laudandus. Ex his itaque omnibus pulcherrime patet, in adultis baptizandis, intentionem, siue voluntatem propriam necessario requiri, qua deficiente non recipitur sacramentum.

Coacta voluntas, qua quis metu & timore aliquid facit, voluntas est.

Quòd si quispiam adhuc ambigeret hanc fuisse. D. Thom. opinionem, hunc quæso legat. iij par. q. supra citata, art. xij. & dist. vj. iiij. q. j. art. ij. quæstiúcula. iij. ad secundū, quibus in locis percunctatur num furiosis, amentibus, & dormientibus baptismi sacramentum, sit conferendum, & distinguendo, air.

Quando furiosi, amentes, et dormientes, sacramentum baptismi suscipere possint, et quando minime.

Quòd si tales antequam in amentiam, furiam, & somnum incidirent, voluntatem habuerunt suscipiendi baptismatis sacramentum, huiusque voluntatis signa apparuerint, debet eis in amentia, & furia constitutis, etiam si contradicant in mortis articulo, sacramentum exhiberi. Si vero, nulla vnquam in illis apparuerit voluntas suscipiendi sacramentum baptismi, dum sanè mentis extabant, quinimò contraria est ostensa, nullatenus sunt baptizandi, qui si baptizentur, sacramentum minime suscipiunt, vt inquit in. iiij. loco prædicto, & rationem subdens ait. Quia adhuc illa contraria voluntas, & si non actu, habitualiter tamen vel virtualiter manet. Dormientibus autem, nisi mortis periculum immineat, & nisi prius in eis apparuerit voluntas suscipiendi ipsum baptisma, neutiquam est conferendum, si tamen hæc duo accedant illis est tribuendum vti iam dictum est. Verissimam hanc. D. Thom. opinionem, amplexati sunt, Alexander de Ales. iiij. par. q. xviij. memb. j. Et. S. Bonauent. iiij. dist. iiij. art. ij. q. j. Scot. eadem dist. q. iiij. Et Durand. iiij. dist. q. vij. Tenent enim hij omnes vnanimi voto, intentionem ipsam, seu voluntatem, vti sæpe dictum est, in adultis baptizandis, omnino necessariam fore, non quidem vt ipsi agant, sed vt patiantur. Sicuti nanque baptismi collatio est actus humanus, nempe ex voluntate procedens, ita & ejusdem susceptio humanus est actus, & propterea voluntarius. Hinc Durandus aiebat adultum simili modo se habere ad fidem, & fidei sacramentum, & cum credere nequeat nisi volens, igitur & baptizari nequibit nisi voluntas accedat.

Qui doctores sustineant voluntatē seu intentionem necessariā fore, ad baptismi susceptionem.

Atqui Caietanus complures supradictarum rationum eneruare contendit, conaturque illis vti inefficacibus respondere, vt suam aduersus præfatos Doctores tueatur opinionem. Et primam quidem de ritu Ecclesiæ, non cogere inquit, quoniam eodē

Ecclesiæ

Ecclesiæ ritu, petitur etiam à baptizante si credit in Deum patrem omnipotentem, & tamen constare ait ad necessitatem sacramenti fidem siue suam, siue gestantium, ex parte baptizandi necessariam minime fore.

Caietani responsiones, ad rõnes. D. Thõ. date, asseruntur simul et impugnãtur

Huic respondetur, & dicitur rationem. D. Thom. esse cogentem, & obiectionem suam, illi nil penitus officere, quinimò ab ipsomet. D. Thom. dist. vj. iij. q. j. art. iij. quæstiuncula. j. ad tertium esse solutam. Sic enim ait, ad tertium dicendum, quòd sacramentum baptismi, in anima recipitur quantum ad caracterem, anima autem non potest subijci inuita, & ideo voluntas, seu intentio facit ad hoc quòd homo se sacramento subijciat, sed fides facit ad hoc quòd debito modo se subijciat. Vnde fides requiritur tantum ad perceptionem rei sacramenti, sed intentio ad perceptionem sacramenti simpliciter. Ex hac responsione liquet, & fidem necessariam esse, & intentionem, atqui non eodem modo, nec eadem ratione, neque eodem necessitatis gradu, & respectu eiusdem, quoniam intentio respectu susceptionis sacramenti simpliciter, & non ipsius rei, omnino simpliciterque necessaria est, fides autem solum necessaria asseritur, vt simul cum sacramento suscepto, res sacramenti, nempe gratia ipsa recipiatur. Et si Caietanus hoc. D. Thom. responsum vidisset, haud certe eiusdem rationem vti infirmam impugnasset.

Fides, & intentio, non eodẽ modo, nec eadem necessitate requiruntur ad baptismi susceptionẽ.

In secunda autem ratione inquit. D. Thom. principium petere, dum asserit baptizatum esse passum voluntarium.

Atqui nos id inficiamur, quoniam ratio ipsa demonstratiua est quandoquidem aliquem, baptisma suscipere, sit eundem nouam fidem, nouamque legem profiteri, quam libere quisque suscipere debet. Et confirmatur quia ipsa susceptio est actus humanus, qui sine voluntate ac intentione esse nequit.

Ad id quod ex Durando. D.Thom. sectante, afferetur, quo intentionem ipsam necessariam omnino fore probatur ad baptismi susceptionem, scilicet, quòd adultus simili modo se debet habere ad fidem,& fidei sacramentum. Et cum credere nequeat nisi volens, nec etiam baptisma suscipere poterit, nisi voluntate consentiat, Caietanus similitudinem negat, quia credere (inquit) in actione voluntaria consistit, baptizari autem est quoddam pati.

At manifeste fallitur, & male similitudinem inficiatur, quia quantum ad hoc optime tenet, quòd sicut credere, in voluntaria consistit actione, ita baptizari in voluntaria passione. Vtrunque enim horum voluntarium est, & propterea sicuti credere voluntatem exigit, ita & baptizari eandem amplectitur, quia ipsum baptizari, est fidem suscipere, quæ quidem fidei susceptio, voluntatem necessario exposcit.

Obiectio. Verum quorundam adhuc hac in re intellectus haudquaquam quietatur. Inquiunt enim totam efficaciam sacramenti baptismi esse ex parte ipsius sacramenti, nec requiri ex parte patientis, nisi capacitatem absque contrarietate. Idque probant, ex eo quod videmus de facto, paruulum omnem baptizatum non esse rebaptizandum.

Ad obiectionem, responsio. Ad hoc optime respondetur, verum quidem esse totam efficaciam & virtutem effectiuè agentem & operantem in sacramento baptismatis, esse ex parte ipsius sacramenti, & propterea non poni à præfatis Doctoribus intentionem in adultis concurrere ad ipsam baptismi susceptionem, vt causam efficientem, siue agentem, at solum vt causam sine qua non, veluti approximationem combustibilis ad ignem, causam esse dicimus combustionis, non quidem efficientem, ac producentem effectum, at causam sine qua non fieret ipsa combustio. Dum enim & quamdiù combustibile & ignis ab inuicem distant, nunquam combustio fiet, & posita debita eorum approxima

ximatione, illico combustio aderit. Itidem de intentione respectu adulti dicimus, quoniam per ipsam intentionem, patientis fit approximatio, non solum corporalis, at spiritualis ipsius baptizandi ad agens, quod sacramentum ipsum suppeditat, & econtra, & propterea non concurrit ad ipsius sacramenti susceptionem ipsa intentio, vt effectiue producens, vel comproducens hunc baptismi effectum, nempe characterem, quo quisque Christianus efficitur, sed solum (vti diximus,) vt causa sine qua non, id est, sine qua nunquam baptismi character imprimeretur. Ad probationem autem cum dicitur quòd pueri de facto baptizati, non sunt rebaptizandi, id quam libentissime conceditur, & cum fit consequentia igitur in adultis non requiritur intentio, neganda est, quia nunc solum de adultis, est sermo, non item de pueris. Quare probatio nulla, hæc de secundo.

Quo ad tertium Caietanus aduersus. D. Thom. sentit & tenet in adulto baptizando vel baptizato intentionem per se minime requiri, quia haudquaquam necesse est (inquit) adultum velle aut nolle baptizari, siue consensum, vel discensum habere, quoniam potest dari adultus neuter, id est, qui neutram amplectatur partem, vt si talis adultus dormiens baptizaretur. Et quia fortasse, eidem etiam videbatur, secundum veritatem antecedens impossibile, nempe quòd adultus neuter secundum voluntatem respectu baptismi admittatur, propterea inquit, quicquid sit de impossibilitate antecedentis, quæritur de veritate ipsius conditionalis, scilicet, an si adultus neuter secundum voluntatem, ad baptismum suscipiendum baptizaretur, esset vere baptizatus, & characterem susciperet, vel non. Et ipse quoad potest, totisque conatur viribus sustinere conditionalem hanc, veritate fulciri, scilicet, quòd si dormiens baptizaretur, vere susciperet baptismatis sacramentum, ex cuius sanè veritate, sequitur,

Secundū Caietanū, si dormiens baptizaret verum susciperet baptismā, Et ex hoc cōcludit, intentionem haud fore necessariam ad baptismi susceptionem.

secundum ipsum, intentionem, seu voluntatem per se loquendo, nequaquam necessario exigi, ad præfati sacramenti susceptionem, sed sat esse, in ipso non inueniri obicem voluntatis contrariæ. Et hoc quidem primo probat Innocentij tertij authoritate. De Bapt. & eius effectu, cap. Maiores. Nam ibi mota quæstione de suscipientibus caracterem, & relata quorundam opinione dicentium, caracterem etiam inuitis imprimi, hacque refutata, quo ad totaliter inuitos, in calce capituli, hæc verba subiungit. Tunc ergo caracterem, sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ, non inuenit obsistentem. Ex hisce verbis colligit, conclusionem suam, quam sustinere conatur esse determinatam ab Apostolica sede, vt vel sic terreat Doctores quosque oppositum docentes. Atqui quòd ab ipsa veritate aborreat, & doctissimi Pontificis in Decretali præfata, mentē non attigerit, & proinde male intulerit conclusionem suam ab Apostolica Sede fore determinatam, nunc nunc commostrandum est.

Ad fundamētum Caietani, pulcherrime respondetur.

In primis tamen illud penitus inficiandum est, scilicet, quòd adultus neuter, quoad susceptionem sacramenti dari valeat, Necesse quippe est adultum ratione vtentem, vel consentire in ipsam sacramenti susceptionem, vel ab eadem dissentire. Hæc enim duo contraria sunt, medium non admittentia. Si etenim ponitur consensus, dissensus abest, & econtra si dissensus adest, consensus abest. Et propterea Scotus inquit dist. iiij. q. ij. iiij. sent. quòd si adultus caret consensu, videtur quòd contemnat, quia oportet eum aliquam habere deuotionem, aut ipsum saltem interpretatiue contemnere. Et dist. v. q. j. itidem repetit addendo quòd si neuter daretur, non susciperet sacramentum. Eapropter si quispiam dormiens, vel in amentiam incidens, qui nunquam de baptismo excogitauit, vt illum, scilicet, reciperet, vel non reciperet, baptizaretur, talis secundum Caietanum,

Scoti doctrina, & optima, et Innocētij pontificis determinationi cōformis.

neuter

neuter censendus esset, cum contrariam voluntatem minime haberet, nec obicem poneret, & tamen secundum Innocentium vere baptizatus non esset, quod sua ex Decretali ostenditur. Nam ferè in calce sic ait. Dormientes autem & amentes si priusquam in amentiam incurrerent, aut dormirent, in contradictione persisterent, quia in eis contradictionis propositum intelligitur perdurare, si sic fuerint immersi, caracterem non susciperent sacramenti, secus autem si prius, charecumini extitissent, & habuissent propositum baptizandi. Vnde tales in necessitatis articulo, consueuit ecclesia, baptizare. Ex his enim vltimis verbis clare constat dormientem & amentem, nequaquam baptisma susciperе, nisi prius vterque propositum, seu voluntatem habuerit baptizandi. Qua ex re fit vt si daretur adultus neuter, qui nec consentiret, nec dissentiret, baptismi sacramentum minime reciperet, vt optime Scotus asseruit. Exigitur itaque necessario intentio, siue voluntas; Et cum inquit vlterius & probat conclusionem suam sustinentem intentionem non requiri esse determinatam ab Apostolica sede, capite citato, id penitus inficiamur, & cum probat quia secundum Innocentij tertij authoritatem sufficit non ponere obicem voluntatis contrariæ. Id sanè vti verissimum admittimus, igitur inquit Caietanus, haudquaquam intentio requiritur. Hæc consequentia merito negatur, quia non ponere obicem voluntatis contrariæ, est voluntatem habere præcedentem affirmatiuam, & assensum actualem, vel virtualem; Remotio enim obicis voluntatis contrariæ, per affirmatiuam fit voluntatem. Et vt istiusce suæ conclusionis falsitas, & erronea sua textus interpretatio magis eluceat ipsiusmet authoritate probatur. j. ij. q. cxiij. art. iij. vbi sic ait. Quòd iustificatio impij per susceptionem sacramenti fieri nequit, nisi per actum liberi arbitrij actualiter tendentis in Deum iustificato

Caietan. ex c. i.

ar. 3. habetur oppositum eius quod supra dixit

stificatorem. Igitur ex suis his verbis, in iustificatione impij adulti per baptismum effecta, necessario requiritur actus liberi arbitrij, actualiter vel saltem virtualiter tendentis in Deum. Igitur actualis intentio secundum ipsum, vel saltem virtualis, necessario exigitur. Verum id clarius ex. D. Thom. habetur. q. & art. citatis, in responsione ad primum vbi de furiosis & amentibus sermonem habens apertissime ait, quòd si illorum quispiam vsum liberi arbitrij habuit, & postmodum eo careat, vel per infirmitatem, vel per somnum, non consequitur gratiam iustificantem per baptismum exterius adhibitum, aut per aliquod aliud sacramentum, nisi prius habuerit sacramentum in proposito, quod sine vsu liberi arbitrij non contingit, & hoc modo amicus. D. Augustini, de quo dicit ipse. iiij. confessionum, quòd diu iacens sine sensu, in sudore lætali, dum desperaretur, baptizatus est nesciens, & renatus est, quia scilicet, prius & postea, baptismum acceptauit. His itaque sic discussis, & enucleatis secundam ejus adduco rationem, nempe talem.

Secunda Caietani ratio ad sua opinionis cõfirmationem.

Quod non est de necessitate sacramenti, in vno recipiente baptismum, non est de necessitate sacramenti, per se loquendo, in alio, atqui in paruulis voluntas etiam interpretatiua non est de necessitate sacramenti, igitur nec in adultis, igitur in nullo baptizando, per se loquendo, requiritur consensus suscipiendi baptisma.

Ad rationem hanc dicitur primo quòd si efficax esset, eadem ratione aduersus ipsum inuerti posset, affirmatiue argumentando, quemadmodum arguit Durandus, &c. Quicquid est de necessitate sacramenti in vno, est de necessitate sacramenti in omnibus, at voluntas suscipiendi baptismum, est de necessitate sacramenti in adultis, ergo etiam est de necessitate sacramenti in paruulis. Et quia ipse tenet conclusionem hanc esse falsam, ex alterius saltem falsita

te

te præmissæ, ob id similiter dicimus conclusionem suæ rationis negatiuam falsam penitus esse, ex falsitate maioris, quam tamen ipse non probat. Eo enim maior ipsa assumpta falsa asseritur, quoniam cum paruuli careant rationis vsu, carent & intentione ac voluntate, & propterea nec intentio ipsorum, nec propria, nec gestantium, siue offerentium, necessario requiritur, vti infra probabitur. In adultis autem ratione & liberi arbitrij vsu vtentibus, & intentionem ac voluntatem habentibus, necessario exigitur quandoquidem sacramenti susceptio sit actus humanus, & proinde voluntarius, & nouæ professionis assumptio, intentionem necessario complicans. Exigitur inquam in adultis intentio, per se & necessario, non quidem vt de essentia vt inquit Dominicus Soto. iiij. dist. v. q. vnica, art. vij. ar vt causa sine qua non, vti supradiximus. Est autem hic animaduertendum quòd licet Caietanus. iij. par. vbi supra in calce sui commenti admittat de facto non inueniri adultum neutrum, sed ipsum semper habere velle, aut nolle, respectu baptismi implicite, vel explicite, & hoc modo velit verificari dictum. D. Thom. in responsione ad secundum quo aiebat, quòd si in adulto deesset intentio suscipiendi sacramentum, esset rebaptizandus, quia defectus intentionis, contrariam haberet annexam intentionem, de possibili tamen, negaret non posse dari. Sed quod hoc sit falsum, iam supra probatum est, & rursus comprobatur, authoritate Concilij Carthaginiensis. iiij. cap. xxxiiij. & habetur. De consecr. dist. iiij. cap. Egrotantes. vbi dicitur. Egrotantes si pro se respondere non possunt, cum voluntas eorum, testimonium sui dixerit baptizentur. Constat enim ex his verbis voluntatem in ægrotantibus omnino requiri ad baptismatis susceptionem, quoniam si non necessario requireretur, & esset admittendus adultus neuter, non dixisset Concilium, cum voluntas

Reprobat Caietani responsio.

eorum

eorum testimonium sui dixerit, baptizentur, sed illo in casu dicere suffeciſſet baptizantur, quia secundum Caietanum non existente voluntate baptizati forent, quod tamen Concilium ipsum expresse negat. Et hæc de tertio.

Conclusio negatiua

Quo ad quartum ponitur hæc negatiua conclucluſio, scilicet.

In paruulis baptizandis ad hoc vt verum suscipiant baptiſma, non requiritur intentio, vel propria, vel interpretatiua, quæ parentum est proprio-rum, sed suffi cit intentio miniſtrorum Eccleſię, ipſos baptizantium.

Præfata conclusio, multiplici. D. Th. auctoritate, probatur.

Concluſio hæc primo probatur auctoritate. D. Thom. iiij. dist. vj. q. j. art. ij. quæstiuncula. iij. vbi post quam ostendit in adultis vsum rationis habentibus, neceſſariam esse contritionem, & deuotionem, ad percipiendam rem sacramenti, & intentionem vel voluntatem ad recipiendum sacramentum, subdit. In pueris autem absque vtroque percipitur & sacramentum, & res sacramenti. Et in responſione ad secundum ait. In pueris non potest esse contraria voluntas, neque actu, neque habitu, & ideo non requiritur voluntas, vel intentio in eis, qua remoueatur prohibens. Et hæc eadem concluſio confirmatur eiuſdem. D. Thom. auctoritate. iij. q. lxviij. art. x. vbi tenet, pueros Iudæorum, aliorumue infidelium, ſi inuitis parentibus baptizarentur esse baptizatos. Sic enim ait aduersus eos, qui tales infidelium pueros, inuitis parentibus baptizare contendunt. Esset nanque periculoſum, tales infidelium filios baptizare, quia de facili ad infidelitatem redirent, propter naturalem affectum ad parentes. Ex his etenim verbis perſpicuum euadit. D. Thom. ſupponere infidelium filios, ſi eiſdem, inuitis parentibus, baptiſma conferatur, esse vere baptizatos, quia niſi vere baptizati forent, non assereret. D. Thom. periculoſum esse ipſos ad infidelitatem redire.

Reditus

Reditus enim ad infidelitatem ſupponit eoſdem quandoque fideles extitiſſe, quam quidem fidelitatem, nonniſi per baptiſma eiſdem collatum ſuſcipere poſſunt. Hinc optime deducitur, quòd quia iſti pueri vere baptizati ſunt, nec intentionem, ſeu voluntatem propriam habuerunt, cum in tali ſuſceptione vſu rationis caruerint, nec interpretatiuam, quia parentes ſemper renuerunt, à quorum conſenſu, ſeu voluntate dependet interpretatiua voluntas, perpulchre ſequitur, in pueris quibuſcunque voluntatem, nec propriam, nec interpretatiuam exigi ad baptiſmatis ſuſceptionem.

Hinc patet falſitas opinionis Durandi aſtruentis in ipſis paruulis, requiri ad ſuſceptionem baptiſmatis, intentionem interpretatiuam, cuius falſitas clarescit ex. D. Thom. dicto. j. ij. q. cxiij. art. iij. ad primum inquientis, quòd quia pueri non ſunt capaces motus liberi arbitrij, ideo mouentur à Deo, ad iuſtitiam, per ſolam informationem animæ ipſorum, hoc autem non fit ſine ſacramento. Et rationem reddens ſubdit, quia ſicut peccatum originale, à quo iuſtificatur, non propria voluntate ad eos peruenit, ſed per carnalem originem, ita etiam per ſpiritualem regenerationem, à Chriſto in eos gratia deriuatur. Et eandem dicit eſſe rationem de furioſis & amentibus, qui nunquam vſum liberi arbitrij habuerunt; Accedit ad hæc Innocentij iij. auctoritas, inquientis, vt habetur. De baptiſ. & eius effec. c. Maiores. q. quia originale peccatum, ſine conſenſu contrahitur, etiam ſine conſenſu per vim remittitur ſacramenti. hæc ibi. Cum itaque pueri ſolum originale peccatum ex parentibus, ſuo ſine conſenſu, contraxerint, etiam ſine ſuo conſenſu, per virtutem, ac efficaciam ſacramenti baptiſmatis, per quod illis gratia infunditur, pulcherrime remittitur, & ab illo mundantur & iuſtificantur. Amplius præfatam concluſionem, illud maxime probat, quia ſi quis ſacerdos

Reprobatur Durãdi opinio, tenẽtis in ſuſceptione baptiſmatis paruulorum, requiri, eorum voluntatem interpretatiuam.

Durandi opinio falſa conuincitur, ex Innocẽtij. iij. Pontifi. ex, auctoritate.

sacerdos priuatim & nemine præsente puerum baptizaret, vere baptizatus esset, & pariter, si mulier, vel laicus quispiam, puerum, in mortis articulo baptizaret, nulla interueniente solemnitate, verissime esset baptizatus. Cum enim adest materia ipsius baptismatis, & forma à ministro prolata, cum intentione baptizandi, nil aliud requiritur, quod de eius sit essentia, & propterea, verissimum est baptisma, & per ipsum, virtute operis, veluti per Dei instrumentum, baptizato gratia condonatur, secus de adultis dicendum est, quia vltra hæc prædicta, vti iam diximus, necessario requiritur intentio propria, siue voluntas, non tamen, vt ad sacramẽti essentiam spectans, sed vt causa remouens prohibens, seu vt causa sine qua non, vti supra quamoptime dilucidatum est. Huic nostræ conclusioni assentit Scotus, iiij. dist. iiij. quæst. ij.

Præposite conclusioni, assentit, Scot⁹. Durandi argumẽta duo, aduersus cõclusionẽ, & primũ cui & respõditur.

Verum aduersus conclusionem hanc argumentatur primo argumento Durandi, iiij. dist. iiij. q. vij. Quia quicquid est de necessitate sacramenti in vno, est de necessitate sacramenti in omnibus, sed intentio siue voluntas suscipiendi baptisma, est de necessitate sacramenti in adultis, ergo est de necessitate sacramenti in paruulis, non quidem propria vt in adultis, at interpretatiua.

Ad hoc neganda est maior propositio, quia stat aliquid esse omnino necessarium in adultis, quod nullatenus erit necessarium in paruulis, etiam proportionaliter, vti superius ostensum est, de baptizãte paruulum infidelium, inuitis parentibus, à quibus paruulus habere dicitur intentionem interpretatiuam, cum enim ipsis inuitis, baptizatur, nulla penitus adest ipsorum intentio at repugnantia.

Argumentum secũdum.

Item secundo arguitur, ex dictis. D. Augustini à. D. Thom. iij. q. lxviij. art. ix. citatis in responsionibus argumentorũ, quę & notanť. De consec. dist. iiij. cap. In Ecclesia. &. cap. Paruuli. &. cap. Mater Ecclesia.

cleſia. Nam his in locis aſſeritur paruulos baptizatos, rectè fideles vocitari, quoniam fidem per verba geſtantium quodammodo profitentur, & penitentes haberi, cum per eorundem verba geſtantium, diabolo & huic ſeculo, abrenunciare monſtrantur, & intendentes etiam dici, non quidem per actum, propriæ intentionis, cum ipſi quandoque renitantur & plorent, ſed per actum eorum, à quibus offeruntur. Ex his itaque verbis, clare videtur haberi, & fidem, & intentionem geſtantium, & offerentium, neceſſario requiri, ad hoc vt paruuli baptizandi, verum ſuſcipiant baptiſmatis ſacramentum. Verum iſthæc, præfatæ concluſioni, nihil officiunt, quoniam cum dicitur paruulorum, & credere & penitere, ac etiam intendere ex fide & intentione geſtantium, ipſorumque abrenunciatione, reſpondetur hoc quidem verum eſſe ex ritu ſolemnitateque Eccleſiæ, at & hæc de neceſſitate requirantur, ita vt ſine talium geſtantium & offerentium fide, ac intentione, non ſuſcipiant paruuli verum baptiſma, falſum penitus extat, quoniam ſufficit ad talem ſuſceptionem ſolum Eccleſiæ intentio, quæ in baptizante reperitur. Dum enim baptizans paruulos baptizare intendit, & ſacramentum conferre, prout Chriſtus inſtituit, baptizari dicuntur ex intentione Eccleſiæ, abſque alia geſtantium, & offerentium intentione. Quod optime declarat. D. Thom. iij. q. lxvj. art. x. dum inquit. In ſacramento baptiſmi aliquid agitur, quod eſt de neceſſitate ſacramenti, & aliquid quod ad quandam eius ſpectat ſolemnitatem. De neceſſitate (inquit) ſacramenti eſt forma, quæ deſignat principalem ſacramenti cauſam, & miniſter, qui eſt inſtrumentalis cauſa, & materiæ vſus, ſcilicet, ablutio aquæ, quæ deſignat principalem ſacramenti effectum. Cætera vero omnia (ſubinculcat) quæ in ritu baptizandi obſeruat Eccleſia, ad quandam ſacramenti ſpectant ſolemnitatem. Talia autem

Ad ſecundum argumentum.

autem omnia (inquit) in responsione ad quartum etsi non sint de necessitate sacramenti, non sunt tamen superflua, quia sunt ad bene esse sacramenti, vt dictum est. Itaque conclusio ipsa clarissima euadit.

Et hæc de quæstione hac dicta sufficiant.

Quæstio. De reali vera Christi existentia in sacratissimo Eucharistię sacramento.



VAERITVR. An Christus, vere realiterque & non vt in signo, existat in sanctissimo altaris sacramento, seu sacratissima Eucharistia. Quæstio hæc à sacris tractatur doctoribus. x. dist. iiij. sent. & presertim à. D. Th. loco citato. q. j. art. j. & iij. q. lxxv. art. j. & iiij. Contra Gent. cap. lxiij. Et circa hanc sic procedemus, vt primo hæreticorum opinionem falsissimam & à sacris concilijs damnatam & anathematizatam ponamus, Deinde subijciemus. conclusionem Catholicam, quam, tum sacris ex literis, tum ex sacris concilijs, tum denique ex sacris doctoribus, declarabimus simul & corroborabimus. Postremo difficultates emergentes circa hanc ipsam, perpulchre dissoluemus.

Dicendorũ series.

Quo ad primum sciendum est, Berengarium Gallum, ecclesiæ sancti Mauritij Andegauensis, diaconum, tenuisse in præfato altaris, seu Eucharistiæ sanctissimo sacramento, non esse verum realeque Christi corpus, at solum in eodem existere vt in signo vel figura. Quæ quidem opinio, in Concilio Vercellensi, à Ieone. ix. summo Pontifice, & à Concilio Turronensi, à Victore. ij. Pontifice qui Ieoni successit, congregatis, veluti hæretica, damnata est. Et tandem à Nicolao. ij. qui Victori præfato in Pontificatu successit, congregatum est Romę concilium. cxiij. episcoporum, in quo Berengarius antedictus, palinodiam cecinit, vt clare habetur. De Consecr.

Qui hæretici negauerint, veram realẽq; Christi existẽtiã in Eucharistiæ sacramento.

dist. ij. c. Ego Berengarius. Hanc eandem opinionem erroneam & hæreticam amplexatus est, Ioannes Vuicleff. vt patet ex eius articulo tertio vna cum alijs condemnato à Concilio Constantiensi. Sessione. viij. in quo ait. Christus non est in eodem sacramento idemptice & realiter propria præsentia corporali. Hanc & secuti sunt, Ioannes Vss. & Hieronymus de Praga. & propterea ab eodem concilio ambo vt hæretici condemnati. Huncmet errorem nostris temporibus repullulare iussit. Oecolampadius, inquiens, in hisce verbis à Christo prolatis. Hoc est corpus meum. Christum, tropo & figura vsum fuisse, eo modo quo vsus est Paulus, j. Cor. x. dum dixit. Petra autem erat Christus. Atqui aduersus erroneum hûc Oecolampadij sensum ac interpretationem, est. D. Damasceni expressa auctoritas. libro iiij. De fide Orthodoxa. cap. xiiij. vbi ait. Non est typus, panis & vinum, corporis & sanguinis Christi, sed est corpus domini deificatum, ipso dicente. Hoc meum est, non typus corporis, sed corpus, non typus sanguinis, sed sanguis. Hæc ille. Et Theophylactus Matth. xxvj. inquit. Porrò dicens. Hoc est corpus meum, ostendit quòd ipsum corpus domini, est panis, qui sanctificatur in altario, & non respondens figura; Non enim dixit hoc est figura, sed hoc est corpus meum. Inneffabili enim operatione transformatur, etiam si nobis panis esse videatur. Quoniam infirmi sumus, & abhorremus crudas carnes comedere, maxime hominis carnem, & ideo panis quidem apparet, sed caro est. Hæc ille. Non enim Christus veritatem sui corporis ibi esse, expressius insinuare voluisset, quàm dicendo. Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, quandoquidem non in figura, at in veritate, in ara crucis, offerendum traditum sit corpus Christi. Nec quippiam est, quod verba Christi, ad tropũ figuramque cogat, dum ait. Accipite & comedite. Hoc

Aduersus Oecolampadij hæretici interpretationem Christi verbis data, est expressa. B. Damasceni, & Theophylacti expositio.

Hoc est corpus meum, quemadmodum in obiectis reperitur verbis. Quod optime Theophylactus, his verbis declarat. Nequaquam lapidis ipsius naturam potum hunc, præstitisse, qui etsi alias scaturisse, conceditur, spiritalis tamen alius lapis, id omne operabatur, id est Christus. Consequenti autem eo dixit, vt ostenderet; Christum eundem hunc illis vbique affuisse, & miracula huiusmodi factitasse omnia. Et Ioannes Chrisostomus itidem ostendit, dicens. Nō enim ex ipsius petrę natura aqua, inquit scaturiebat, siquidem etiam ante scaturisset, sed alia quædam spiritalis petra omnia operata est, hoc est Christus, q̄ præsens vbique omnia fecit miracula, ideo dixit, cō sequenti. Hæc ipse Chrisostomus. Hac reiecta falsissima hæreticorum opinione, hac conclusione, ponitur catholica veritas.

Conclusio affirmatiua, atque catholica, quæ Christo saluatoris nostri authoritate probatur.

Christus, vere ac realiter secundum substantiam quam traxit è virgine, qui & passus est, ac resurrexit, in cęlumque ascendit, est sub sacramento altaris, seu sacratissime Eucharistiæ.

Probatur autem hæc ipsa conclusio irrefragabili ipsius Christi dicto, irrefragabilem veritatem continente, quod habetur Matth. xxvj Marci. xiiij. & Luc. xxij. & etiam ab Apostolo. j Cor. xj. videlicet. Hoc est corpus meum. Ad cuius claritudinem, annotandum est, hunc Christi sermonem proprijssimum esse, non Metaphoricum vt garriunt hęretici, qui non solum est veritatis enunciatiuus, & significatiuus atqui eiusdem enunciate significatęque veritatis, factiuus, ac operatiuus. Est enim hic Christi veri dei, sermo omnipotens, quo sicut è nihilo condidit vniuersa, ita & substantiam panis, in verissimum corpus suum conuertit, atque transmutat. Eapropter inquiebat. D. Ambros. Lib. De sacramentis. Vbi autem sacrificium conficitur, iam non suis sermonibus sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi ergo sermone Christi hoc sacramentum conficitur. Quis ser- *To. 4. c. 4.*

D. Ambro sius, Christi domini nostri, verba pulcherrime declarat.

mo Christi? Hic quo facta sunt omnia. Iussit dominus & facta sunt cœlum, & terra, & mare; Vides ergo quomodo operatorius sit sermo Christi? Si ergo tanta vis est in sermone Christi domini nostri, vt inciperet esse quod non erat, quanto magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur? Et sic quod erat panis ante consecrationem, iam corpus Christi est post consecrationem, quia sermo Christi creaturam mutat, & sic ex pane fit corpus Christi, & vinum cum aqua in calice mixtum fit sanguis consecratione verbi cœlestis. Et infra subdit. Inde verba sunt Christi. Accipite & bibite ex hoc omnes. Hic est sanguis meus. Vide singula. Qui pridie quàm pateretur accipit (inquit) in sanctis manibus panem, antequam consecraretur, panis est, vbi autem verba Christi accesserunt, corpus Christi est. Deinde audi dicentem, accipite & edite ex hoc omnes. Hoc est enim corpus meum, & ante verba Christi, calix est vini & aquę plenus, vbi verba Christi operata fuerunt, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit, ergo vide quàm potens est sermo Christi, vniuersa conuertere. Et recitantur hæc verba. De Consecr. dist. ij. c. Panis est.

Annotandum quoque est iuxta doctrinam. D. Thom. iij. q. lxxviij. art. v. in cor. quòd istud pronomen hoc, cum sit demonstratiuum significat substantiam in communi, sine qualitate, id est sine forma determinata. Et in responsio ad primum inquit, hæc dictio hoc, demonstrat substantiam, sed absque determinatione proprię naturæ, Rursus ad secundum argumentum ait. Hoc pronomen hoc, non demonstrat ipsa accidentia, sed substantiam sub accidentibus contentam, quæ primo fuit panis, & postea corpus Christi, Quod licet non informetur, his accidentibus, tamen sub eis continetur. Hinc non possum non admodum admirari de Ambrosio Catharino Polito, qui ait in annotationibus in commentaria

Caietani,

Caietani, se nunquam potuisse intelligere id quod ait ipse Caietanus circa illa verba. Hoc est corpus meum, cum tamen sua expositio, ac interpretatio, sit eadem cum. D. Th. interpretatione iam dicta. Inquit enim Caietanus. Demonstratur autem per pronomen hoc, non panis, nec corpus Christi, sed substantia, sine qualitate, id est non demonstrando certe speciei naturam, cum pronominis officium sit demonstrare substantiam, sine qualitate. Et subdit. Est itaque proprijssimus sensus, & verissimus, hoc id est hęc substantia demonstrãdo id quod habebat, in manibus. Hæc ille. & conformiter interpretationi. D. Thom. vt patet. Et cum Catharinus ipse percunctatur an hæc indiuidua substantia demonstret panem, vel corpus Christi, aut aliquid aliud, iã patet ex dictis responsio, quòd demonstrat non quidem panem, nec corpus Christi, quoniam vtraque enunciatio falsa esset, at demonstrat substantiam, absque determinatione alicuius propriè, & specificę naturæ, & tantundem est dicere, ac si diceretur, hoc, id est contentum sub his accidentibus, quæ oculis videntur, est corpus meum. Postremo cum subditur, est, accipitur hoc verbum substantiuum, in suo proprio significato, quia non dicit, apparet, aut significat, sed vere est, non corpus panis, atqui corpus meũ. Falsum etenim est dicere, hic panis est corpus meũ, falsum quoque esset, dicere, hoc, scilicet corpus meũ, est corpus meum, quandoquidem id efficientiæ repugnet, quam tñ dubio procul his verbis adesse fatemur. Nam in vltimo instanti prolationis horum verborũ ex ore Christi, scilicet, hoc est corpus meũ, facta fuit, vera mutatio, vera conuersio, veraque trã substantiatio panis, quem in suis sanctis manibus, tenebat, in verissimum corpus suum, quoniam vltimum instans prolationis prædictorum verborum, est primum instans, in quo, est in sacramento, corpus Christi, in toto autem tempore præcedenti fuit ibi

Ambrosij Catharinus, fatetur se nũquã intelexisse id quod ait Caietan⁹ circa expositionẽ illorũ verborũ Christi. Hoc est corpus meũ, quæ tamen expositio ẽ. D. Thom. Interrogationi Catharini respõdetur. Quod hoc verbum ẽ ī proprio accipiatur significato, declaratur.

substantia panis. Non enim tunc fuit dare vltimum instans in quo fuit panis substantia, ac primum instans in quo fuit corpus ipsius Christi. Itidem omnino euenit cum sacerdotes hęc eadem verba proferūt, quoniam in persona ipsius Christi domini nostri, hæc ipsa proferunt; Et hæc pulcherrime docet. D. Th. iij. q. lxxv. art. vij. ad primum.

Caietan⁹ à veritate recedit, in sequentibus dictis suis, vt facile ostēdetur.

Ex his modo dictis pariterque dicendis mihi videtur saluo semper saniori iudicio Reuer. Caietanum, in nonnullis assertis suis. iij. q. supra citata, art. j. ab ipsa veritate recedere. Inquit enim. Sciendum esse ex auctoritate sacræ scripturæ, de existentia corporis Christi in sacramento Eucharistiæ, nil aliud expresse haberi, nisi verbum Saluatoris, dicentis. Hoc est corpus meum. Quæ quidem verba possunt & Metaphoricæ exponi, & proprie, Metaphoricæ quidem vt ab hæreticis interpretantur & exponuntur, & proprie, vt ab ecclesia exponuntur, & intelliguntur. Et subdit dico autem ab ecclesia, quoniam non apparet ex euangelio coactiuum aliquod ad intelligendum hæc verba proprie. Ex subiunctis siquidem verbis à Luca quod pro vobis tradetur, in remissionē peccatorum, non potest concludi verba hæc esse proprie intelligenda. Et in hoc Durandi positionem notat, ac reprehendit, qui, vt patet ex dist. x. iiij. q. j. vult ex præfatis verbis sequentibus, haberi, hæc Christi verba, esse proprie intelligenda, vt ibidem videre licet; Et hoc quidem asserit ex D. Augustini regula, in lib. lxxxiij. quæstionum, vbi ait, Circunstantia scripturę, scripturam exponit, an dicta in ea, accipi debeant proprie an figuratiue. Quòd autem ex talibus verbis ab ipso Luca subiunctis, non cogatur quis ad intelligendum hæc verba proprie, probat, quia (inquit) ly qđ, non refert coniunctionem prædicati cum subiecto, sed tantum refert prædicatum, scilicet corpus meum; Cum cuius relationis veritate, stat præiacentem solum esse veram in sensu Metaphorico, sicuti stat in

hoc

hoc dicto. Petra autem erat Christus. j. Cor. x. Si enim adiunxisset Apostolus, qui crucifixus est, resurrexit, & ascendit ad cœlos, nihilominus præiacens illa propositio, Petra autem erat Christus non proprie, sed Metaphorice intelligenda esset. Similiter in proposito subinculcat Caietanus. Verba domini, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur, non arctatur propositio, ad sensum proprium, sed esset etiam vera, si in solo Metaphorico sensu, esset prolata. Et propterea dixi, ex verbis domini proprie intellect s ab ecclesia, excludi errorem, dicentium corpus Christi, Metaphorice seu significatiue tantum esse in Eucharistia. Hæc ille.

Doctrina hæc Caietani veritatem haberet, si Christi verba præfata ambigua forent in quo sensu, scilicet, essent intelligenda, quoniam ad ecclesiam duntaxat spectat determinare, quæ sit propria verborum sacræ scripturæ significantia, & quis eorundem germanus ac verus sensus, sit, si autem, sacræ scripturæ, verba, sint clara, non dubia, nec vllam quoquo modo præseferentia Metaphoram, (vt præfata Christi verba,) non indigent ecclesiæ declaratione & ejusdem intelligentia, quinimò ecclesia ipsa ex claris scripturæ verbis, suam & veram trahit intelligentiam & determinationem, vt nunc nunc ex ipsomet Caietano probabimus. Hic enim posteaquam pulcherrime declarauit hæc Christi verba. Hoc est corpus meum. Matth. xxvj. & in postremis dixit, & verum est quòd hæc substantia, (non hoc accidens) est corpus meum, & verum est, quod sit, quòd hæc substantia est corpus meum, hoc est enim quod sit per hunc sermonem, hæc præcise, verba subdit. Vnde apparet non esse ab ecclesia adinuentã transubstãtiationem panis in corpus Christi, sed ecclesia, à veritate, per hæc domini verba proprie significata, cogitur ad confitendum efficientiam. Non enim aliter verificatur nunc & non prius, hoc est corpus meum,

Hæc Caietani dicta reprobantur, & ex eiusdẽ sententia

nisi quia nunc & non prius factum est, vt hoc sit corpus meum; Ex vtroque autem, scilicet veritate significata & effecta, cogitur ad confitendum transubstantiationem panis, in corpus Christi, neque enim aliter fieri potuit quòd hæc substantia, sit corpus Christi, quàm per transubstantiationem. Nam si transubstantiatio non interuenit, non verificatur quòd hoc demonstratum, quando Christus profert pronomen, hoc, id est illamet substantia, quam pronomen demonstrat in sui prolatione, sit corpus Christi, sed illa substantia quæ tunc demonstratur, si qualis est tunc, remanet in fine consecrationis, non est corpus Christi, sed est panis, si annihilatur, nec est panis, nec corpus Christi, sed est nihil. Omnes itaque hæreses, excludunt hæc verba, hoc est corpus meum, secundum proprietatem sermonis intellecta. At si verbis proprijs, si proprietate sermonis, non habet veritas fidei, ruit tota fides trinitatis, ruit vniuersa certitudo scripturæ. Hæc ille. Nonne ex his suis verbis conuincitur ex Euangelio, coactiuum prorsus aliquod esse, ad intelligendum hæc verba proprie? Vtique. Et si adest, nonne sibijpsi contradicit, & destruit quod in tertia parte astruxit? Hæc autem cum vera sint, & omnino tenenda, falsum est quod asseruit vbi supra. iij. par. Satius igitur fuisset si illa saluatoris verba, ita ibi, sicuti hoc in loco super Matthæum interpretatus fuisset, quoniam hæc est verissima interpretatio. At ne quispiam dicere audeat, ea quæ dixit tertia parte, vera esse, hæc autem falsa, audiamus, quid ipsemet clarissime dicat, in Opusculis suis, Tomo. iij. cap. vij. in instructione nunc ij circa errores libelli de cena domini. Sic enim ibi inquit. Queratur ab istis, quibus verbis, debuisset vti Apostolus, ad significandũ verũ Christi corpus, si hęc non sufficiunt, quibus verbis Christus vti debuit, si illa non sufficiunt. Hoc est corpus meum? Confunde demum istos, quærendo ab eis, si hæc Christi

sti & Pauli verba, non sat sunt, ad docendum verum Christi corpus esse in sacramento Eucharistiæ, dicite quæso vos, quibus verbis, vtendum erat, vt exprimeretur verum Christi corpus esse in hoc sacramento? Si hæc Christi verba (hoc est corpus meum) proprie imò proprijssime significantia substantiam demonstratam sub accidentibus panis, esse corpus Christi, non sufficiunt, si locutio secundum proprietatem sermonis, non sufficit, nullus sermo sufficeret. Si Metaphoricus fuisset sermo, varius esset sensus, si circumlocutione vsus fuisset, minor inueniretur certitudo, minor inueniretur veritatis explicatio; Omnis enim sensus alius à proprio, minor est proprie. Dicite quæso quibus verbis Apostolus Paulus manducationem sacramentalem veri Christi corporis, debebat explicare, si dicendo, qui manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus domini, explicando reus erit corporis & sanguinis domini, non explicauit? Hæc enim tam clare significant, vt clarius explicari nequeat, reus inquit erit corporis & sanguinis, non signi corporis & sanguinis. Hæc ipse Caietanus. Quibus ex verbis clarissime constat, & ex Euangelio, & ex Apostolo Paulo esse apertissimum dictum coactiuum, ad intelligendum hæc Christi verba proprie, scilicet hoc est corpus meum. Quare, iij. par. falsum asserunt, docens oppositum.

Verba Caietani, oppositū exprimētia eius qđ. 3. p. q. supra citata.

Falsum quoque est illud quod subdit, videlicet, quòd ex subiunctis à domino verbis, his scilicet, quod pro vobis tradetur in remissionem peccatorum, non posse concludi euidenter prædicta verba esse intelligenda proprie, falsum inquam est, ex ipsiusmet expositione quæ habetur Luc. xxij. super his verbis. Inquit enim. Quod pro vobis datur. Ne intelligerent mysticum aut Metaphoricum corpus, sed verum ac naturale, explicat dicendo, quod pro vobis datur, ipsummet corpus est, quod datur mor-

Aliud Caietani dictum, veluti falsum, reprobatur, ex sua ex positione. Luc. 22.

ti

ti crucis; Et non dicit dabitur, sed datur, quia iam inceptum erat dari, iam venditus erat, pro vobis, non pro mea culpa, sed pro vestri redemptione. Quod autem subiungit, ly quod, non refert coniunctionem prædicati cum subiecto, dicimus quòd refert verum Christi corpus effectum per ipsam præiacentem propositionem, quandoquidem propositio ipsa à Christo prolata, sit operatiua, & conuersiua, atque transmutatiua substantiæ panis, in verum ipsius Christi corpus, ita quòd ly quod, refert prædicatum quidem, scilicet corpus meum, atqui effectum, vti diximus, per conuersionem & transmutationem panis, in ipsum, & sic falsum assumit, vt iam patet suis ex clarissimis dictis antea citatis. An vero cum præiacente vera solum in sensu Metaphorica possit sequi aliquid verum, sicuti si in hac, Petra autem erat Christus addatur & subdatur qui crucifixus est & resurrexit ac in cœlum ascendit, nec ne, nihil ad rem, cum iam probauerimus ex ipsius sententia, hæc Christi verba, Hoc est corpus meum esse proprie intelligenda, & id quod à Luca additum & subiunctum est, scilicet quod pro vobis tradatur in remissionem peccatorum euidenter probare ac concludere talia præmissa Christi verba esse proprie intelligenda. Probatur & supradicta conclusio ex sacris Concilijs; Et primo quidem ex concilio Lateranensi sub Innocentio. iij. celebrato, vbi dicitur, vt habetur. De Summ. Trin. & fid. Cath. cap. Firmiter. Vna vero est fidelium vniuersalis ecclesia extra quã nullus omnino saluatur, in qua idem ipse sacerdos est sacrificium, Iesus Christus cuius corpus & sanguis in sacramento altaris, sub speciebus panis & vini, veraciter continentur, transubstantiatis, pane in corpus, & vino, in sanguinem, potestate diuina. Idem habetur ab eodem Innoc. iij. De Celebrat. missa. cap. Cum Marthe. Concilium quoque Florentinum sub Eugenio. iiij. Pontifice maximo sic ait. Forma huius

Conclusio prædicta probatur, sacrorum concilio-rũ auctoritate.

Concilium Florentinum.

huius sacramenti, sont verba saluatoris, quibus hoc conficitur sacramentum. Sacerdos enim in persona Christi loquens, hoc conficit sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute, substantia panis, in corpus Christi, & substantia vini, in sanguinem conuertuntur, ita tamen quòd totus Christus continetur sub specie panis, & totus sub specie vini, sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ, & vini consecrati, separatione facta, totus est Christus. In Concilio demum Generali Tridentino, cano. j. Sess. xiij. sic legitur. Si quis negauerit in sanctissimæ Eucharistiæ sacramento, contineri, vere, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem vna cum anima, & diuinitate domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo, vt in signo vel figura, aut virtute, anathema sit. Beatus vero Cyprianus lib. ij. Epist. iij. inquit. Probat etiam veritatem corporis Christi in Eucharistia, sententia ipsius veritatis dicentis. Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi. Qui manducat hunc panem viuet in æternum; Idem ergo Christus qui de cœlo descendit & qui manducandus proponitur, non in figura, sed in veritate est testante saluatore ipso qui ait. Caro mea, vere est cibus & sanguis meus vere est potus. Eusebius Emissenus, vt habetur. De Consecr. dist. ij. cap. Quia corpus. §. Recedat, sic ait. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quoniam quidem qui auctor est muneris, ipse est etiam testis veritatis. Nam inuisibilis sacerdos, visibiles creaturas, in substantiam corporis & sanguinis sui verbo suo, secreta potestate conuertit, ita dicens, accipite & comedite, hoc est corpus meum, & sanctificatione repetita, accipite & bibite ait, hic est sanguis meus, ergo sicut ad nutum præcipientis domini, repente & ex nihilo, substiterunt excelsa cœlorum, profunda fluctuum, vasta terrarum, ita pari potestate, in spiritualibus sacramentis, vbi præcipit virtus,

Concilium Tridentinum.

Pluribus sanctorum doctorum auctoritatibus probatur præfata conclusio.

tus, seruit effectus, quanta itaque & quàm celebranda beneficia vis diuinæ benedictionis operetur, cum tibi nouum & impossibile esse non debeat, quod in Christi substantiam terrena & mortalia conuertuntur. His subscribit. D. Augustinus ser. xxviij. super Lucam, vbi ait. Cum de sacramentis tractarem, dixi vobis, quòd ante verba Christi, quod offertur, panis dicitur, vbi Christi verba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus appellatur. Huc accedit pulcherrimum illud Damasceni dictum. Libr. iiij. De fide Orthodoxa, cap. xiij. vbi sic ait. Corpus secundum veritatem coniunctum diuinitati, quod ex sancta virgine, corpus est, non quòd ipsum corpus assumptum ex cœlo descenderit, sed quod ipse panis & vinum transmutatur in corpus & sanguinem Christi. Huic & arridet quod Cyprianus in sermone de cena dictum ait. Panis (inquit) iste quem dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi, factus est caro. Ex his sanctorum doctorum auctoritatibus clarissime constat falsum penitus esse, quod Lutherus temere affirmat, transubstantiationem, ante trecentos annos, ecclesiæ fuisse ignotam. Ex his quoque sanctorum doctorum ac sacrorum conciliorum vniuersalium assertis & dictis liquet panem non remanere in sacramento sacratissime Eucharistiæ, vna cum corpore Christi, falsissimumque esse, vt vere dici possit. Hic panis est corpus Christi, & similiter hoc vinum est sanguis. Quis enim vel parum eruditus, non animaduertat ambo hæc dicta Lutheri, contradictionem implicare? Si enim panis existens panis est corpus Christi, cum panis semper panis remanear, innanimatus proculdubio erit, cumque sit Christi corpus, vt ipse asserit, & hoc corpus animatum sit, erit sanè panis hic, innanimatus, & animatus quod contradictionem implicat, nequit igitur dici quòd panis existens panis, sit verum Christi corpus.

Ex prædictis confutatur Lutherus.

Martinus Lutherus pugnãtia dicit.

pus. Rursus nequeunt duo individua, duarum desperatarum specierum de seinuicem prædicari, quare, cum panis, & corpus Christi, individua duo sint desperatarum specierum, nequibunt de seinuicem prædicari, prædicatione, scilicet vera, sicque falsissimum erit dicere, hic panis est corpus Christi.

Verum circa prædicta, oritur vna difficultas apparentiam habens. Quia dictum est substantiam panis, virtute, potestateque omnipotenti verborum Christi, horum, scilicet. Hoc est corpus meum, conuerti & transubstantiari in idipsum Christi corpus, tunc sequitur, quòd cum talis conuersio, & transubstantiatio solum terminetur ad ipsius Christi corpus, non item ad animam, nec ad diuinitatem, non erit totus Christus in hoc sacratissimo sacramento, at solum eius corpus, quod catholice fidei omnino repugnat. *Dubium.*

Huic difficultati, ac obiectioni, pulcherrime facit satis. D. Thom. iiij. dist. x. q. j. art. ij. quæstiuncula. j. & . iij. q. lxxvj. art. j. in cor & ad primum. Inquit enim necessarium penitus esse, vt secundum catholicam fidem, astruamus totum Christum, nempe quo ad corpus, & animam, ac diuinitatem contineri sub hoc sanctissimo Eucharistiæ sacramento. Verum animaduertendum esse ait. quòd aliquid esse in hoc sacramento, bifariam contingit, vel ex vi sacramēti, seu conuersionis, vel ex naturali concomitantia, Et ex vi quidem sacramenti, asserit sub speciebus tum panis, tum vini, esse solum substantiam corporis, & eius sanguinem, quoniam ad vtrunque istorum solum terminatur directe ipsa conuersio, effecta, per hæc Christi verba. Hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus. Quoniam constat ex hisce verbis directè solum fieri, vt substantia panis, in Christi corpus, conuertatur, & substantia vini, in eius sanguinem. Ex naturali vero concomitantia, est in hoc sacramento, anima, & diuinitas, & anima quidem, *Dubij solutio.* *In Eucharistiæ sacramēto, aliquid est se potest, ex vi sacramenti seu conuersionis, & aliquid ex naturali concomitantia.*

dem, quia cum post ipsius Christi resurrectionem, nunquam sit anima ab eius corpore separata atqui eidem semper coniuncta, eidemque esse viuificum, ac animatum dilargiens, hinc fit vt dum conuersio terminatur ad corpus non quidem mortuum, at viuens, concomitanter sit & in corpore, anima, ipsa, quæ ab ipso inseparabilis est, Diuinitas vero & ipsa concomitatur, quia cum nunquam fuerit à corpore, ac anima separata, vbicunque est corpus & anima ipsa, ibi semper coniuncta est diuinitas, & sic ex naturali realique concomitantia semper est in hoc sanctissimo sacramento anima pariter & diuinitas, & proinde totus Christus; Obiectio autem solum concludit, quòd non sit totus Christus ex vi sacramenti, & conuersionis quæ ad eius corpus duntaxat, terminatur. quod gratis conceditur.

Quæsitū. At si quispiam curiosius percunctaretur, nunquid asseuerandum sit, quòd quemadmodum panis substantia, in corporis Christi substantiam conuertitur, ita & accidentia, & præsertim dimensiones eiusdem panis, in dimensiones corporis Christi conuertantur, & similiter dimensiones vini, in dimensiones sanguinis.

Quæsito respondetur. Huic dicendum est, quòd non, quoniam remanent omnia accidentia, tum panis, tum vini, & sub his, continentur corpus, & sanguis Christi, non per modum quantitatis, ita q; coextendantur, quemadmodum extenditur ipsa quantitas, at solum per modum substantiæ, id est indiuisibiliter, dicere autem substantiam præfatam corporis Christi esse indiuisibiliter, est dicere integritatem specificam substantiæ, non diuidi, penes diuisionem dimensionum, seu partium quantitatiuarum, quoniam ita integra natura substantiæ est sub qualibet dimensionum parte, sicuti sub totis dimensionibus, & propterea inquiebat. D. Th. iij parte, quæstione & articulo citatis, in responsione ad tertium, quòd totalitas substantiæ corporis Christi,

Christi, indifferenter continetur in parua, & magna quantitate, sicuti tota natura aëris, in magno, & parvo aëre, & tota natura hominis in paruo, & magno homine. Quare subdit, tota substantia corporis Christi & sanguinis, continetur in hoc sacramento post consecrationem, sicut ante consecrationem cõtinebatur ibi tota panis, & vini, substantia; Non tamen asserendum est dimensiones quantitatiuas, sub quibus continentur corpus, ac sanguis Christi, esse in huiusmodi corpore, ac sanguine Christi tanquam in subiecto, quoniam id catholice fidei repugnat ponenti, talia accidentia, diuina virtute, esse subsistentia, & sine vllo penitus substantiali subiecto. Hoc autem non obstante quamueriſſime dicimus, & catholice, corpus Christi, sub talibus accidentibus contẽtum, esse quantum, & sanguinem pariter, quantum esse, quanta tamen sunt absque situ seu positione, prædicamento speciali, quæ quidem positio, dicit ordinem partium in loco, & hæc, partium ordinatio in loco, nequit partibus corporis, & sanguinis Christi vllatenus conuenire, quoniam commensurarentur loco, quod neutiquam est dicendum. Quapropter vt id clarius quod dicitur, intelligatur, est annotandum, duplicem esse quantitatis effectum, alterum quidem intrinsecum omnino subiecto quanto, videlicet esse quantum, & in partes diuisibile, ac habere ordinem partium in toto. alterum vero modo quodam extrinsecum, prout, scilicet conuenit subiecto in ordine ad extrinsecum, vt alteri condiuidi quantitati, habereque partes, loci partibus correspondentes. Et primus quidem effectus quantitatem necessario & per se sequitur & reperitur in corpore Christi pariter & eius sanguine, in sacramento Eucharistiæ existentibus; Nam in vtroque est diuisibilitas; Corpus enim Christi diuisibile est & similiter sanguis & vtrunque habet ordinem partium in toto, haud tamen secundum habet effectum, quandoquidem

Dimensiones in sacramento Eucharistiæ existentes, per se subsistunt, & nõ in corpore Christi, vt in subiecto.

Duplex ẽ quantitatis effectus, & qui.

dem partes corporis, non commensurentur partibus dimensionis, panis, nec partibus loci, atqui totum, sub qualibet est parte, & similiter partes sanguinis non correspondent nec commensurantur, partibus dimensionis vini, nec partibus loci; Hincque fit vt vtrunque, scilicet corpus Christi quod totum est terrogeneum, & sanguis eius prout est in hoc sacramento, & qui est totum homogeneum, sint sub dimensionibus panis & vini, diuisibiliter ac indiuisibiliter, & diuisibiliter quidem, quia in seipsis, diuisibilitatem partium habent, indiuisibiliter vero, quia partes eius non commensurantur, partibus illarum dimensionum, nec partibus loci & ita substantia corporis Christi, & substantia pariter ipsius sanguinis non comparantur, ad dimensiones tum panis, tum vini, vel ad locum earum, mediantibus proprijs dimensionibus, ex quo fit vt corpus ac sanguis Christi possint in pluribus esse locis sacramentaliter, remanente vtroque indiuiso & integro, quandoquidem in illis minime sint ratione propriarū dimensionum, atqui ratione duntaxat dimensionum panis & vini, ratione quarum, tum corpus, tum sanguis Christi, possunt, loco commensurari, quæ tamen commensuratio non per se, at per aliud est vt patet. Ex his arbitror præfatam conclusionem esse clarissimam. Et hæc, de quæstione hac dixisse sufficiat.

Quomodo corpus et sanguis Christi, sint in Eucharistiæ sacramento diuisibiliter, et indiuisibiliter.

Quæstio. De contritione, An ipsa res sit, & sacramentum.

VERITVR. An contritio vera atque perfecta, vt pote ab attritione distincta apud Theologos, & præcipue apud. D. Thom. sit res & sacramentum, seu primus effectus, à sacramento exteriori, nempe confessione penitentis, & absolutione sacerdotis, productus, vt doctores astruunt celeberrimi; Et quidem huiusce ambiguitatis ac difficultatis ratio hinc oritur. Quoniam cum contritio sit prima sacramenti pœnitentiæ, pars integralis, quæ videtur esse causa exterioris pœnitentiæ, nempe confessionis pœnitentis ac absolutionis sacerdotis, ac etiam satisfactionis; quæque quandoque pœnitentiam ipsam exteriorem tempore præcedit, impossibile videtur, eam ipsam esse primum pœnitentiæ exterioris effectum quod tamen necessarium est, secundum Doct. rectè sentientes, asserere. Itaque sic formaliter argumentemur; Quod suapte natura præcedit aliud, nequit illud subsequi, & quod est alicuius causa illius nequit esse effectus, atqui contritio, tempore multotiens, præcedit pœnitentiam exteriorem, & illius est causa, quemadmodum actus interior, exterioris actus est causa, igitur contritio non potest sequi pœnitentiam exteriorem, nec illius valet esse primus effectus, & ob id, non erit res & sacramentum. Oportet igitur huic dubio, haud facili perpulchre dilucideque respondere.

Vnde oriatur difficultas.

Ratio ad difficultatem ostendendam.

Vtque id optime fiat in quæstione hac sic procedemus. Nam primo declarabimus terminos in quæstione positos, deinde vnica conclusione quæsita

reſpondebimus, ipſaque dilucidabimus, poſtremo argumento ad oppoſitam partem, ſatisfaciemus.

Quæ res materiales ꝓprie frangi, vel cõminui, ſeu conteri dicantur.

Quo ad primum dicimus contritionẽ, pariter & attritionem nomina quædam eſſe, à nominibus, materiales res ſignificantibus, tranſumpta & deriuata. Nam ex Ariſt. iiij. Metheo. textu com. xliij. illa proprie frangi dicuntur, quæ in magnas partes diuiduntur, illa vero comminui vel conteri, quæ cum ſolida ſint, & dura, ad minimas partes reducuntur hinc fit, vt in ſpiritualibus, his nominibus vtendo, dicamus illos voluntatis actus, quibus quiſpiam perpetratorum criminum affectum, iam durum, ſolidumque ob continuitatem, effectum, frangit, & conterit, nomen attritionis, & contritionis, haud in merito ſortiri. Illud vero inter attritionem & contritionem diſcrimen verum ponimus, vt aſſeramus, attritionem eam eſſe, quæ peccatorum equidem cõmiſſorum diſplicentiam dicit, at imperfectam, quandoquidem ex puris naturalibus ſemota gratia, vel caritate, hæc ipſa oriri poſſit, proficiſcaturque, ſolum ex timore ſeruili, nempe pœnarum, aut nocumentorum temporalium rerum, nec vnquam, valeat hominem in dei gratia conſtituere, poteſtque actus eſſe omnino informis. Contritionem vero eam vocitamus, quæ perfectam peccatorum diſplicentiam, dicit, oritique hanc ipſam ex filiali timore, & ex ſpeciali dei auxilio, nempe ex gratia, motum liberi arbitrij, informante, aſſerimus, quo quis ad Deum ipſum conuertitur, & peccatum prorſus, deteſtatur, nec vllatenus cum peccato ipſo, eſſe valet, nec vlla etiam informitate affici poteſt, quandoquidem à Chriſti gratia, ſecerni nequæat; eapropter videtur Reuerendiſſimus Caietanus ſua in ſumula, & in quol. Tom. ij. quæſito primo, vbi de contritione ipſa, diffuſe pertractat, à limpidiſſima veritate, recedere, dum aſſerit veram contritionem, poſſe informem eſſe, id eſt poſſe ſine gratia & caritate

Qui voluntatis actꝰ, attritionis, & cõtritionis, nomen ſibi vendicent

Quod inter attritionem, et contritionem diſcrimen, & quid vtraq; ſit.

Reueren. Caietani opinio de contritione, veritati minime conſentanea.

ritate reperiri, cuius sanè oppositum, penitus docet. D. Thom. contra Gen. cap. lxxij. vbi declarans ea, quæ efficit ipsa contritio, inquit primum quod in pœnitentia requiritur, est ordinatio mentis, vt scilicet, mens conuertatur ad Deum, & auertatur à peccato, dolens de commisso, & proponens non committendum, quod est de ratione contritionis. Hæc vero mentis, reordinatio, sine gratia esse non potest. Nam mens nostra (subdit) debite ad Deum, conuerti non potest sine caritate, caritas autem sine gratia esse nequit. Et post pauca subinculcat inquiens. Hæc mentis reordinatio, quæ in contritione consistit, ex interiori procedit, id est à libero arbitrio cum adiutorio diuinæ gratiæ. Itidem docet. iiij. sent. dist. xvj. q. ij. art. i. quæstiuncula. j. ad sextum vbi, ait, Contritio, est à solo deo, quantum ad formam, qua informatur, sed quantum ad substantiam actus, est ex libero arbitrio & à deo, qui operatur in operibus & naturæ & voluntatis. Falsum quoque asserit, quod attritio possit fieri contritio, quoniam idem. D. Thom. iiij. sent. vbi supra quæstiuncula. iij. concludendo ait; Vnde antequam gratia infundat non est habitus, à quo actus contritionis postea elicitur, & sic nullo modo attritio potest fieri contritio. Quid autem hæc ipsa sit, de eadem, complures, à. D. Thom. iiij. sent. dist. xvij. q. ij. art. j. quæstiuncula. j. dantur definitiones, vt ibi quisque videre potest. Atqui vnam duntaxat in medium adducimus, qua dicitur contritionem, displicentiam esse pro peccatis perpetratis, voluntariæ assumptam, cum proposito ea ipsa, vitandi de cetero, ac cum proposito confitendi, ac satisfaciendi, Singulaque in hac definitione posita pulcherrime declarantur; Nam primo dicitur, ipsam esse displicentiam, dolorem, & detestationem peccatorum præteritorum, displicentiam, (inquam) voluntarie assumptam, vt quem admodum, alicui peccata placuerunt, quibus à deo

Contritio sine gratia esse nō potest.

Attritio nequit cō tritio fieri.

auersus est, ita voluntarie sibi displiceant, non vi, nec pœnarum metu, quoniam displicentia hæc, haud contritio, sed attritio diceretur. Hac quippe delictorum displicentia, qua ipsa detestantur delicta, supra omne detestabile, homo antea, à deo auersus, ad ipsum conuertitur, eidem per amorem, & caritatem coniungitur, & cuncta peccata vitare, supra omne vitabile, omnino proponit. Verum ni adesset confitendi ac satisfaciendi propositum, non sanè esset perfecta contritio nec à deo peccata cõdonarentur, propterea id necessario exigitur. quod fac. Consilij Trident. sess. xiiij. cap. iiij. expressa auctoritate firma tur, sic inquientis, Docet præterea, S. Sinodus, & si contritionem hanc, aliquando caritate, perfectam, esse contingat, hominem que deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu susciapiatur, ipsam nihilominus reconciliationem, ipsi contritioni, sine sacramenti voto, quod in illa includitur non esse adscribendum. Posset & dici, quod contritio, est quidam animi motus à deo, gratia & caritate, perfusus, quo homo ipsi deo vnitur, peccata detestatur, & ipsa vitare, confiteri, pro ipsisque satisfacere omnino proponit, & hæc de primo.

Cõtritio, necessario exposcit propositũ confitẽdi & satisfaciendi.

Conclusio affirmatiua.

Quo ad secundum hac vnica responsione affirmatiua conclusione qua quæsito pulcherrime satisfit, quæ talis extat.

Contritio vera atque perfecta, quæ & pœnitentia vocat interior, est ipsius sacramenti, pœnitentiæ res & sacramentum.

In sacramento pœnitentiæ, tria reperiuntur, & quæ

Et ad huiusce claritudinem, annotandum est ex. D. Thom. iij. q. lxxxiiij. art. j. ad tertium, quod in hoc pœnitentię sacramento quemadmodum & in alijs, tria reperiuntur, aliquid scilicet, quod est sacramentum tantum, actus videlicet, exterior, tam per peccatorem pœnitentem in confessione exercitus, quàm etiam per sacerdotem absoluentem, qui quidem actus exterius exercitus, sacramentum tantum dicit,

Actus exterior per

quia

quia est quo quispiam sacratur, cum sanctitatem actiuæ significet, vt inquit. D. Thom. iiij. sen. dist. j. q. j. art. j. & quæstiuncula prima, aliquid aũt est res pariter & sacramentum, & id est pœnitentia interior peccatoris, res quidem quia est primus, proximusque effectus à sacramento sensibili exteriori, causatus, nempe ab ipsa confessione, vel absolutione, sacramentum vero quoniam vltimum significat effectũ, nempe peccatorum remissionem, quæ per gratiam fit, & hæc pœnitentia est ipsamet contritio; Illud vero quod res tantum est sacramenti, & non sacramentum, est ipsa peccatorum remissio, per gratiam collata huic. D. Thom. doctrinæ, arridentverba Magistri sen. iiij. dist. xxij. in calce textus, vbi cum pluribus circa hoc opinionibus citatis postremam ponẽs, inquit, quod quidam dicunt, aliud esse tantum sacramentum, scilicet exteriorem pœnitentiam, aliud sacramentum, & rem, videlicet, interiorem pœnitentiã, aliud rem & non sacramentum, scilicet remissionẽ peccatorum; Et id amplius explanans ait. Interior enim pœnitentia & res est sacramenti, id est exterioris pœnitentiæ, & sacramentum remissionis peccati, quam & significat & facit; Exterior quoque pœnitentia, & interioris signum est & remissionis peccatorum.

peccatorẽ in confessione, & sacerdotẽ absoluentem exercitus, est sacramentum tantum.

Contritio est pœnitẽtia interior et est res pariter & sacramẽtũ.

Peccatorũ remissio, per gratiã collata, est res sacramenti tãtum, & non sacramentum.

Annotandum est secundo ex. D. Thom. doctrina. iiij. dist. xxij. q. ij. art. j. quæstiuncula. ij. ad primum, quod pœnitentia interior, quæ contritio vocatur bifariam considerari potest vno modo, prout est quidam virtutis actus, & sic interior hæc pœnitentia, seu contritio, quod idem est, omnino causa est exterioris pœnitentiæ, quemadmodum in alijs virtutibus, actus interiores, sunt exteriorum causæ, alio modo, prout est actus operans ad sanationem peccati, & sic pertinet ad pœnitentiæ sacramentum, & ita interior pœnitentia, non est causa exterioris, sed effectus, vel significatum ipsius. Non enim, (subdit,)

Contritio dupliciter considerari potest, vt scilicet est quidã virtutis actus, & vt operatur ad peccatorũ sanationẽ.

habet efficaciam operandi, contra morbum peccati, nisi ex suppositione propositi exterioris pœnitentiæ, & absolutionis desiderio, quamuis pœnitentia interior contra morbum peccati operans, præcedat tempore exteriorem pœnitentiam, sicut iustificatio à peccato interdum præcedit sacramentum baptismi propter ipsius propositum.

Annotandum est postremo, id aliud ad clarissimam conclusionis euidentiam, & perspicui modi, quo contritio, seu interior pœnitentia res est, & sacramentum, exterioris, nempe actus tum per confessionem penitentis, tum per ministri absolutionem exerciti; Dicimus enim contritionem ipsam bifariam posse considerari, vno quidem modo, vt gratiam iustificantem, natura præcedit & hoc modo cõtemplata, contritionis minime, digna est nomine, quandoquidem vt supra notatum est, contritio nullatenus, sine gratia esse valeat, potest autem habere rationẽ dispositionis, materialis, at non meritoriæ. Alio autem modo, vt hæc ipsa gratiam subsequitur, vtque natura ipsa posterior est; Etenim actus quidam est, ipsa contritio, gratia informatus, modo forme, vtpote, alicui dans esse, nobilior & prior semper est, prioritate naturæ, & dignitatis eo cuius est forma, & hac ratione, istoque modo, considerata, & vere perfecteque contritionis rationem habet, & effectus confessionis, ac absolutionis merito ponitur. Cumque primus proximusque sit præfate pœnitentiæ exterioris effectus, res sacramenti dicitur, cum autem eadem remissionem significet peccatorum, & causet, sacramentũ appellitatur. Sacramentum enim semper eius est causa, cuius est signum; Perlucide igitur ex his euadit, ipsa conclusio; Et vt id quod assertum est, adhuc clarius fiat hoc explanemus exẽplo; Quis duntaxat attritus, ad cõfessionem accedit, suorumque peccaminum, absolutionem accipit, modo constat ex sacris doct. hunc ex attrito, virtute clauirum,

Cõtritio, vt natura gratiã præcedit, non vendicat sibi contritionis nomẽ.

Cõtritio, vt natura, gratia posterior est, & vera contritio est, & effectus cõfessionis, ac absolutionis est.

uirum, fieri contritum, quapropter contritionem, huius dicimus esse sacramenti effectum.

Obiectio.

At quispiam obiciet; Ille qui ad sacramentum, attritus, solum accedit in accessione conteritur, & id certe possibile est, igitur contritio hæc, non erit sacramenti exterioris, effectus.

Obiectio dissoluit.

Ad id facile respondetur & dicitur, possibile equidem esse, attritum dum ad sacramentum accedit, contritum fieri posse, at nunquam talis, contritionem haberet, nisi contritionis actus, prius natura gratia informatus esset, per sacramenti votum. Contritio quippe si vera est, semper proposirum confitendi, habet annexum, itaque contritio, effectus erit ipsius sacramenti in voto. Cum autem ex his perluci da sit reddita conclusio solum supereſt, obiectis facere satis. Et certe quisquis ea, quæ tum in secundo notando, tum in tertio dicta sunt, sereno intellectus oculo, contemplatus fuerit, liquido perspiciet, argumentum iam esse solutum.

Ad rõnẽ in principio factã, respondetur.

Nam cum dicebatur contritionem esse partem integralem, & materialem sacramenti pœnitentiæ, id pulchre quidem admittendum est, atqui cum subiungebatur, eam ipsam causam esse exterioris pœnitentiæ, id inficiandum est, quandoquidem dictum fuerit, ipsam contritionem, quæ actum importat gratia informatum, esse primum effectum sacramenti pœnitentiç, exterioris, ab ipsa productum, quoniam cum talis contritio natura, posterior ipsa gratia, sit, à qua nanciscitur, vt sit peccatorum remissiua, ac expiatiua & id omnino sortiatur ab ipsa confessione, & absolutione, in re, vel in voto, semper sanè hac exteriori pœnitentia, posterior erit, vtpotè, effectus, ab ipsa productus. Et propterea falsum est, contritionem hanc taliter consideratam, esse tempore priorem sacramentali pœnitentia; Falsa subinde omnino est argumenti formati, minor propositio; Et falsitatis huius ratio adest in promptu. Quia & si contritio,

quæ & nomen interioris pœnitentiæ sibi vendicat, prout est quidam virtutis actus, omnino sit exterioris causa, vt supra ad aures. D. Thom. annotatum est, vt tamen ea ipsa, actus est operans, ad peccati sanationem, vt sicque ad pœnitentiæ sacramentam attinet, haudquaquam exterioris pœnitentiæ causa, at effectus, vel eius significatum existit, quia vt supra subdebat, nulla operandi efficaciam aduersus peccati morbum habet, nisi ex suppositione propositi; exterioris pœnitentiæ, & absolutionis desiderio, quanquam talis pœnitentia interior, contra culpæ morbum operans, tempore quandoque præcedat exterioren pœnitentiam in actu, siue (vt aiunt) in re, nunquam tamen præcedit in voto, vt dictum est.

Ex dictis atq; dicendis, refelluntur opiniones Petri de Palude, Bernardi de Gannaco, & Capreoli.

Ex hac autem perspicua veritate, falsa esse conuincitur, Petri de Palude opinio asserentis, dist. iiij. iiij. sent. q. j. præter pœnitentiam interiorem, & peccati remissionem, esse ponendam tertiam huius sacramenti rem, quam vocat ornatum; quam opinionē tenet & Bernardus de Gannaco, vt inquit Capreo. xx. j. iiij. q. j. falsa quoque comprobatur, eiusdem Capreoli positio, qua docet ornatum esse primam rem, exterioris pœnitentiæ, tanquam significatum, & causatum ab ea, & post pauca subdit quod iste ornatus est essentialior effectus sacramenti pœnitentiæ, quam pœnitentia interior, quæ non est effectus nisi secundum quid, & quo ad eius accidentalia. Demum & à veritate alienum est, quod addit, eadem ipsa dist. scilicet gratiam sacramentalem, quæ quidem non tolum liberi arbitrij motus est, sed aliquid se habens per modum actus primi, esse dispositionem ad gratiam gratum facientem, quam instrumentaliter effectiue, primo & directè sacramenta inducunt in animam. Non enim absque necessitate, entia multiplicanda sunt. Quod enim per pauciora, & pulchre quidem fieri valet, per plura fieri non debet, aiebat Arist. j. de Phys. auditu, tex. com. lvj. Si igitur ex. S. Thom.

Thom. doctrina. iij. q.lxxxiiij. art. j. ad tertium, & dist. xxij. iiij. q. ij. art. j. quæstiuncula. ij. hæc tria præfata in quolibet sacramento reperta sufficiunt, vt quid prædicti doctores alioquin viri doctissimi aliã entitatem, nempè ornatum per modum actus primi, qui formam sonat, addendam esse percensent? Quod si in ipso. D. Th. nonnulla reperirentur verba, aliquantisper, huic ornatui arridentia, meminisse oportet, sistendum esse in solidissima eiusdem doctrina in summa tradita, præsertim ea, quam de diuinis sacramentis. iij. parte scitissime tradidit, vbi nunquam de ipso ornatu verbum protulit. Inquient hanc esse ponendam, ob dispositionem ad gratiã, per sacramenta susciendam. His merito respondendum est, gratiam ipsam, suapte natura haudquaquã formam esse talem, quæ in anima, talem præexigat ornatũ, animam disponentem, ad eiusdem susceptionem, quoniam vt in infantibus baptizatis elucet gratia infunditur, absque alia forma dispositionem agẽte; Nec est instantia de caractere quoniam ad hoc non ponitur, vt fit dispositio, tum quia caracter est in intellectu vti in subiecto, dispositio autem sicut & gratia, in essentia animę esse debet tum quia vt testatur. D. Thom. iij. q. lxiij. art j. caracter per sacramenta susceptus, ponitur, vt ipso, homines intelligant sese deputatos esse ad aliquid spirituale, attinẽs ad dei cultum & ritum christianæ religionis, & ob id, isto spirituali caractere insigniuntur tum denique, quia caracter ipse, non dispositionem, at potentiam quandam spiritualem ordinatam ad ea quæ diuini sunt cultus exprimit, vt inquit. S. Thom. vbi supra, art. ij.

Impugnatur responsio quæ dari posset.

Caracter non ponitur vt dispositio ad gratiam.

Atqui rursus inquient, talem dispositionem ad gratiam solum exigi in adultis, quibus solis, hoc pœnitentiæ sacramentum confertur.

Refellitur & alia responsio, q̃ posset afferri.

His facile respondebitur, dicenturque in ipsis adultis, non aliam requiri dispositionem, nisi proprios, ipsorum

ipsorum adultorũ actus. Vt.n.edocet.D.doct.prima. secũdæ.q.cxiij.art.iij.ad gratiæ infusionẽ,& impij iustificationem, quæ à solo deo fit requiritur, vt propria dispositio,actus liberi arbitrij adeo moti. Nam liberum arbitrium, vt ab ipso deo motum, actum elicit,qui est vera dispositio ad gratiæ susceptionem, & impij iustificationem, & propterea Aug. dicebat. Qui fecit te,sine te,non saluabit te,sine te; Pœnitẽs quoq; vt pœnitens,sufficienter disponitur per actus pœnitentiæ,nec alia opus est dispositione,ficque fit, vt commentitius sit prorsus hic ornatus,& superuacaneus. Si enim homo,adultus,& post baptisma lapsus in aliquod exitiale crimen,attritus, ad sacramẽtum pœnitentiæ accesserit, idipsumque in re vel etiam in voto susceperit, fit certe contritus, idque sufficit ad peccatorum remissionem. Nullo igitur opus est ornatu,quo ex attrito,contritus fiat; Quod si quispiam perspicue scire peroptat, quonam modo ex attrito, cõtritus efficiatur id mente contemplet tur, nempe deum, pœnitentem mouere, ad interiorem pœnitentiam contritionem scilicet,ipsum interius instruendo, suadendoque vt se clauibus subijciat Ecclesiæ, contempletur rursus ipsummet Deum optimum sacramentales actus exteriores ordinasse ad præfatã pœnitentiam, quibus sanè exterioribus actibus sacramentalibus, interior penitentis actus, excitatur atque perficitur, & ita excitatus atque perfectus ad remissionem dispositus est peccatorum, & fit pœnitens,ex attrito, contritus, fitque pœnitentis actus,res & sacramentum. Et hinc optime elucet mirabilis quidam dei ordo, vt scilicet, sacramentum exterius, pœnitentiam interiorem significet, & causet,& ipsa interior pœnitentia sic causata, significat, causatque peccatorum remissionem; Instrumenta enim hæc dei sunt subordinata; Quod autem postremo asserebat Capreolus,gratiam,videlicet,sacramẽ talem esse dispositionem,ad gratiam gratum facien-

tem

tem falsum omnino extat, & doctrinæ. D. Thom. plerisque in locis aperte repugnans. Nam. D. Thom. dist. j. iiij. art. iiij. quæstiuncula. v. & dist. vij. q. ij. art. ij. quæstiuncula. iij. & iij par. q. lxij. art. ij. docet sacramentalem gratiam, profluere ab ipsa gratia gratum faciente eo modo quo etiam virtutes & dona ab eadem profluunt ad perficiendum diuersas animæ potentias. Hæc enim eius sunt verba dist j similiter, à gratia illa quæ est in essentia animæ, effluit aliquid ad reparandum defectus qui ex peccato inciderunt, Et. iij par. vbi supra inquit, gratiam sacramentalem, addere super gratiam, communiter dictam, & super virtutes & dona, quoddam diuinum auxilium, ad consequendum sacramenti finem. Ex his modo constat tale diuinum auxilium, etsi appelletur gratia sacramentalis, haud tamen, est gratia habitualis, seu donum habituale, dicens actum primum nec potest esse dispositio ad gratiam, cum ex illa profluat, illamque sequatur. Dispositio enim ad aliquam formam introducendam, semper illam præcedit, & non sequitur. Quare falsa omnino, conuincitur, præfata Capreoli opinio, & D. Thom. omnino repugnat. Hæc de præsenti quæstione.

Falsum est gratiam sacramentalem esse dispositionē ad gratiam gratum faciē tem.

Quæstio de Confessionis necessitate, ante Eucharistiæ sumptionem.

VAERITVR. Num fidelis quisque, lætali crimine affectus, sacratissimam sumpturus Eucharistiam, teneatur prius actualiter confiteri, ne dum conteri, idonei habita cõfessoris copia.

Dicendorum ordo.

In quæstione hac, circa terminos in ipsa positas, nil notandum occurrit, quoniam claritudine gaudent; Et quoniam variæ doctorum opiniones & oppositæ, quæstionem ipsam perdifficilem reddunt, eapropter omnes in medium adducemus, hoc ordine seruato. Vt scilicet, primo eas recensemus vna cum fundamẽtis suis, quas veritati repugnare credimus, deinde eas subdamns, quæ penitus veritati consonant, & veritatem harum, tum auctoritatibus, tum efficacissimis muniemus rationibus; Postremo sun damentis, quibus potissimum innituntur opiniones falsæ, respondebimus.

Caietani opinio.

Est itaque Caietani opinio in Commentarijs tertiæ partis. q. lxxx. art. iiij. posita, qui pro viribus tueri conatur, confessionem, nullatenus necessariam fore, ante Eucharistiæ sumptionem, habita etiam confessoris copia, & proinde nullum mortaliter peccare, ipsam prætermittendo. Quia si hæc (inquit) prætermissio, mortale peccatum in prætermittente induceret, iccirco eueniret, quia talis confessio, esset aliquo diuino, vel positiuo iure, præcepta, vel aliqua doctorum ratione cogente, indicta, atqui nullo horum modorum, præcepta, vel ratione cogente, commostrata videtur. igitur. Et quidem quod non diuino iure, probat. Quia nullibi in sacris litteris, id pro

Quibus rõnibus mutat Caietanus, opinionem suam, & sitmet.

ditum

ditum est, quinimò oppositum potius ex Apostolo. j. Cor. xj. clare elici videtur, dum ait. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat & de calice bibat; Probet (inquit) seipsum per contritionem, & non dicit quod à confessore probetur. Sufficit enim per contritionem probatio, aliter non subiunxisset, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qđ aũt nõ sit positiuo iure, hæc ipsa p̃cepta, patet. Quia nullũ pontificium ius, ipsam taliter fiendam edocet, sed solum quod quisque semel in anno, nempe in paschate confiteatur, & Eucharistiam sumat, præcepit & iussit, vt habetur. De peni. & remiss. cap. Omnis vtriusque sexus; Quod non denique ex naturalis discursus ratione à doctoribus sacris allata, id ponere cogamur, probat; Quia tota ipsorum ratio, huc tendit, vt scilicet, contriti, qui sacram sunt accepturi communionem, etiam confiteantur, habita confessoris copia, quia mundi, conscientiaq́ue nitidi, non solum dei iudicio, at etiam ministrorum ecclesiæ, ad ipsam sumendam, accedere debeant; Atqui (inquit) ipse Caietanus, hæc ratio minime cogit, q̃a sufficit tales cõicaturos mũdos esse, iudicio ministrorum, Ecclesiæ, vel dñi ipsorũ iudicio, suntq́. tales ob hoc membra formata militantis Ecclesiæ.

Rursus has alias duas adducit rationes, quibus suum nititur firmare propositum. Et primam quidem. Quia hic actus, qui est, contritum ipsum, de mortali peccato, non confesso, Eucharistiam sumere, non est ex genere suo lætale crimen, quia si esset, nullo in casu licitus foret, atqui quandoque licitus est, quando, scilicet non habetur confessoris copia, igitur etiam existente eiusdem confessoris copia licitus erit, sicque mortale peccatum minime inducet. Hoc enim quod est habere vel non habere confessoris copiam per accidens, ad hunc actum concurrit, siue se habet, & propterea ab arte reijciendum. Quare poterit quisque vere contritus & non confessus

confessus absque mortali peccato Eucharistiam sumere.

Secundam vero subdit inquiens. Duobus existentibus præceptis affirmatiuis, ac per hoc ambobus quantum est ex natura sua, obligantibus solum tempore necessitatis sicuti sunt præcepta contritionis & confessionis, perspicimus manifestam differentiam in hoc, quod sumptio Eucharistiæ determinat tempus necessarium respectu præcepti contritionis, & non determinat tempus necessarium respectu præcepti confessionis. Nam sumptio Eucharistiæ præexigit absoluta necessitate, vt probet seipsum homo per contritionem, & non præexigit absoluta necessitate, vt probetur à confessore, ergo ante communionem, confessio, non est in præcepto, quia tunc non est tempus necessitatis absolute, nec fit tempus necessitatis ex sumptione Eucharistiæ, sicut ex eadem fit tempus necessitatis respectu contritionis.

Cõfirmat præfatam suam opinionem.

Et confirmatur hoc idem. Quia vere contritis licet alia sacramenta administrare, & suscipere etiam absque confessione, & absque peccato mortali, cum nullibi id videatur esse prohibitum, igitur licebit & Eucharistiæ sacramentum absque confessione suscipere. His itaque rationibus motus Reuerendissimus Caietanus, firmiter tenet necessariam minime fore confessionem ipsam sacramentalem ante Eucharistiæ sumptionem, tametsi consulat habita confessoris copia, esse confitendum. Hanc ipsam opinionem sustinet & sua in summula, vbi de sacra agit communione, & in commentarijs super pauli epistolas. j. Cor. xj. Opinionem hanc prius tenuit Ricardus dist. xvij quarti. art. iij. q. vj. Et Theophylatus

Præfatam Caietani opinionẽ tenet Ricardus, & tenere videtur de Theophilacto.

tenere videtur, super prima ad Cor. epistola, cap. xj. vbi interpretans illa Apostoli verba probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, ait. Neminem tibi in iudicem proposuerim præter teipsum. Tu itaque conscientia examinata discussaque, adito

ea

ea misteria non festis modo, profectisque diebus, sed quouis tempore, cum te purum & dignum compereris. Et hæc quo ad primum.

Doctorũ opinio tenentium confessionem sacramentalem necessariã esse ante Eucharistiæ sumptionem.

Quo ad secundum in medium afferendæ sunt opiniones, his prætactis aduerse, veritati consentaneæ, & diuino spiritu suffultæ; Beatissimus siquidem Cyprianus pariter, & antiquissimus doctor, Epistolarum suarum libro. iij. Epistola. xiiij. illorum morem acriter arguit, qui ante exomologesim, id est confessionem, Eucharistiam, aliquibus tradebant; Et Epist. xv. eundem morem reprehendens, ait, id agere, esse contra Euangelij legem. Epist. quoque. xvj. itidem repetit, & improbat, dicens quosdam Euangelij immemores, communionem ante confessionem suscipere. Nonne his locis, beatissimus hic Cyprianus, aperte, sentire videtur, confessionem ante Eucharistiæ sumptionem, esse de iure diuino? Huic opinioni arridet, Ricardus de Sancto Victore, qui in libro de potestate ligandi, atque soluendi. cap. xxj. sic ait. Audacter dico, si ante sacerdotis absolutionem, ad communionem corporis & sanguinis Christi, accesserit, iudicium sibi pro certo manducat, & bibit, & si eum peccasse, iam multum peniteat, & vehementer doleat, & ingemiscat; Suffragari & his dictis clare videtur beatus Augustinus libro. iiij. contra Donatistas. cap. xxiij. in calce dum inquit. Quod vniuersa tenet ecclesia, nec concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur; Ex hisce nanque Augustini verbis, quàm optime deducitur, quod quia Christi ecclesia, semper hunc morem seruauit, tenuit, & docuit, vt ante sacram communionem fidelis quisque confiteatur, id sit Apostolica traditione sancitum. Huic prædictę sententiæ, consimilem ipsemet Augustinus exprimit Epistola. cxviij. ad Ianuarium, dum ait. Illa autem quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto or-

be

be terrarum obseruantur, dantur intelligi, vel ab Apostolis, vel plenarijs concilijs, quorum in ecclesia est saluberrima auctoritas commendata, atqui sta tuta retineri; Verum vt tantorum, opinio doctorum, lucidior euadat, hanc subijcimus conclusionem affirmatiuam, videlicet.

Conclusio affirmatiua prima & catholica.

Confessionem ante sacratissimæ Eucharistiæ perceptionem, iure diuino necessariam fore; quàm pulchre ex Apostoli sententia probare conabimur.

Inquit enim. j. Cor. xj. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne iudicium sibi manducat & bibit. Hic etenim percunctandum est, quid reuera intelligat Apostolus per veram suijpsius probationem, ante Eucharistiæ sumptionem. Inquiet Caietanus, ac secum male sentientes, solam nudamque contritionem, non item confessionem quoniam ait, probet seipsum interius per contritiouem & non exterius à confessore probetur. Atqui quod hij omnes allucinentur, germanumque sensum Apostoli verbis, minime reddant, vel etiam ex ipsius Caietani sententia, aperte monstratur. Constat enim contritionem veram propositum confitendi semper includere, ac semper exposcere, vt vnanimi voce doctores cuncti fatentur, & ita quidem, vt per ipsam nequæat fieri peccatorum remissio, ni tale propositum confitendi habeatur, quandoquidem ex ipso proposito subijciendi se quispiam, clauibus Ecclesiæ illius contritio virtutem trahat peccatorum expiatiuam. Tunc sic, si vera penitentis contritio, necessario exigitur, ante Eucharistiæ sumptionem, igitur & necessario requiritur, confitendi propositum, patet consequentia, à definito ad id quod in definitione essentialiter continetur. Tunc vltra, in vera contritione, confitendi propositum necessario exigitur, ergo habita confessoris copia, & alio quocunque remoto impedimento, ante communionem

Caietani responsio.

Prefatæ responsionis impugnatio.

ne

necessario confiteri tenetur, aliter vere contritus dici non debet, nec sufficienter probatus, & proinde ad ipsam Eucharistiam sumendam absque confessione accedens, mortaliter peccat, secundum autem Caietani sententiam in summula, vbi supra, non mortaliter quidem, at grauiter peccare dicitur. Sic enim inquit. Si autem commoditas adest confitendi, & habens conscientiam peccati mortalis, differre vult confessionem, & nihilominus communicare, quia oportet ipsum cum alijs communionem accipere, aut celebrare, peccare videtur valde grauiter. Nunc obsecro, respondeat ipse Caietanus, nunquid dum quispiam ad Eucharistiæ sacramentum accedens, grauiterque peccans, sit vere contritus, veraque dispositione gaudens? Ecquis nisi demens id asseuerabit? Vt itaque quis vere contritus, vereque dispositus, ad sacram communionem sumendam accedat, confiteatur oportet; Et propterea ipsemet Caietanus, maiori veritatis lumine perfusus, longe altius, longeque melius sensit, in quol. Tom. ij. in expositione tertij articuli Lutheri à Leone. x. Pontifice maximo, damnati, vbi ait. Docet siquidem idem Apostolus, quo pacto quis ad dictum sacramentum, non indigne accedat, nec ad iudicium sibi manducat, & bibat, inquit. Probet autem seipsum homo & sic de pane illo edat & de Calice bibat. Vbi manifestat eum qui probauit seipsum, secure ad sacramentum accedere, ita quod non est reus corporis & sanguinis domini, nec ad iudicium sibi manducat & bibit; Et quoniam populus Christianus frequenter vtranque Apostoli doctrinam audit, & vt vnusquisque potest de seipso testari quilibet ante communionis sacramentum, probans seipsum, contritione, confessione, oratione, &c. vtitur hac fiducia tanquam perseuatrice à peccato indigni accessus; En hic expresse ponere, confessionem ipsam, ad suipsius veram ipectare probationem; Et si taliter seipsum probat, nem

Probatur præfata cõclusio, & ipsius Caietani expositione, & sua.

pe vera contritione,& confessione,digne sanè ad sacram communionem accedere potest, cum iam in gratia sit constitutus, Nam vt alias ad aures. D. Thomæ dictum fuit, vera contritio sine gratia gratum faciente,seu iustificante esse nequit; Probare igitur seipsum modo exposito; vt quis valeat ad communionis sacramentum accedere, & digne idipsum sumere posse,idem profecto signficant; Quamobrem doctrinam Caietani in commentarijs super Epistolas Pauli in expositione horum verborum,Probet autem seipsum homo &c. approbare nequeo, qua inquit, probare seipsum non sufficere ad digne sumendum, tametsi sufficiat ad non indigne sumendum. Nonne obsecro illæc duo vere æquipollent? Si nanque indignitas à quopiam amouetur,iam dignitate præpollere asseritur. Et quia arbitror sufficienter probatam fuisse supradictam conclusionem; iam ad mentem plurimorum doctorum, hanc secundam subijcimus.

Refellitur eiusdem Caietani interpretatio.

Conclusio affirmatiua secunda & veritati consentanea q. D. Th. probatur expressa sententia.

Confessionem ante Eucharistiæ sumptionem, de iure positiuo penitus necessariam fore.

Hæc conclusio primo probatur,ex pulcherrima, clarissimaque. D. Thom. doctrina. distinctio. xvij iiij quæstio. iij quæstiuncula. iiij. vbi ait. Quod cum propositum confitendi, contritioni sit annexum, tunc quis ad hoc propositum tenetur, quando ad contritionem tenetur, quando, scilicet, peccata memorię occurrũt præsertim cum in mortis periculo extat;aut in aliquo articulo in quo, peccatum,eum incurrere oportet, veluti cum ad celebrandum tenetur,& si confessoris copia desit saltem confiteri tenetur, & habere confitendi propositum; Verum ad actualem confessionem faciendam, tunc obligatur, quando ad aliquid tenetur, quod facere nequit sine peccato,nisi confessus, sicut si quispiam Eucharistiam percipere debeat ad quam post peccatum mortale perpetratum, nullus nisi confessus accedere

debet,

debet, oblata sacerdotis copia, & necessitate non vrgente, confiteri tenetur, & inde venit, (subinculcat. D. Thom.) obligatio, qua ecclesia omnes vtriusque sexus obligat ad semel in anno confitendum, quia instituit, vt semel in anno, nempe in paschate, omnes sacram communionem accipiant vt habetur. De Penit. & remiss. cap. Omnis vtriusque sexus, & ideo ante tempus illud confiteri tenentur. Hoc etiam asserit dist. xvj. in expositione literę, vbi ait, concludendo, & ideo qui habet copiam sacerdotis, & necessitate non vrgente, ad communicandum, sicut vrgentur sacerdotes parochiales, non debet accedere ante confessionem. Hanc. D. Thom. opinionem sectatur Scotus dist. ix. iiij. q. j. vbi loquendo de confessione hac, ante communionem fienda, sic ait. De tertio dico, quod si occurrat opportunitas, tenetur prius confiteri, quam communicare, cuius ratio est (subdit) quia non tantum debet reconciliari deo, sed ecclesiæ, ad hoc quod digne percipiat sacramentum ecclesiasticę vnitatis; Hanc eandem sequitur & Durandus dist. xvij. iiij. q.x. vbi declarans in quibus casibus immineat confitendi necessitas, cum præceptum de confessione fienda, sit affirmatiuum, obligans quidem semper, at non ad semper, sed solum tempore necessitatis, inquit. Primus casus est quando homo habet Eucharistiam recipere, quia nullus quantumcunque contritus, absque confessione, debet Eucharistiam suscipere, oblata copia sacerdotis; His opinionibus assentit Panormi. cap. De homine. De celebrat. missi. quo in loco, inquit. Et in fi. Glos. nota singulariter hanc vltimam quæstionem, & ex ea collige, quod sacerdos non debeat celebrare si sciat se in peccato esse, nisi prius confiteatur. Nec sufficit sola contritio, vel propositum confitendi, ex quo de præsenti potest confiteri, quod multi sacerdotes male obseruant. Et per hoc, dicit. D. Ant. falsam esse opinionem eorum qui dicunt, sufficere contritionem cum proposito confitendi

Præfatã. D Th. opinionẽ sequitur Scotus.

Durãdus in conclusione hac. D. Thom. sectatur.

Panormita prædictam confirmat cõclusionẽ.

confitendi semel in anno. Hæc illius formalia sunt verba Qua de re admodum miror, Dominicum Soto. dist. xij. iiij. art. iiij. imposuisse eidem Panormitæ, quod tenuerit, vbi supra, confessionem non esse necessariam ante communionem, sed sufficere solam contritionem. Claret enim ex suis citatis precise verbis, oppositum.

Dominus Soto, falsum Panormitæ imponit.

Verum vt præter hasce opiniones verissimas, omnem ambiguitatem ab illorum mentibus auferamus, qui aduersus prædictam conclusionem & Catholicam, sentiunt, confessionem ante communionem haud esse necessariam, etiam habita confessoris copia, sed contritionem sufficere. Ecclesiæ Catholicæ determinationem in medium nunc afferamus. Sic enim habetur, Sess. xiij. cap. vij. sacri generalisq. Concilij Tridentini. Quare communicare volenti, reuocandum est in memoriam eius præceptum. Probet seipsum homo, Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, vt nullus, sibi conscius mortalis peccati, quantumuis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat, quod à Christianis omnibus, etiam ab his sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta synodus perpetuo seruandam esse decreuit, modo non defit istis, copia confessoris. Quod si necessitate vrgente, sacerdos absque præuia confessione celebrauerit, quamprimum confiteatur. Et eadem Sess. canone. xj. circa medium, sic legitur. Declarat sancta synodus, illis quos conscientia peccati mortalis grauat, quantumcunque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem, si quis autem contrarium dicere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando, defendere, præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat. Et quid clarius, diuinius que dici poterat? Ex his itaque hactenus

Concilij Tridentini determinatio, de confessione ante Eucharistiæ sumptionem facienda.

dictis

dictis arbitror clarissimum esse, Confessionem sacramentalem, ante perceptionem sacramenti Eucharistiæ necessariam fore, habita confessoris copia, & propterea eos omnes mortaliter peccare, qui ad ipsam sacram communionem, non sacramentaliter confessi, quamuis contriti, accedere audent. Nec potest nunc Caietani opinio, vtpotè erronea, absque excommunicationis incursu, teneri, & defendi, vt ex supradicti sacri consilij Canone apertissime constat. Et propterea edocendi sunt cuncti Christi fideles, quos talis opinionis error obstringit, ne vllatenus audeant, ad tam mirabile Eucharistiæ sacramentum accedere, ni prius & vere conterantur, & habita confessoris copia, deuotæ confiteantur.

Caietani argumentis responsetur.

Quo ad tertium & vltimum, singulis argumentis veritatem determinatam improbare conantibus, faciendum est satis. Et cum primo dicebatur, nullo diuino iure, nec pontificio, reperiri, confessionem sacramentalem ante Eucharistiæ sumptionem esse præceptam, hoc assumptum penitus inficiamur, vtpote ab ipsa veritate alienum, & etiam pernicioſum. Et cum specialiter probatur, quia non inuenitur in sacris literis, id esse præceptum, quinimmo ex Apostolo oppositum colligitur, dum ait hominem antequam de illo pane edat, & de calice bibat debere per solam cordis contritionem seipsum probare, nec dicere Paulum, panem cœlestem sumpturum à confessore esse probandum. Dicimus & hoc quoque subsumptum, ab ipsa veritate abhorrere, quia ex Apostolo pulchre intellecto, & non proprio ex spiritu interpretato, propositum, & præceptum habemus, & nullatenus oppositum, vti fusius in prima declaratum fuit conclusione; Cum enim asserit Apostolus, hominem ante Eucharistiæ sumptionem, debere seipsum probare, haudquaquam intelligit probationem hanc, per solam cordis contritionem esse fiendam (vt comminiscitur Caietanus) atqui etiam

Confessionem sacramentalem faciendã esse ante Eucharistiæ sumptionem esse præceptam ex sacris literis habetur.

per confessionem. Nonne obsecro homo dum confitetur lætalia sua crimina, pulcherrime seipsum probare dicitur? Equidem, cum in hoc vera probatio consistat, vt quamdiligentissime conscientiam suam discutiat, examinet, de peccatis perpetratis doleat, & conteratur, ac etiam habita confessoris copia, confiteatur, cum ex confessione ipsa contritio perfecta reddatur; Nam si quispiam attritus duntaxat esset, confiteretur tamen, tantæ virtutis extat ipsa confessio, vt hunc ex attrito, contritum efficeret; Quare ad hoc vt homo perfecte seipsum probet, quo digne suscipere valeat cœlestem panem, Christum videlicet sub panis speciebus contentum, vt confiteatur oportet. Hic nempe confitendi actus, quo quispiam se clauibus subijcit ecclesiæ, ipsius pœnitentis est, quēadmodum, & contritionis actus, & vterque ad eiusdem pœnitentis probationem, maxime spectat, quia dum conteritur, simul & confitetur, ac absoluitur à Christi ministro, nempe sacerdote, plene iustificatur, sicque ad sumendam sacram Eucharistiam, vere probatus, accedit. Vult enim Apostolus probationem hanc fieri, modis omnibus, & opportunis medijs quibus purificatur anima, inter quæ certe media, ac perneccessaria, sunt contritio, & ipsa confessio. Fatemur ergo cum Apostolo, hominem debere seipsum probare, atqui non per seipsum solum, quoniam cū spirituali laboret infirmitate, & vere sanari nequeat, nisi medicum adeat, vel vocet spiritualem, nempe sacerdotem, cui vulnera detegat, necessum est, eius expectet iudicium, & sibi præstitam sumat medicinam, ipsum ad sanitatem conducentem. Hinc fit, vt falsa sit ipsius Caietani interpretatio, qua docet probationem hanc ab Apostolo præceptam, per solam contritionem fieri debere. Non enim talem vnquam docuit, tenuit, & approbauit Ecclesię catholicę vsus, quare abijcienda est penitus, & veluti falsa repellenda, eriam ex eius doctrina supra adducta.

Cum

Cum deinde argumentabatur confessionem ante Eucharistiæ sumptionem, non esse iure pontificio præceptam, quia nullum reperitur ius pontificium, id præcipiens, Id prorsus negatur, nec immerito, quia iam ex secunda conclusione, & eius declaratione supraposita, constat, euidentissimæque claret, eam ipsam, à duobus concilijs generalibus fuisse præceptam. Nam in concilio Lateranensi, sub Innocentio tertio Pontifice maximo celebrato, vt habetur, de Pœnit. & Remiss. cap. Omnis vtriusque sexus, præceptum fuit, vt cuncti Christi fideles, saltem semel in anno, nempe in paschate, & confiteantur, & sacram communionem accipiant. Cumque apertissime videatur ex sacri concilij, & pontificis decreto, non ob aliud præceptam fuisse annualem confessionem, nisi ob sumendæ sacræ Eucharistiæ præceptum, vt sic quisque digne, nitideque conscientia, hoc ipsum tam admirabile sacramentum sumat, hinc optime patet, vt quotienscunque quis digne est communicaturus, antea confiteri teneatur. Non enim maior apparet ratio, de confessione præmittenda ipsi communioni, vno tempore, quàm alio, & propterea si paschatis tempore tenetur quis confiteri, ante sacræ communionis receptionem, tenetur & semper eandem communionem suscepturus, confessionem præmittere. In concilio autem Tridētino Sess. xiij. cap. vij. & can. xj. id quod iamiam dictum est, confirmatur, & apertius commostratur, at decernitur. Et propterea libet eadem taxat repetere, quæ in can. ipso. xj. scripta sunt, quæque in probatione secundę conclusionis suprapositæ adducta fuere. Sic enim ibi legit statuit, atque declarat ipsa. S. Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis grauat, quantumcunque etiam se contritos existiment, habita confessionis copia, necessario præmittendam esse confessionem sacramentalē, Si quis autem contrarium, docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando, defendere

Confessionem ante Eucharistiæ sumptionē esse iure pontificio præceptā ostēditur.

Concilium Lateranense.

Concilium Tridentinum.

Si quis tenere præsumpserit, confes-

sionem sacramentalẽ, non necessariam esse ante sumptionem Eucharistiæ habita cõfessoris copia, excõmunicatus est, ex determinatione sacri Concilij.

fendere præsumpserint, eo ipso excommunicatus existat. Ex hac sanè concilij sacri determinatione, luce clarius constat, semper communicaturo necessario permittendam esse sacramentalem confessionem, quam si omissi rit, confessoris copiam habens, mortalis sit reus criminis. Nec deinceps cuipiam licet, huius oppositum tenere, vel docere, aliter eo ipso excõmunicationis laqueo irretitur. Aiebat amplius ipse Caietanus, confessionem ipsam non esse necessario præmittendam ex naturalis discursus, ratione, à doctoribus sacris allata, quoniam tota eorum ratio in hoc potissimum consistebat, vt oporterer, accessuros ad sacram communionem mundos esse, non solum dei iudicio, quod per contritionem fit, sed etiam iudicio ministrorum ecclesiæ, quod non nisi per confessionem euenit. Verum asserebat rationem hanc minime cogere vt præmittatur necessario ipsa confessio, quia sufficit tales, sacramentum Eucharistiæ sumpturos, mundos esse, vel iudicio ministrorum ecclesiæ, vel iudicio domini ipsorum ministrorum. Ad hoc respondendo, dicimus, rationem prędictam, à doctoribus sacris allatam, necessario concludere, responsionemque Caietani datam, nullatenus ipsam infringere, vel infirmare, quoniam cum sumptio tam mirabilis sacramenti, maximam in sumente exigat dispositionem, & probationem, propterea oportet tales hoc diuinissimum sacramentum sumpturos, mundos, probarosque esse, non solum, domini ministrorum iudicio, at etiam eorundem ministrorum, quia cum deus ac dominus præfatos ministros, instituerit sacramenti pœnitentiæ iudices, decreuit, & voluit, ipsorum arbitrio, pariter & iudicio, omnes accedentes ad hoc sacramentum Eucharistię, digne sumendum, probatos, mundosue esse, præsertim, cum ex ipso confessionis sacramento fiant, sæpe numero ex attritis, contriti; Dicitur prærerea, verum minime esse, illos, qui confiteri renuunt, dignos

Tenentur sacrã Eucharistiã sumpturi, võne naturalis discursus, cõfessionem præmittere.

mundos

mundosque esse iudicio domini dei, quandoquidem tales vera contritione, quæ propositum implicat confitendi tempore suo, apertissime careant. Nam si vera contritione pollerent, vtique instante necessitatis tempore, nempe communionis sumendæ, & habita confessoris copia, libenti confiterentur animo. Non itaque probati mundique sunt astruendi domini dei iudicio, qui cum oportet, confiteri renuunt.

Nunc duabus eiusdem Caietani, supereſt respondere rationibus, & vni confirmationi. Arguebat enim sic ratione prima. Quia actus hic, qui est contritum ipsum de mortali peccato non confesso, Eucharistiam sumere, non est ex genere suo mortale peccatum, quia si foret, in nullo vnquam casu liceret, atqui quandoque licitus est, vt cum deest confessoris copia, igitur & existente eiusdem confessoris copia, licitus erit. Mirandum sanè est, quonam modo, vir tam præclaro ingenio pollens, tamque diu in dialecticis versatus, tam falsam intulerit consequentiam. Qualis obsecro, est huiusce consequutionis apparentia? Hic actus, qui est, contritum non confessum, Eucharistiam sumere, licitus est, non habita confessoris copia, igitur & licitus est eadem confessoris existente copia. Debuit enim vel ex hoc manifestissimam consequentiæ falsitatem agnoscere, quia & si prædictus actus licitus reddatur, ex eo quod nullatenus potest haberi confessoris copia, quoniam ad impossibile nemo tenetur, non tamen si actu habeatur huiusce modi copia, licitus est, quia tenetur contritus, tum ex diuino, tum ex positiuo iure, confiteri ante Eucharistiæ sumptionem habita confessoris copia, & quolibet ammoto impedimento, vt supra probatum est, & propterea reus est fracti præcepti, si nō confiteatur. Dicimus enim hunc actum, qui est contritum & confessum, Eucharistiam sumere, esse actum præcepti affirmatiui obligantis semper loco, & tempore necessitatis, & propterea imminente Eucharistiæ

Prima Caietani tō aduersus eandem conclusionem facta dissoluitur.

charistiæ sumptione, adest necessitatis tempus, & sic oportet non solum conteri sed etiam confiteri, aliter præcepti transgressor existit, secus est de non habente confessoris copiam. Nec est verum, quod habere vel non habere copiam confessoris, per accidens se habeant ad confessionem fiendam ante communionem, quinimò maxime per se id concurrit, quoniam posita tali confessoris copia, ponitur præceptum, hacque remota, & ipsum remouetur.

Secunda hac argumentabatur ratione. Duobus iniquebat existentibus præceptis affirmatiuis, & propterea suapte natura solum obligantibus necessitatis tempore, in hoc manifesta perspicienda est differentia, quod sumptio Eucharistiæ determinat necessarium tempus, respectu præcepti contritionis, nec necessarium determinat tempus respectu præcepti confessionis, quia sumptio Eucharistiæ, præexigit absoluta necessitate, vt probet seipsum homo per contritionem, & non præexigit absoluta necessitate vt probetur à confessore, ergo ante communionem confessio non est in præcepto, quia tunc non est tempus necessitatis absolute, nec fit tempus necessitatis ex ipsa sumptione Eucharistiæ, sicut ex eadem fit tempus necessitatis respectu contritionis.

Secundæ Caietani rationi, respondetur.

Huic rationi, quam fortasse existimat esse demonstratiuam, quamfacillime respondetur, negando quod Eucharistiæ sumptio non determinet necessarium tempus respectu præcepti confessionis, sicut respectu præcepti contritionis, & quod non præexigat absoluta necessitate, vt à confessore probetur, quemadmodum absoluta necessitate præexigit vt homo seipsum per contritionem probet, suppositis, scilicet, confessoris copia, & ammota quacunque vrgente necessitate. Hæc enim duabus conditionibus appositis, & adiectis, ita necessaria est ante sumptionem Eucharistiæ ipsa confessio, sicuti ipsa contritio. Ad cuius responsionis claritudinem animaduer

maduertendum est, contritionem, vtpote, interiorem voluntatis actum, nullatenus impediri posse, & propterea absoluta necessitate, necessariam fore, ac necessario præexigi, ante Eucharistiæ sumptionem, verum confessio ipsa, cum actus sit exterior, multifariam impediri potest, ante talem Eucharistiæ sumptionem, eapropter, vt in eandem coëat cum contritione, necessitatem, opus est, vt his saltem duabus sit connexa conditionibus, videlicet, vt confessoris adsit commodum, seu copia, & extrinsecum quodlibet remoueatur impedimentum, quibus sanè extantibus confessio, & contritio, respectu Eucharistiæ sumendæ, eandem prorsus induunt necessitatem. Et ob id claret Caietanum in sua ratione, vndique falsum assumpsisse.

Postremo ad confirmationem ipsam, neganda est consequentia. Non enim equa est ratio susceptionis Eucharistiæ sacramenti, & aliorum. In hoc nanque vti in eo quod vere, realiter, præsentialiterque Christum continet, verum deum, verumque hominem, qui se, ob ineffabilem eius, erga nos caritatem, in edulium nobis fidelibus præbet, exigitur, vt hoc ipsum sacramentum suscipere volentes, nitidiori conscientia, puriorique corde, quod per contritionem, & confessionem, ac sacerdotis absolutionem fit, ad ipsum sumendum accedamus. Dicitur secundo, & optime Antecedens assumptum, falsum esse, quinimò contradictionem implicare; Quoniam si quispiam sit vere contritus, necessario confitendi propositum habet, cum oportuerit; Nam vt supra tactum est, in vera contritione, semper confitendi votum includitur, à quo sanè voto confitendi cum necessitas exegerit, contritio ipsa efficaciam trahit, & habet vt vera appelletur contritio, quo voto deficiente, iam contritio vera dici nequit; Si igitur vere contritis (vt assumebatur) licet alia sacramenta administrare & suscipere, necessum est, & ipsam confessionem

Ad confirmationē responsio.

Secunda responsio.

præmitte

præmittere, si mortale peccatum euitari debet; Implicat enim quempiam esse vere contritum, dum administrat & suscipit sacramenta, & eundem non esse confessum semoto quolibet impedimento, cum vera contritio, vt dictum est, confessionem necessario exposcat. Asserere igitur vere contritis licere alia administrare sacramenta, & eadem suscipere absque confessione, & absque peccato mortali, est asserere, tales esse vere contritos, & non vere contritos quod implicat contradictionem. Ex his liquet, opinionem quoque Ricardi, ac Theophilacti, falsam esse, quæ oppositum astruebat. Et hæc de quæstione hac dicta sufficiant.

Quæstio. De confessione sacramentali. Num sit à Christo instituta, & præcepta.

VAERITVR. Num confessio, quæ vere secunda est pœnitentiæ sacramenti pars, sit de diuino iure, nempe à Christo saluatore nostro instituta, & præcepta, ita vt istiusce institutionis ac præcepti solidum, verum & apertum ex scripturis nouitestamenti, testimonium, habere possimus.

In quæstione hac sanè perdifficili, ob varias diuersasque doctorum opiniones inter seſe pugnantes ac admodum dissidentes, sic procedendum reor. Nam primo eidem confessioni, definitionem, seu descriptionem assignabimus, vt ea res ipsa innotescat, de qua disputationem agimus, secundo id probabimus, quod in quæsito ipso supponimus, nempe quòd confessio, pars sacramenti pœnitentiæ extet, tertio nonnullas doctorum opiniones, minime veritati consentaneas, in medium adducemus, quarto aduersus hasce opiniones, conclusionem veram & Catholicam ponemus, quam pulcherrime, tum sacrarum scripturarum, tum sanctorum doctorum testimonio, tum denique ratione ipsa comprobabimus, & clarissimam reddemus, qua & prædictarum opinionum falsitas eluescet, Demum obiecta si qua emerserint, diluemus. *Dicendorũ series.*

Quo ad primum sciendum est, complures, confessionis, definitiones dari vt ex. D. Thom. iiij. sent. dist. xvij. q. iij art. ij. quæstiuncula. j. liquet, quarum prima ex Augustino super Psalmum. lxvj. elicitur, dum *Confessionis multiplex datur definitio.*

dum inquit, Confessio est per quam morbus latens, spe veniæ, aperitur. Ipsa enim actus quidam est à peccatore, coram proprio sacerdote claues ecclesiæ habente, exercitus, quo sanè peccata præsertim lætalia aperiuntur, atque recensentur, non ob aliud quidem ni vt ipsorum à deo veniam consequantur, accedente, vera ipsius sacerdotis absolutione. Cui & arridet id quod habetur ex Gregorio, homil. xl. super cap. xvj. Lucæ. vbi ait; Confessio est peccatorum detestatio, & ruptio vulneris. Tertia ab alijs assignatur inquientibus, Confessionem, esse legitimam coram sacerdote, peccatorum declarationem. Postrema à quibusdam alijs explicatior ponitur, asserentibus, Confessionem esse sacramentalem delinquentis accusationem, ex erubescentia, & per claues ecclesiæ, satisfactoriam, ipsum delinquentem, ad peragendam pœnitentiam sibi iniunctam obligantem. In hac quippe vltima, tangitur sacramẽtalis actus, seu peccatorum enumeratio, dum dicitur, ipsam & sacramentalem delinquentis accusationem, quæ quidem coram proprio sacerdote fieri debet, aliter erubescentia minimè adesset, Tangitur & ipsius sacerdotis, delinquentem audientis, absoluendi potestas, ac iniungendi pœnitentiam, dum subditur, eamipsam esse satisfactoriam; per claues ecclesiæ in ipso sanè sacerdote mini sterialiter existentes, quibus pœnitentem absoluit, in deque eidem pœnitentiam iniungit salutarem. Ex hi sce itaque definitionibus clare colligitur, confessionem ipsam, esse pœnitentis actum, quo sua ac omnia speciatim recenset crimina, præsertim lætalia, proprio sacerdoti, qui cunctis auditis, ecclesiæ claues exercet, dum ipsum absoluit, & pro peccatis, debitam imponit pœnitentiam. Hæc enim omnia, in sacramentali implicantur confessione. Quòd si quispiam obijceret, delinquentium quandoque peccata, aperta ac publica esse, ita vt etiam confessor ipse, illa dignoscat, & propterea non opus esse, vt illa in confessione

Obiectio quæ fieri posset.

fessione recenseat; Animaduertat sic ob iciens, sacerdotem, seu proprium confessorem, vt hominem qui dem posse scire peccatum aliquod publicum, atqui vt Christi Vicarium, & eius iudicem, idipsum ignorare, & proinde necessum esse, vt illud idem per confessionem, peccator aperiat, quo absolutionem ab ipso Christi Vicario ac iudice, recipiat. Et hæc de primo. *Obiectioni satisfit.*

Quo ad secundum quod in quæsito supponebatur, nempe quòd confessio sacramentalis, pars sit sacramenti pœnitentiæ nunc perpulchre probatur vnica distinctione præmissa, quam ponit. D. Thom. iij. q. xc. art. ij. inquiens, alicuius rei, duplicem partem esse posse, alteram quidem, quæ pars essentiæ dicitur, eo modo quo dicimus, animam intellectiuam, partem esse essentialem ipsius hominis, similiter & corpus ipsum, quoniam componitur homo ex hisce duabus partibus, veluti ex partibus essentiæ, quæ (si definiretur homo) in eius definitione ponerentur, alteram vero partem, esse, quæ quantitatis pars asseritur. Et qm quantitas semper materiæ innititur, eamque merito sequitur, ob id, pars quantitatis, materiæ pars esse astruit, veluti diceremus, partes humani corporis, nempe, caput, manus, ac pedes, partes esse quantitatiuas & materiales, quandoquidem ex ipsis & alijs partibus, corpus ipsum materialiter integretur. Itaque hac distinctione præmissa, dicitur quòd Confessio est pars materialis ipsius sacramenti pœnitentiæ, vt optime tellatur. D. Thom. vbi supra & perpulchre probatur auctoritate & definitione Cõcilij Florẽtini sub Eugenio quarto celebrati, inquientis. Quartum sacramentum est pœnitentia, cuius quasi materia, sunt actus pœnitentis qui in tres distinguuntur partes, quarum prima est cordis contritio, ad quam pertinet vt doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero, secunda est oris confessio, ad quam pertinet vt peccatori omnia

Rei materialis, duplex est pars, essentialis, videlicet, et quantitatiua.

Confessio pars est materialis sacramẽti pœnitentiæ.

Tres sacramenti pœnitẽtiæ partes sunt, secũdum Florentinum Concilium, videlicet, cõtritio, confessio & satisfactio.

omnia peccata quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia satisfactio pro peccatis secundum arbitrium sacerdotis, quæ quidem præcipue fit per orationem ieiunium, & elemosinam Forma huius sacramenti est. Ego te absoluo. Hoc idem confirmatur auctoritate sacri Concilij Tridentini Sess. xiij. cap. iij. vbi sic dicitur. Docet præterea sancta synodus sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipue vis sita est, in illis ministri verbis, positam esse. Ego te absoluo, &c. quibus quidem de Ecclesiæ more præces quædam laudabiliter adiunguntur, ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius sacramenti administrationem sunt necessariæ, Et illico subdit. Sunt autem quasi materia huius sacramenti, ipsius pœnitentis actus, nempe, contritio, confessio, & satisfactio, qui quatenus in pœnitente, ad integritatem sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem, ex dei institutione requiruntur. Hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur. Et licet hæc, ad probationem istius quod supponebatur, sufficere videantur, vtpote, irrefragabili prædictorum, veritate, conciliorum munita, nihilominus, nonnulla doctorum dicta ac asserta, his, addere placuit. Inquit enim sententiarum Magister dist. xvj. In perfectione pœnitentiæ, tria obseruanda sunt, scilicet compunctio cordis, confessio oris, satisfactio operis. Et Ioannes Chrisostomus sermone. xxix. de pœnitentia. Tom. ij. ait. Perfecta pœnitentia, cogit peccatorum omnia libenter ferre. In corde enim contritio, in ore confessio, in opere tota humilitas. Hæc est fructifera pœnitentia. Quæ auctoritas habetur. De Pen. dist. j. & iij. cap Perfecta. Augustinus quoque. De ser. domini in monte. lib. j. cap. xxiij. ait. Tres sunt peccati differentiæ, & in corde, & in facto, & in consuetudine, vel verbo, tanquam tres mortes. Et infra subdit. Huic ergo triplici mortali triplici remedio occurritur,

Concilij Tridentini determinatio de pœnitentiæ sacramento.

Magister sent.

Ioannes Chrisostomus.

Augustinus.

tur, contritione, confessione, satisfactione. Ex his autem clarissime conuincitur falsa, ac erronea Scoti positio, dist. xiiij. q. iiij. & dist xvj. q. j. quarti sen. qua negat, contritionem, confessionem, & satisfactionē, partes esse sacramenti pœnitentiæ, sed potius dispositionem pręuiam vt digne suscipiatur sacramentum, ea motus ratione, vt. xiiij. dist. asserit, quia sacramentum pœnitentiæ, apud ipsum, non est nisi sola sacerdotis absolutio, qua virtus clauium ad conferendā gratiam applicatur. Hæc sanè opinio, huiusce sacramenti materiam, partem essentialem penitus aufert, quod supradictis duobus cōcilijs omnino repugnat; Componitur etenim sacramentum quodlibet ex propria sua materia, suaque forma tanquam partibus essentiæ. Et licet forma principalior pars sit materia tamen & ipsa, necessario concurrit, cum nequeat sacramenti forma, sine materiæ concursu, gratiam afferre. Vtraque etenim pars, signum & causa est gratiæ. Nam pœnitentis actus, dum clauibus subduntur ecclesiæ, gratiæ sacramentalis, causa existunt. Falsa igitur & periculosa est nunc præfata Scoti opinio, vtpote sacris concilijs aduersa, & propterea nullatenus tenenda, atque sectanda. Et hæc de secundo.

Scoti positio de Sacramento pœnitentiæ, erronea.

Prædicta Scoti positio, sacris repugnat conciliis.

Quo ad tertium. Num videlicet confessio sacramentalis sit à Christo instituta, pariter & præcepta, idque ex sacris litteris probari queat. Ad quæsitum istud, respondent doctores, suisque in responsionibus haud parum dissident. Nam Glos. De Pen. dist. v. in principio, postquam plures aliorum opiniones, hac de institutione recensuit, quas consulto reticendas existimo, propriam ponit, inquiens, sed melius dicitur, oris confessionem, institutam fuisse à quadā vniuersalis ecclesię traditione, potius quàm ex noui vel veteris testamenti auctoritate, quæ quidē traditio ecclesiæ obligatoria est, vt præceptum, quod probat. ex. cap. In his rebus. dist. xj. & concludens subdit, ergo necessaria est cōfessio in mortalibus, apud nos,

Opinio Gloss. De institutione sacramentalis confessionis.

apud græcos non, quia non emanauit ad illos traditio sicut nec conficiunt in azimis, sed in fermentatis. Cui opinioni assentit Panormi. c. Omnis vtriusque sexus. De Pœnit. & remiss. dum inquit. Et multum mihi placet hæc opinio, quia non est aliqua auctoritas scripturæ aperta, quæ innuat deum, seu Christum instituisse confessionem fiendam sacerdoti. Et subdit, hodie tamen cum sit generalis apud nos illa traditio, mortaliter peccaret latinus, non vtendo confessione. Ab his duabus opinionibus, haud multum abesse videtur, sanctus Bonauentura dist. xvij. iiij. sent. art. j. par. ij. distinctionis, q. iij. prout recitat Sotus dist. xviij. iiij. sent. q. j. art. j. qui ait, in pœnitentię sacramento, duo esse, scilicet absolutionem, quæ est formale sacramenti, & confessionem quæ est materiale, quorum primum Christus instituit, Ioan. xx. secundum vero non, sed insinuauit, & ideo confessio (inquit) est à Christo insinuata, & ab Apostolis instituta, & à Iacobo promulgata, cap. v. Epistolę suæ, Et subdit, idem Sotus, hanc suam doctrinam ad litterã desumpsisse, ab Alex. de Ales. iiij. par. summę q. lxxvj. memb. iij. art. ij. Scotus autem dist. xvij. Fatetur ex verbis illis saluatoris, Ioan. xx. institutum quidem à Christo fuisse pœnitentiæ sacramentum, at non tanquam necessarium, sed tanquam vtile, proindeque sacerdotibus commissum esse peccatorum iudicium, non vt necessarium, atqui vt arbitrarium solum & vtile. Hincque fieri, (subdit) vt si quispiam teneret, confessionem ipsam, solum de præcepto esse ecclesiæ, nequiret facile impugnari, quamquam rationabilius asseuerandum sit, eam ipsam de iure esse diuino. Ex his Scoti verbis videtur aperte colligi, ipsum velle, confessionem sacramentalem, equidem à Christo fuisse instituram, at non tanquam necessariam licet vtilem, & proinde ab ipso minime præceptam. Postremo Reuerendissimus Caietanus alioquin vir doctissimus, opinatur ex supradictis Ioannis

Opinio Panorm. circa eandem confessionis sacramentalis institutionem.

Opinio. D. Bonauenturæ, de institutione præfatæ confessionis.

Scoti opinio. De institutione confessionis sacramentalis, & eius necessitate.

Caietani opinio,

nis Euangelistæ verbis cap. xv. confessionem ipsam sacramentalem, perpulchre quidem esse à Christo institutam, sed non auricularem, nec hanc ipsam esse præceptam. Inquit enim in Commentarijs suis super præfato capite, & super verbis illis. non alium esse locum, sed eundem fore primum & vltimum, in testamento nouo, in specie peccatorum remissionem, ab hominibus fieri posse, explicantem. Modū autem confitendi ad aures, quo Catholica vtitur ecclesia, ratione cuius auricularis confessio vocitatur tenet ab ecclesia fuisse institutum. Quare ad obiectionem ab ipso factam, respondens, ait, quòd sicut in baptismo, Christus non instituit modum baptizādi, siue immergendo, siue infundendo, siue aspergendo, sed modos reliquit ecclesiæ vsui, ita in sacramēto pœnitentiæ instituit confessionem voluntariā peccati, sed modum confitendi, & similiter absoluendi, an ad aurem, an publice, ecclesię vsui reliquit, iuxta tñ qualitatem peccati, publici vel occulti. Hæ sunt famose doctorum hac in re opiniones, quæ quantum veritatis, falsitatisue, contineant, sequenti conclusione perspicuum fiet. *De præfate confessionis institutione ac præcepto.*

Quo ad quartum igitur, hæc affirmatur cōclusio, videlicet.

Confessio sacramentalis pariter & auricularis nō ab alio præterquam à Christo saluatore nostro instituta est, ab eodemque præcepta.

Conclusio hæc, cum duas habeat partes quo ad vtrasque pulcherrime probatur. Et prima quidem, nempe q confessio sit à solo Christo institura, clarissima euadet, si ab illo saluatoris axiomate; Matth. xviij. exordium sumpserimus, idipsumque declarauerimus, quod suis dixit Apostolis, videlicet. Amen dico vobis. quæcunque alligaueritis super terrā, erunt ligata in cœlo, & quæcunque solueritis, erunt soluta in cœlo. Quoniam ex hisce verbis, constat, Christū verum deum, verumque hominem, duplicem eis,

Christus dominus duplicem Apostolis suis clauē dedit, scientiæ, scilicet, & potentiæ.

suisque successoribus dedisse, seu communicasse clauem, non quidem materialem, at spiritualem, alteram, scientiæ, potentiæ, alteram. Clauis quippe scientiæ est facultas, siue potestas, iudicibus ecclesiæ, nēpe sacerdotibus, à Christo collata, qua discernunt, iudicant, & definiunt, quinam digni sint, ac benemeriti, vt in regnum cœleste recipiantur, quique indigni im meritiue, vt ab eodem penitus regno secludantur.

Clauis scientiæ qd sit.

Clauis vero potentiæ, est facultas qua præfati iudices exequuntur ea omnia, quæ per clauem scientiæ definita, seu iudicata sunt. Et hæc claues reuera sunt, quas iampridem ipse Christus Matth. xvj. Petro pollicitus fuerat se daturum, dum dixit. Tibi dabo claues regni cœlorum; Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum in cœlis, & quodcunq; solueris super terram, erit solutum in cœlis. Has aūt claues, veluti spirituales, in solo deo, per essentiam, & auctoritatem, esse dicimus, qñquidem ipse solus, ostium cœli, per lætalia crimina, clausum, aperiat, gratiam infundendo, & peccata remittendo, claudatque gratiam haud tribuendo, & peccata, minime delendo.

Clauis potentiæ definitio.

Claues p̄fate, in solo deo per essentiam, & auctoritatem, sunt.

In Christo sunt claues excellentiæ.

In Christo vero, solo, vti ecclesiæ capite, per excellētiam, easdem extare docemus, quoniam per suæ passionis meritum, cœli ianuam aperuit, peccatorum obstacula remouēdo, eamque his clausit, qui in suis permanentes sceleribus, præfate passionis fructum effectumque percipere negligunt. In sacerdotibus postremo Christi ministris, pariter & iudicibus has ipsas ministerialiter solum reperiri astruimus, quia cum ex latere Christi dormientis in cruce, sacramēta profluxerint, quibus catholica fabricatur ecclesia, in eisdemque passionis virtus remaneat, quorum sacerdotes ipsi, dispensatores existūt, ob id, haud propria, sed diuina virtute, & passionis Christi efficacia, peccata remittere, vel retinere ministerialiter perpulchre dicuntur. Dum enim sacerdotes per sacramentum pęnitentię, fidelibus, actualia peccata remittūt,

ea

eaipsa soluunt,& eisdem, cœlum aperiunt, dumque ipsa retinent,ligant,cœlumque occludunt, sicque cla uium actus ministerialiter exercent. Hasce autem Apostolis, eorumque successoribus, & ministris à Christo post resurrectionem suam, fuisse traditas, ex illo Ioannis cap.xx.apertissime comprobatur,vbi dicitur. Accipite Spiritum sanctum. Quorum remi seritis peccata,remittuntur eis,& quorum retinueritis,retenta sunt.His certe verbis,velint,nolint,hæretici,pœnitentiæ sacramentum instituitur,confessio sacramentalis pariter & auricularis ordinatur,& vtraque sacerdotibus,clauis,impenditur.Hæc omnia clarescent, si isthęc verba à Christo prolata,iuxta germanum catholicumque sensum,interpretentur. Itaque eorum interpretationi,operam demus. Accipite inquit Spiritum sanctum,vt eo rectore, eo duce, ipso suggerente,impirante illuminante,& docente,ea expleatis,ea exequimini,quæ vobis faciunda ppono. Accipite inquam Spiritum sanctum, quo admirabilē vobis,diuinamque potestatem,nunc nunc tradendā, quàm rectissime,exercere valeatis.Hæc autem est mira potestas quā vobis, cæterisque sacerdotibus vices vestras frangentibus,prębeo, vt quorumcunq; sacro baptismate ablutorum meamque fidem sectantium, peccata remiseritis,remittuntur eis; Remiseritis inquit Christus,& non remissa dixeritis, aut commoestraueritis,seu declaraueritis,quoniam hæc peccatorum remissio per sacerdotes effecta, nō solum significationem,at efficientiam,licet ministerialem,dicit, Et quorumcunque(subdit)retinueritis retenta sunt. Eadem quippe potestate,qua delicta omnia, tū cordis,tum oris,tum denique operis, remittetis, eadem quoq; sancto suggerente spiritu,peccata,retinebitis. Huc quæso accedant hæretici, huc accedant quicunque sacramentalem auricularemque confessionem inficiantur à Christo fore instituram. Dicant obsecro,at recta ratione vtantur.Nonne hisce clarissimis

Ex Euangelij verbis pœnitentiæ sacramentū institutū commoestratur.

verbis specietenus Apostolis, eorumque successoribus, claues dantur, auctoritas potestasque cõfertur, remittendi pariter & retinendi non hęc aut illa, atq; omnia christicolarum peccata? Id prorsus fateãtur, necessum est. Cumque talis peccatorum vera remissio, & ipsa retentio, fieri nequeat nisi per absolutionem exhibitam, quę forma est sacramenti pœnitẽtię, vel eiusdem absolutionis negationem, per quam delicta retinentur, nonne luce clarius cernunt, his verbis, & sacramentum pœnitentiæ institutum, & confessionem eius partem pariter institutam firmatam & promulgatam esse? Atqui catholicam hanc veritatem adhuc clariorem apertioremque reddamus. Per spicuum est enim, q̃ dum Christus Apostolis suis, ac cunctis eius ministris, nempe sacerdotibus, potestatem tradidit remittendi retinendique peccata, ipsos constituisse iudices quandoquidem remittere, ac retinere, actus sint, iudicium iudicis præsupponẽtes, & agnitionem causæ remissionis, ac retentionis expostulantes, Itaque operæprecium erit, vt sacerdotes Christi ministri, & iudices instituti, antequam iudicium, ac sentẽtiam ferant, reorum crimina norint, si æquum debeat esse iudicium. Cum autem ea ipsa, præsertim occulta mortalia, scire nequeant, nisi proprio conficiantur ore, necessarium penitus erit, vt speciatim singula, proferant, indicentque sacerdoti attentissime audienti, quo digno scere valeat, nũ rei, digni, vel indigni sint absolutione, & digni quidem absoluantur, indigni vero ipsa absolutione careant. Quòd autem auricularis confessio ab ipsomet Christo saluatore, non autem ab humano iure sit instituta clarissime probatur. Quia cum ex supradictis verbis Ioan. xx. pulcherrime probatum fuerit Christum ipsum, confessionem sacramentalem instituisse, dum Apostolis eiusque successoribus claues tradidit, quibus valerent & valeant, quæuis peccata etiam occultissima remittere, vel retinere, nequeantq; id efficere

Christus per præfata verba, instituit Apostolos & sacerdotes ministros, suos iudices.

Confessionem auricularem, sive secretã, a Christo esse institutam efficacissime probatur.

ni

ni pœnitentes ipsi, sacerdotibus veluti ordinarijs iudicibus crimina detegant & singula, iusque naturæ pariter & diuinum, omnino exposcant, vt id quod secretissimum est & occultissimum, mortalis tamen & quandoque nephandi criminis naturam habens, à quopiam perpetratum, publice minime detegatur, & confiteatur, ne ob id apud omnes, perpetua vratur infamia, eapropter necessum est, vt id quod occulte perpetratum est, occulte secretæque confiteatur. Si igitur confessio sacramentalis à Christo est institura, vti probatum est, & eius quoque naturalis modus, vtpote ipsam necessario sequens, ab ipso erit institutus. Et quis obsecro, nisi demens, astruere potest, quæpiam, maxima exitialia perpetrantem crimina, ad cõfessionẽ illorum publicam teneri? Quæ enim à deo sunt maxime ordinata sunt, igitur si occultissima, tũ cordis, tum oris, tum deniq; operis confitenda sunt, & non publice, igitur secrete, ad auremque confitenda erunt, ob idque pulcherrime concludetur, auricularem confessionem, non ecclesię vsui, quo ad eius modum esse relictam. Modus enim cuiuspiam rei, rem ipsam naturaliter, ac necessario sequens, ab ipsa, separari nequit. quamuis possit si sit extraneus, modus autem prædictus necessario confessionem sequitur sacramentalem respectu occultorum criminum quare ab ipsa inseparabilis est. Nec est æqua ratio de modo baptismatis, cum hic modus, quocunque modo fiat, & publice semper, & absque baptizati præiudicio fieri quæat, quod de modo confessionis dici nõ potest. Non tenet igitur similitudo hæc ab ipso Reuerend. Caietano data, loco supra citato. Posset tñ & rectissime dici, modum baptizandi esse à Christo quidem institutum verum ab ecclesia per traditionem Apostolorum esse vsitatum, & obseruatum. Falsa igitur ex his dictis pariter & dicendis, omnino conuincitur opinio ipsius Reuerend. Caietani tenentis auricularem confessionem non esse à Christo institutã.

Ex dictis pariter et dicendis falsa conuincitur, præfata Caietani opinio, ac aliæ omnes supra dictæ.

Falsa quoque & redditur. Glossatoris, & Panormitæ. S. Bonauenturæ opinio, locis supra citatis, aperte docentium eam ipsam sacramentalem, & auricularē confessionem, haud esse à Christo institutam, nec ex sacris literis comprobatam, at potius ex quadam vniuersalis ecclesiæ, vel Apostolorum traditione, emanatam. Et vt hasce opiniones omnino falsas conuincamus, & proinde merito esse repellendas, vtpote sacri Cōcilij Tridentini determinationi, aduersas, eius verba in medium adducimus. Hæc enim eius sunt præcise verba, Sess. xiiij. cap. j. sacramenti pœnitentię, institutionem, declarantia. Dominus autem sacramē tum pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum à mortuis excitatus, insufflauit in discipulos suos, dicens. Accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Quo tā insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles, post baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam vniuersorum patrum consensus semper intellexit, & Nouatianos remittendi peccata olim pertinaciter negantes, magna ratione, ecclesia catholica, tanquam hæreticos explosit, atq; condemnauit. Quare sancta Synodus verissimum hunc illorum verborum domini sensum, probans & recipiens, damnat earum commenticias interpretationes, qui verba illa ad potestatem prædicandi verbum dei, & Christi euangelium annunciandi, contra huiusmodi sacramenti institutionem falso detorquent. Et infra eadē Sess. cap. v. de confessionis sacramentalis, & auricularis institutione hæc verba leguntur. Ex institutione sacramenti pœnitentiæ iam explicata, vniuersa ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse à domino integram peccatorum cōfessionem, & omnibus post baptismum lapsis, iure diuino necessariam existere, quia dominus noster Iesus Christus è terris ascensu

Ex sacri Concilij Tridentini determinatione, prædictæ opiniones omnes, falsæ comprobantur.

rus

rus ad cœlos, sacerdotes suipsius vicarios reliquit tanquam præsides,& iudices,ad quos omnia mortalia crimina deferantur,in quæ Christi fideles ceciderint quo pro potestate clauium remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient. Constat enim sacerdotes iudicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in penis iniungendis seruare potuisse,si in genere dũtaxat,& non potius in specie,ac singillatim sua, ipsi, peccata declarassent. Ex his colligitur oportere omnia peccata mortalia quorum post diligẽtem sui discussionem,conscientiam habent,in cõfessione recenseri, etiam si occultissima illa sint. Et infra circa calcem capituli,sic legitur. Cæterum quo ad modũ confitendi secreto apud solum sacerdotem,etsi Christus non vetuerit quin aliquis in vindictam suorum scelerum,& sui humiliationem,tum ob aliorum exẽplum,tum ob ecclesiæ ędificationem delicta sua publice confiteri possit,non est tamen hoc diuino præcepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege præciperetur,vt delicta presertim secrera,publica essent confessione aperienda. Vnde cum à sanctissimis patribus, magno vnanimique consensu, secreta confessio sacramentalis qua ab initio ecclesia vsa est, & modo vtitur,fuerit semper commendata, manifeste refellitur inanis eorum calumnia,qui cum a diuino mandato alienam,& inuentum humanum esse,atque à patribus in Concilio Lateranensi congregatis,initium habuisse, docere non verentur. Neque enim per Lateranense Concilium,ecclesia statuit, vt Christi fideles confiterentur,quod iure diuino necessarium, & institutum esse intellexerat, sed vt præceptum confessionis,saltem semel in anno, ab omnibus,& singulis,cum ad annos discretionis peruenissent, impleretur. Hucusque sacrum Tridentinum Concilium. Quid obsecro clarius apertiusq. ab hoc sacro Concilio, de huius sacramenti pœnitentiæ,sacra

cramentalis, ac auricularis, seu secretę confessionis, institutione, ac etiam necessitate dici poterat? Huic catholice veritati, arrident complura. D. Th. dicta. Nam. iiij. Contra Gent. cap. lxxij. inquit, q̃ solus Christus est sacramentorum institutor & auctor; Et. iij. quæst. lxiiij. artic. ij. ad primum ait, quòd ea quæ in sacramentis aguntur, per homines instituta, non sunt de necessitate sacramenti, sed ad quandam spectant solemnitatem ea vero quæ sunt de necessitate sacramenti, ab ipso Christo sunt instituta, qui est deus & homo. Et in responsione ad tertium inquit, quòd Apostoli, & eorum successores sunt vicarij dei quantum ad regimen ecclesiæ constitutæ per fidem & fidei sacramenta, vnde, (subdit) sicut non eis licet aliam ecclesiam constituere, ita non licet eis tradere aliam fidem, neque instituere alia sacramenta. Amplius. iiij. sent. dist. ij. q. j. art. iiij. quæstiuncula. iiij. ait, institutionem sacramentorum ad plenitudinem potestatis Christi pertinere, quam sibi ipse reseruauit in sacramentis, quandoquidem ex institutione habeant sacramenta ipsa quòd significent, & subinculcat, non esse puri hominis sacramenta mutare, vel à sacramentis absoluere, vel eaipsa instituere, quoniam omnia nouæ legis sacramenta, à Christo institutionem habere noscuntur.

D. Thom. sñia, pluribus in locis posita, ad præ cate conclusionis robur, & opinionis antedicto ũ doctorum, eliminationem.

Rõ validissima ex. D. Th. dictis desumpta, ad conclusionis probationẽ. Ad idem alia ratio.

Ex his autem. D. Thom. dictis, talis potest conficiratio. Omnia sacramenta sunt à Christo solo instituta, Pœnitentia est sacramentum & confessio eius pars, vti supra probatum est, igitur tam pœnitentia quàm confessio, à Christo solo institutionem habẽt. Ad idem hæc alia adducitur ratio. Quia qui solus dat sacramentis nouæ legis, virtutem causandi gratiam & institificandi, ille solus est sacramentorum institutor, & author, atqui solus Christus verus deus & homo, dat ipsis sacramentis virtutem causandi gratiam & iustificandi, igitur solus Christus est sacramentorum institutor & auctor. Maior ex se clarissima

rissima euadit, Minor autem probatur, quoniam solus deus est qui principaliter iustificat Rom. viij. & Ioan. primo. Gratia & veritas per Iesum Christum, sacramenta autem instrumentaliter gratiam conferunt & iustificant, vt duo concilia generalia docent, Florentinum, videlicet, & Tridentinum. Nam Florentinum ponens discrimen inter sacramenta veteris & noue legis, inquit quòd antiquæ legis sacramenta haud gratiam causabant, at eam solum per passionem Christi dandam, figurabant, noua autem Euangelicæ legis & gratiam continent, & ipsam digne suscipientibus conferunt.

Tridentinum autem sic habet Sess. vij. can. vj. Si quis dixerit sacramenta noue legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, anathema sit. *Tridentinum Concilium.*

Secunda vero conclusionis pars, nempe quòd confessio sit diuino iure præcepta, nunc elucidanda est & probanda. Et primo quidem hac suadetur ratione. Quia quod mortalibus, fidelibus cunctis in lætale crimen prolapsis, necessarium est omnino ad salutem consequendam, id intelligitur esse præceptum, at pœnitentiæ sacramentum, mortalibus cunctis in lætale crimen prolapsis, necessarium est penitus, ad salutem consequendam, igitur pœnitentiæ sacramentum, intelligitur esse præceptum, tunc vltra pœnitentiæ sacramentum est præceptum, igitur & ipsa confessio quæ est eius pars, vt supra declaratum est. Maior ex eo liquet, Quia non alia ratione baptismatis sacramentum, à Christo constat esse præceptum. Ioan. iij. vbi dicitur, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non potest introire in regnum dei, & Matth. vlt. vb. legitur, Euntes, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris & filij & Spiritus sancti, & Marci vlt. vbi habetur, Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturę. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, *Rō efficacissima, p secunda partis eiusdem conclusionis, probatione.*

nisi

nisi quia absolute simpliciterque ad salutem capessendam est perneccessarium, vtpote quo & originale & actuale peccatum si simul adest, vt in adultis, baptizatis deletur, Si etenim hoc baptismatis sacramentum hac necessitate careret, ita vt eo semoto, possent mortales salutem nanciscí æternam dubio procul non esset à Christo præceptum. At quia originale crimen, & actuale quoque si in aliquo (vt in adulto) simul reperiatur, æternæ salutis, assequutionem impediens, remoueri nequit, nisi per ipsum baptisma, ob id dicitur esse præceptum. Itaque remota huius necessitate & præceptum erit ammotum. Perspicua est igitur maior, & minor perpulchre probatur. Et ex scripturis quidem. Nam Luc. xiij. inquit dominus. Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Ex sacro vero Tridentino Concilio Sess. xiiij. cap. ij. vbi in calce, sic inquit. Est autem hoc sacramentum pœnitentiæ lapsis post baptismum ad salutem necessarium, vt nondum regeneratis, ipse baptismus. Itidem de confessione, cap. v. his verbis affirmat, Ex institutione sacramenti pœnitentiæ iam explicata, vniuersa semper intellexit ecclesia institutam etiam esse à domino integram peccatorum confessionem & omnibus post baptismum lapsis iure diuino necessariam existere, & ibidem rationem subiungit quam quisque ex se videre potest. Ex doctrina autem. D. Thom. pluribus in locis tradita, confirmatur. Nam quarto. Contra Gent. cap. lxxij. sic ait. Cum autem subire pœnam pro culpa, iudicium quoddam requirat, oportet quòd pœnitens qui se Christo sananandum commisit, Christi iudicium, in taxatione pœnæ expectet, quod quidem per suos ministros exhibet Christus sicut & cetera sacramenta. Nullus autem potest iudicare de culpis, quas ignorat, necessarium igitur fuit confessionem institui quasi secundam partem huius sacramenti, vt culpa pœnitentis innotescat Christi ministro. Oportet igitur ministrum

Concilium Tridentinum.

Prædicta secundæ conclusionis pars, pluribus.

D Th. dictis confirmatur.

cui

cui fit confessio, iudiciariam potestatem habere vice Christi, qui constitutus est iudex viuorum & mortuorum. Et. iij. q. lxxxiiij. art. v. ita inquit concludendo. Et ideo necessarium est ad salutem peccatoris quòd peccatum remoueatur ab eo. Quod quidem fieri non potest sine pœnitentiæ sacramento, in quo operatur virtus passionis Christi, per absolutionem sacerdotis simul cum opere pœnitentis qui cooperatur gratiæ, ad destructionẽ peccati. Vnde patet quòd sacramentum pœnitentię est necessarium ad salutem post peccatum, sicut medicatio corporalis, postquam homo in morbum periculosum inciderit. Amplius. iiij. sent. dist. xvij. q. iij. art. j. quæstiuncula. j. ita docet. Passio Christi sine cuius virtute, nec actuale nec originale peccatum dimittitur, in nobis operatur per sacramentorum susceptionem quæ ex ipsa efficaciam habent, ideo ad culpæ remissionem & actualis & originalis, requiritur sacramentum ecclesiæ vel actu susceptum, vel saltem voto, quando articulus necessitatis non contemptus, sacramentum excludit, & per consequens illa sacramenta quæ ordinantur contra culpam cum qua salus esse non potest, sunt de necessitate salutis, & ideo sicut baptismus quo deletur originale, est de necessitate saluris, ita & pœnitentiæ sacramentum. Probatur quoque & ipsa minor assumpta propositio ex sermonibus Augustini de tempore Ser. lxvj. vbi ait. Hortatur nos sæpius sacra scriptura ad medicamenta fugere confessionis, non quòd deus indigeat confessione nostra, cui omnia presto sunt, quæ cogitamus, loquimur, aut agimus, sed nos aliter salui esse non possumus, nisi confiteamur pœnitentes quod iniquæ gessimus negligentes. Verum hanc eandem sententiam & propositionem alijs doctorum dictis, in decretis, expressis, comprobemus. Habetur siquidem. De Pen. dist. j cap. Non potest. Ambrosij auctoritas in libro de Paradiso, *Probatur rursus secunda cõclusionis* inquientis. Non potest quisque à peccato iustificari nisi

pars ex Decreti auctoritatibus.

nisi peccatum ante confessus fuerit. Et sequenti cap. ait. ex sermone quadragesimæ. Ecce nunc tempus acceptabile adest, in quo confessio animam à morte liberat. Confessio aperit Paradisum, confessio spem saluandi tribuit; Vnde scriptura dicit. Die tu iniquitates tuas, vt iustificeris, quia non meretur iustificari, qui in vita sua non vult confiteri. Augustinus quoque ait Homil. xlix. & habetur eadem dist. cap. Agite. Agite pœnitentiam qualis agitur in ecclesia vt oret pro vobis ecclesia. Nemo dicat sibi, occulte ago, apud deum ago, nouit deus qui mihi ignoscit quæ in corde ago. Ergo sine causa dictum est, quæ solueris in terra, soluta erunt & in cœlo, Ergo sine causa date sunt claues ecclesiæ dei; Frustramus Euangelium dei, frustramus verbum Christi. Et Leo papa, eadem dist. cap. Sufficit. inquit. Sufficit pœnitenti confessio, quæ primum deo offertur, deinde sacerdoti qui pro delictis pœnitentium præcator accedit. His igitur apertissimus dictis, satis superque constat minorem esse probaram. Confessionem denique esse à Christo præceptam, probatur auctoritate Reuerendissimi Caietani, suis in opusculis siue quol. Tom. ij. quæsito primo, vbi percunctatur, num omnes, ad confessionem teneantur, & vbi oppositum sentit eius quod in Commentarijs super Ioan. cap. xx. asseruit, dicentis, in prima ratione, pro secundæ opinionis ibi positæ, tuitione. Quòd ratio ecclesiastici præcepti, non est præcipere confessionem, sed præceptam diuino iure, confessionem, determinare quo ad tempus exequutionis, & propterea subdit, sub ecclesiæ præcepto, non alia comprehenditur confessio, quàm illa quæ à Christo est præcepta. Idque rursus ab eodem confirmatur. iij. q. lxv. art. ij. ad quartum dubium respondendo, quòd homo sine peccato mortali existens non tenetur ad confitendum semel in anno, quia non comprehenditur sub his quos præceptum illud ecclesiæ astringit, quoniam præceptum

Augustinus.

Leo Papa.

Confessionem esse à Christo præceptã probatur ex ipsiusmet Caietani scria.

ecclesiæ

ecclesiæ de confessione semel in anno non est nisi determinatio præcepti diuini de confessione, ita quòd deus præcepit confessionem, ecclesia autem determinat præceptum illud ad tale tempus. Ex hisce itaque apertissimis testimonijs eluceſcit secunda pars præfate conclusionis, quæ sanè Catholica veritas est, ex qua, conuincimus Scoticam opinionem & falsam & erroneam esse, vtpote Concilij Tridentini determinationi, aduersantem, nedum tantorum patrum auctoritati & veritati, qua asserebat & pœnitentiæ sacramentum haud necessarium, sed arbitrarium, & confessionem pariter non necessariam at arbitrariam esse. Id enim quod Scotum decepit fortasse est, quoniam arbitratur, ex eo quòd pœnitentes possunt ex pluribus sacerdotibus, absoluendi potestatem, habentibus, quem magis ipsis libuerit, deligere, vt eidem confiteantur, dici debeat arbitraria confessio, atqui maxime fallitur quandoquidem Apostoli & omnes Christi ministri, sint ab ipso instituti, vt ordinarij ac necessarij iudices, quibus, pœnitentes, quo iure subijci debent si aliquo lætali crimine irretiti, suam salutem consequi volunt. Id sanè hoc elucet exemplo. Nam si diceremus regem quempiam in sua ciuitate tres aut quattuor iudices, vt ciuium causas agerent, instituisse, velleque prædictos ciues, illorum quemlibet adire posse pro suæ expeditione causæ, hij certe non quia ciues possunt aliquem illorum iudicum, quem malunt eligere, iudices dicendi sunt arbitrarij, at ordinarij, vtpote à rege instituti, qui cûctis ad eos accedentibus agnita, causa, iudicium suppeditent, sententiam, ferant. Hinc aiebat Concilium Florentinum. Minister huius sacramenti est sacerdos habens auctoritatem absoluendi vel ordinariam vel ex commissione superioris. Necessaria est igitur confessio, non arbitraria, vtpote ordinarijs facta iudicibus qui ordinario iure, virtute clauium, pœnitentes absoluunt. Hinc etiam ex dictis liquido constat, falsam,

erro

erroneam pariter & hæreticam græcorum opinionem, negantium confessionem sacerdotibus esse faciendum, quæ quidem opinio ponitur. De Peni. dist. j. cap. Quidam. Constat insuper Ioannis Vuitcleff. opinionem erroneam esse, & vt hæreticam à Concilio Constantiensi damnatam, qui asserebat homini debite contrito, sibi superfluam inutilemque fore, omnem exteriorem confessionem. Constat demum ex prefati concilij auctoritate, omnes, confessionem sacramentalem antedictam inficiantes, hæreticos esse. Si quispiam vero videre peroptat auctoritates quibus innituntur, male de confessione vocali, sentientes, videat Gratianum. De Peni. dist. j. cap. Porrò. per totum, videat & earundē solutionem. eadem dist. c. Quis aliquando. §. His auctoritatibus. Videat & Magistrum sententiarum dist. xvij. vbi complures ponit auctoritates, quibus negari videtur quod confessio ipsa sacerdotibus facta sit necessaria, & eisdem respondet.

Ex dictis conuincitur hæretica eē græcorū opinionē cōfessionem exteriorē negantiū.

Demum aduersus hanc confessionis necessitatem, vnum adducitur argumentum apparentiam habens, & à. D. Thom. tactum. iiij. sent. dist. xvij. q. iij. art. j. quæstiuncula. j & . iij. par. q. lxxxiiij. art. v. & est tale. Quotiescunque peccatorum remissio per gratiæ infusionem fieri potest absque confessione, eaipsa, minime necessaria est, atqui peccatorum remissio, sine confessione fieri potest, igitur ipsa, non necessaria est. Maior ex se perspicua est, & minor probatur, Quia legitur Ioan. viij. Christum adulteræ, & Petro, Matth. xxvj. & Mariæ Magdalenæ, Luc. vij. absque vlla pœnitentia & confessione, remisisse peccata, & Paulo quoque Apostolo, vt habetur ad Gal. j. Et primæ Cor. xv. & secundæ. xij. igitur non necessaria, ob salutem consequendam, astruetur ipsa confessio.

Argumentum aduersus prefatam cōclusionē.

Huic argumento pulcherrime satisfacit. D. Th. locis citatis, inquiens Christum vtpote dei filium, ecclesiæ

Argumento pulchrē satisfit.

ecclesiæque caput, potestatem, quam excellentiæ vocitamus, habuisse, cui sanè competit, vt delictorum remissionem absque sacramentis efficere possit, ex solius gratiæ infusione, quandoquidem virtutem suam sacramentis, minime alligauerit, & propterea præfatis Apostolis & mulieribus, absque confessione, remisisse peccamina, quod certe alijs sacerdotibus hac potestate carentibus, non conuenit. Cum enim dicimus sacramentum confessionis ac pœnitentiæ necessarium fore ad peccatorum remissionem & salutem nanciscendam, intelligimus id, quando iure ordinario sit & respectu ministrorum Christi, non aliam habentium potestatem remittendi peccata, quàm per sacramenta ab ipso Christo instituta. Omitto aliam responsionem ab ipsomet D. Thom. data tam. iiij. sent. loco citato, ad secundum argumentum nempe quòd & si non legatur prædictorum Apostolorum & dictarum mulierum, facta confessio, esse tamen potuit, vt eamipsam fecerint, quandoquidem plura sint facta, quæ minime extant scripta.

Secunda ad argumentum responsio.

Potest & hoc pariter fieri argumentum. Per verâ solamque contritionem, possunt cuncta actualia, peccata deleri, igitur non est necessaria confessio, Antecedens à cunctis conceditur Theologis, cum contritio vera & perfecta, sine gratia & caritate, peccatorum remissiua, esse nequeat, consequentia vero probatur, Quia cum contritio prima sit sacramenti pœnitentiæ pars, confessionemque tempore præcedat, si iam per ipsam sunt remissa peccata, confessio superuacanea erit, quia teste Aristotele. j. physic. tex. com. lvj. Quod per pauciora fieri potest, per plura fieri non debet.

Argumentū aliud, aduersus conclusionem, apparens.

Huic quoque perpulchre satisfit argumento dicturque contritioni semper esse annexum propositū confitendi vt inquit. D. Thom. iiij. sent. dist. xvij. q. iij. art. j. quæstiuncula. iiij. &. iij. par. q. xc. art. ij. ad primum ait. Contritio secundum essentiam quidem est

Optima ad argumentum responsio.

in corde, & pertinet ad interiorem pœnitentiam, virtualiter autem pertinet ad exteriorem pœnitentiam inquantum, scilicet implicat propositum confitendi & satisfaciendi. Hoc idem firmatur & corroboratur auctoritate Concilij Tridentini, inquientis Sess. xiiij. cap. iiij. Etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat, hominumque deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum, actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam, edocet sancta synodus. Iridem ex ipsius contritionis partis sacramenti pœnitentiæ, definitione patet, dum asseritur, ipsam displicentiam & voluntarium dolorem de perpetratis facinoribus assumptum, cum proposito eaipsa vitandi de cetero, cum proposito quoque confitendi & satisfaciendi. Hinc fit vt antecedens assumptum intelligatur, hoc modo veritate fulciri, nempe vt dicamus, Per veram solamque contritionem actualia cuncta deleri, si in voto adsit propositum confitendi, quia ipso proposito confitendi remoto, contritio vera & perfecta non esset nec actualia peccata delerer, Antecedente igitur sic intellecto pariter & admisso, negan da est consequētia, quoniam necessum est, vt id quod voto susceptum est, actu dum opportunitas aderit, suscipiatur; Si autem quispiam vere contritus, & ob id propositum confitendi habens, casu quopiam sine actuali confessione è vita decederet, iste proculdubio saluaretur; Etsi argueretur, igitur non est necessaria actualis confessio, neganda est consequentia si absolute intelligatur, si vero in proposito casu solum, gratis admittitur, qa cum voluntas apud deum pro facto reputetur, hicque voluntatem confitendi habuerit, & morte præuentus nequiuit; perinde est ac si fuisset confessus. Et hæc de Confessionis sacramentalis institutione, ac præcepto, dicta sufficiant.

Cōtritio, iuxta determinationem sacri Concilij Tridētini, peccata non remittit sine sacramenti confessionis voto.

Remoto proposito, seu voto confitendi, in contritione incluso, ipsa nequit peccatam remittere, quoniā non est vera contritio.

Quæstio. De licita, illicitaq; dimissione vxoris propter adulterium. Et de libello repudij.

VAERITVR. Num viro liceat, vxorem quam certo agnoscit adulteram, dimittere, & aliam ducere. Hæc quæstio difficultate non caret, ob contrarias doctorum opiniones. Eapropter vt hæc perlucida fiat, sic procedemus, vt prius terminum vnũ in quæstione positum, declaremus, deinde distinctionem vnicam, subijciamus; ex positaque distinctione, duplicem subdemus conclusionem, suis cum probationibus; Postremo difficultates circa eas emergentes pulcherrime dissoluemus.

Dicendorũ series.

Quo ad primum annotandum est circa dimissionem ipsam, dum quæritur, an liceat viro, vxorem suam adulteram, dimittere, bifariam intelligi posse de dimissione, scilicet, vel totali, ita vt dissoluatur matrimonium, eoque dissoluto, possit aliam in vxorem sibi coniungere, vel de dimissione duntaxat quo ad cohabitionem & thorum, qua matrimonium minime dissoluitur. Et iuxta distinctionem hanc bimembrem, duplex ponitur conclusio, quarum altera est affirmatiua, negatiua, altera, & affirmatiua quidem est hæc.

Dimissio vxoris adulteræ, intelligi potest, vel quo ad dimissionẽ totalem, vel quo ad thorũ.

Iuxta sanctiones canonicas, licet viro, vxorem suam quam nescit adulteram, dimittere quo ad cohabitationem, & thorum. Negatiua vero est.

Nulli viro licet vxorem suam quam optime nouit adulteram, totaliter dimittere, & aliam ducere.

Conclusio prima pluribus probatur, & sacræ scriptura, & sanctorũ auctoritatibus.

Et prima quidem conclusio, ex clarissimo saluatoris dicto plerisque in locis, optime probatur. Nam Matth. v. inquit Christus dominus; Dictum est antiquis, nempe Iudęis, vt habetur, Deuter. xxiiij. Quicunque dimiserit vxorẽ suam, det ei libellum repudij. Ego autem dico vobis. Quia omnis qui dimiserit vxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam mechari, & qui dimissam duxerit, adulterat. Et cap. xix. scisciantibus pharisæis pariter & tentantibus ipsum saluatorem, Cur Moyses præceperit dari libellum repudij ipsis vxoribus & dimittere, sic ipse respondit; Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere, vxores vestras, ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit vxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam dixerit, mechatur. Et qui dimissam duxerit, mechatur. Marci quoque. cap. x. ait. Quicunque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam, Et si vxor dimiserit virũ suum, & alij nupserit, mechatur. Et postremo Lucæ. xvj. inquit idem dominus. Omnis qui dimittit vxorem suam, & alteram ducit, mechatur, & qui dimissam à viro ducit, mechatur. Ex hisce quippe domini verbis, luce clarius patet, licere non quidem ex quacunque causa, ex odio videlicet, vel lepra, vel fetore, ac huiusmodi, vxorem, dimittere, ac solum ob adulterium, ab ipsa, perpetratum. Quod & probatur pluribus sanctorum auctoritatibus. Nam D. Hieronymus in Epitaphio fabiole ad Oceanum, sic inquit. Præcepit dominus, vxorem non dimitti, excepta fornicationis causa, & si dimissa fuerit, manere innuptam. Et habetur hæc sententia. xxxij. q. v. cap. Præcepit dominus. Et D. Augustinus. De adulterinis coniugijs sic ait. Cum enim Iudæi quærerent à Christo vtrum liceret huiusmodi vxorem suam quacunque ex causa, dimittere respondet eis. Nunquid legistis, quia qui fecit ab initio, masculum, & feminã

creauit

creauit eos, quos ergo deus coniunxit, homo non separet; Deinde sermonem suum ita concluſit, vt diceret, neminem posse dimittere vxorem suã, excepta fornicationis causa. Et recitantur hæc verba. vbi supra. xxxij.q.v.c.Puto §.Cum ergo. Rursus idem Augustinus vt habetur vbi supra.c.Si vxorem, inquit. Si vxorem quis habeat sterilem, siue corpore deformẽ, siue debilem membris, vel cæcam, vel claudam, vel surdam, vel aliquid aliud, siue morbis, siue laboribus doloribusque confectam, & quicquid excepta fornicationis causa, cogitari potest, vehementer horribile, pro societate fideque sustineat. Confirmatur hoc idem, ex Concilio Tolletano. xij vt hĩ vbi supra.xxxij.q.v.cap.Præceptum. Vbi dĩ. Præceptum domini est, vt excepta causa fornicationis, vxor à viro dimitti non debeat. Amplius confirmatur. D. Augustini auctoritate, de bono coniugali, quę & hĩ vbi supra.q.vj.c.Licite, vbi dicitur. Licite dimittit vxor, ob causam fornicationis, sed manet vinculũ prioris propter quod sit reus adulterij, quicunque duxerit dimissam ob causam fornicationis. Itidem habetur à Concilio Tridentino. Sess.xxiiij.can.viij. Postremo. D. Th. iiij. dist.xxxv.q.j.art.j. conclusionem præfatã confirmans, ait. Dominus dimittere vxorem concessit propter fornicationem in penam illius, qui fidem fregit, & in fauorem illius, qui fidem seruauit, vt minime ad reddendum debitum, ei, qui fidem non seruauit, sit astrictus. Atqui septem subinculcat casus, in quibus non licet viro dimitterem vxorem adulteram. Quorum primus, est si & ipse vir adulter sit, sicut & vxor; Quia vt inquit August. lib.j. De ser. dñi in monte. cap xxviij. Nihil iniquius est, quàm causa fornicationis dimittere vxorem, si & ipse conuincitur fornicari. Occurrit enim illud. In quo alterum iudicas, teipsum condemnas. Eadem enim agis, quæ tu iudicas. Quapropter quisquis vult fornicationis causa, abijcere vxorem, prior debet esse à fornicatione

Concilij Tolletani duodecimum.

Concilij Tridentinum.

ne purgatus, quod similiter de femina dixerim. Et recitantur hæc verba à Magistro sen. dist. citata & à Gratiano. xxxij. q. vj. c. Nihil; Et q. v. cap. Præcepit, vbi ex ore Hieronymi dicitur. Præcepit dominus vxorem non debere dimitti, excepta causa fornicationis, & si dimissa fuerit, manere innuptam. Quicquid viris præcipitur, hoc consequenter redundat ad feminas. Non enim adultera vxor dimittenda est, & vir mechus retinendus. Et idem, rursus. c. Apud nos dicitur. Apud nos quod non licet feminis, æque non licet viris, & eadem seruitus, pari conditione censet. Hoc idem habetur ex Innocentio Papa vbi supra; c. Christiana; Et ex Augustino vbi supra. xxxij. q. vj. cap. Indignantur. Et. q. vij. c. Apostolus. Et de adult. & stupr. c. Intelleximus, &. c. Tua fraternitas. Secundus est, si ipse vir, vxorem prostituerit. Tertius, Si vxor, virum suum mortuum, probabiliter credēs, ob longam eius absentiam, alteri nupsit. Quartus, si latenter ab aliquo est cognita, sub specie viri, lectum subintrante. Quintus, si vi fuerit oppressa. Sextus, si re cōciliauerit sibi eam post perpetratum adulterium, carnaliter eam conoscens. Septimus, si matrimonio, in infidelitate vtriusque contracto, vir dederit vxori libellum repudij, & vxor, alteri nupserit, tunc si vtrique conuertantur ad catholicam fidem, tenetur, vir eam recipere.

Obiectio. Verum si quispiam obijceret, nō posse virum, vxorem adulteram, dimittere, quia cum maius peccatū sit vtrunque adulterium committere, quàm alterum duntaxat, & tamen vtroque adulterante, nequit diuortium fieri, igitur altero duntaxat adulterium cō mittente, nequibit & diuortium celebrari.

Obiectioni, respondetur. Huic obiectioni facile respondetur, inquiendo, q licet vtroque adulterante, contra matrimonium, magis peccetur, quàm altero solum adulterante, quia tū diuortium solummodo fit, ex fornicationis causa, vno, alterum accusante, quod quidem ambobus in

eodem

eodem crimine existentibus, seu adulterantibus, accusatio interuenire non potest, propterea & diuortiũ, hoc in casu celebrari non valet. Et quia conclusio hæc satis ex dictis claresci t, nec circa eam dissident doctores, propterea ad secundam transeamus, non paruam difficultatem habentem.

Erat altera negatiua conclusio, nempe, ꝙ viro nõ licet vxorem suam adulteram, simpliciter absoluteq. dimittere, & aliam ducere.

Hæc autem clarà perlucidaque euadet, si probauerimus, inseparabilitatem vxoris à viro, esse, tum de iure naturæ, tum de iure diuino, tum etiam de iure humano. Et quidem, ꝙ sit de iure naturæ probatur ex. D. Th. doctrina. iiij. dist. xxxiij. q. ij. art. j. inquientis. Illud præsertim esse de lege naturæ, quod natura bene instituta, accepit in suo principio. Inseparabilitas autem matrimonij est huiusmodi, quandoquidẽ dixerit Adam. Gen. ij. Hoc nunc os, ex ossibus meis, & caro, de carne mea, de Eua vxore sua, ex eius costa formata, loquendo, igitur. Rursus, inquit. Matrimonium ex intentione naturæ, ordinari, ad prolis educationem, non solum per tempus aliquod, atqui per totam prolis vitam, quo fit, vt de lege naturæ, prorsus sit, vt parentes, suis thesaurizent filijs, filijque parentum, heredes existant; Hincque sequitur, quòd cum proles sit cõe bonum, viri pariter & vxoris, oporteat, eorum societatem, perpetuo, nempe durante vtrorumque vita, indiuisam permanere secundum legis naturæ dictamen. Hoc idem affirmat. iij. Contra Gent. cap. cxxiij. dum inquit in prima ratione, ordinem naturalem exigere, vt in finem vsque humanæ vitæ, pater & mater simul commaneant. Et in secunda ratione asserit contra naturalem ordinem esse, mulierem, virum, posse deserere, quoniam si ipsum deserere valeret, non æqua esset viri ad mulierẽ, societas, at potius ex parte mulieris, seruitus. Fieret quoque vt in tertia tangit ratione, si posset vir mulie-

Matrimonij inseparabilitas, est de iure naturæ.

rem, dimittere, vel mulier virum, & alteri copulari, vt impediretur prolis certitudo, (secluſa tñ vxorum pluralitate) quoniam dum mulier, à primo cognita viro, ab alio deinde cognoſceretur, à quo concepta eſſet proles, nequaquam certo dignoſceretur; Et hæc quidem dicimus de inſeparabilitate vxoris, a viro, quæ matrimonio competit, vt idipſum, in officium naturæ, eſt ordinatum, quoniam ſi de inſeparabilitate loquamur quę matrimonio conuenit, vt ſacramẽtum eſt à Chriſto inſtitutum, ſic luce clarius conſtat, nullatenus vxorem, à viro poſſe ſeparari, quandoquidem viri, ac mulieris per matrimonium coniunctio, ipſius Chriſti cum eccleſia, & verbi dei, cum humana natura, coniunctionem ſignificet, quæ omnino indiſſolubilis eſt. vt inquit idem. D. Th. iiij. ſen. loco ſupra citato, & Rom. vij.

Matrimonij inſeparabilitas, eſt de iure diuino.

Quòd autem talis inſeparabilitas, ſit de iure diuino, pluribus comprobatur auctoritatibus. Et prima quidem Apoſtoli Rom. vij. dicentis. Nam quæ ſub viro eſt mulier, viuente viro, alligata eſt legi. Mulier quippe quæ diuina ex lege, ſub viri poteſtate eſt eiusq. dominio, vt habetur Gen. iij. alligata eſt legi, qua tenetur viro conuiuere, & non ad tempus quidem ali quod, at quouſque vita fungitur dicente. D. Matth. xix. Quod deus coniunxit, homo non ſeparet. Et propterea inſeparabilitatem hanc, perpetuo duraturam, explicans, ſubdit. Si autem mortuus fuerit vir eius, ſoluta eſt à lege viri, à lege inquam coniunctionis; Et coneludens ex ſupradictis, ait. Igitur viuente viro, vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro. Si autem mortuus fuerit vir eius, liberata eſt à lege viri, vt non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro. Nec obſtat illud Apoſtoli Hebræorum. xj. vbi dicitur. Acceperunt mulieres, de reſurrectione, mortuos ſuos, non obſtat inquam, quoniam non inquit Apoſtolus, quòd mulieres, per reſurrectionem, ſuos acceperint viros, atqui veluti matres, filios ſuos defunctos,

per

per præfatam resurrectionem, receperunt. Et primæ Cor. vij. inquit. His qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed dominus, vxorem à viro nõ discedere; Quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari, & vir, vxorem non dimittat.

At dicet quispiam, sicut & nonnulli asserunt, ex hisce Apostoli verbis, haberi quidem matrimonij in dissolubilitatem, at si non accesserit vxoris adulteriũ, quoniam hoc superueniente videtur indissolubilitas hæc euanescere, quod expresse saluator Matth. xix. dicere videtur, dum inquit. Quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mechatur. Et qui dimissam duxerit, mechatur. Itidemque habetur Marci. x. & Luc. xvj. Quamobrem interpretandum videtur vtrunque Apostoli dictum, iuxta saluatoris sententiam & interpretationem, qua clare videtur, mulier seu vxore adulterante, matrimonij vinculum posse dissolui. *Obiectio.*

Verum huic obiectioni pulcherrime satisfiet, cũ subtiliter examinabuntur, ea omnia quæ differuntur, loco supra citato. Matth. xix. ad matrimonium ipsum, & eius indissolubilitatem spectantia. Ad hujusce itaque rei claritudinem exordiamur ab illis verbis, quæ pharisei ad Christum accedentes, eumque temptantes, dixerunt; Licet ne homini nupto, vxorem dimittere, quacunque ex causa? Complures etenim erant causæ, in veteri lege, quibus à Iudæis, suæ dimittebantur vxores, vt si illorum quispiam vxorem habebat sterilem, vel corpore deformem, cæcam, vel surdam, adulteram, vel ab eo odio habitam, & cætera id genus. Et ob id pharisei, ad Christum accedentes, eundemque temptantes, dixerunt. Si licet huiusmodi, quacunque ex causa, vxorem suã dimittere. ita scilicet, vt causa quælibet sufficiens sit ad vxoris dimissionem, & ad dandum eidem, repudij libellum. Quibus ipse respondit. Non legistis *Obiectionis solutio*

Gen.

Gen. primo, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam creauit eos, non legistis inquam. Adam dei ore, seu motu loquentem, hisce verbis, coniugium instituisse, & ita quidem vt inter virum & vxorem, inseparabilitas perseueret? Dixitque Adam ipse & diuino motu hæc verba protulit. Propter hoc, scilicet, institutum coniugium, relinquet homo, patrem & matrem, cum quibus, nequeunt filius, ac filia, matrimonialiter coniungi, & adhærebit vxori suæ non alterius, suæ, non suis, vt vxorū pluralitatem excludat, & erunt duo in carne vna, vna inquam, in generationis actu, vna, ex mutua corporum potestate; Non enim mulier, inquit Apostolus primæ, Cor. vij. potestatem sui corporis habet, sed vir, nec vir pariter potestatem sui corporis habet, sed mulier, vna etiam, ex vna ab ambobus, progenita prole. Et subdit. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Nam licet prius antequam connubium simul contraherent, duo essent secundum carnem distincti, matrimonio postmodum legitime, copulati, iam duo esse desinunt, ex ipsa carnis indiuisione, vt supra exaratum est. Concludens deinde ex præmissis, inquit. Quod ergo Deus perpetuo inseparabiliterque coniunxit, homo nullus, quantalibet polleat potestate seiungere temptet. Ac si apertius diceret Christus Deus, mulierem, viro, legitime perpetuoq. coniunxit, itaque nullus hasce duas personas, seiungat; Atqui pharisæi arbitrantes Christum docere repugnantia legi, ab interrogatione minime desistunt. Ab illo igitur scisciţatur. Quid ergo Moyses mandauit dari libellum repudij & dimittere? Nam Moyses scribit. Deut. xxiiij Si acceperit homo vxorē & habuerit eam, & non inuenerit gratiā ante oculos eius pp fœditatem aliquam, scribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua. Quibus respondens saluator, ait. Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis, dimittere vxo-

Gen. 2.

res vestras, ab initio autem non fuit sic.

Ex his Christi saluatoris nostri verbis, cogimur quæstionem dissoluere de hoc libello repudij, nunquid licitus fuerit, necne, quoniam ex hac decisione maxime eluceſcet, principalis quæstionis veritas, vt perpulchre patebit. Ad cuius claritudinem prius declarandum est, quid nomine libelli repudij intelligatur. Sciendum est igitur ex. D. Thom. doctrina. iij. dist. xxxiij. q. ij. art. iij. quæstiuncula. ij. quòd libellus iste erat in quo scribebantur causæ repudij, non quidem in speciali, at in generali, vt ostenderetur, ex his iustum repudium. Secundum Ioſephum verò erat scriptura in qua dicebatur, promitto tibi quòd nunquam tecum conueniam. & sic mulier habens hunc libellum repudij, poterat alteri nubere. Hoc prælibato, ad quæstionem respondetur, ex. D. Thom. iiij. sent. dist. citata. q. ij. art. ij. quæstiuncula. ij. veriorem tutioremque sectante viam, vt dicamus, Libellum repudij in lege Moysi, permissum, nunquam fuisse licitum, tametsi non desint qui oppositum sentiant. Probatur autem hæc conclusio ex ipsius Christi dicto phariſæis respondentis; Quoniam & si Moyses libellum repudij, iudæis permiſerit, quinimò dari iusserit, ipsis volentibus vxores suas dimittere id tamen nequaquam veluti licitum permissum est, atqui ad duritiam duntaxat cordis eorum hunc permisit libellum atque conceſſit, ne vxoricidium perpetrarent, ad quod proni erant, vt inquit. D. Thom. iij. Contra Gent. cap. cxxiij. Minus etenim malum erat vxores suas dimittere quàm easipsas occidere. Hinc Theophilactus, hæc prorsus confirmans, aiebat. Non contraria deo Moyses constituit, sed ad vestram duritiã, hoc pronunciauit, ne propter intemperantiam, volentes alijs coniungi, occideretis primas vxores; Nã cum essent inhumani, occidissent vxores, si coacti fuissent seruare illas, nunc autem librum diuorrij iussit dari, his, quæ à viris, odio habebantur. Hæc ille

De libello repudij.

Libellus repudij, quid sit.

Libellum repudij nunquam fuisse licitum, probatur.

Diuus.

Diuus quoque Aug. De Sermone domini in Monte lib. j. cap. xxv. exponens & interpretans illa saluatoris verba, quæ habentur. Matth. v. scilicet. Dictum est autem. Quicunque dimiserit vxorem suam, det ei libellum repudij inquit. Non enim qui præcepit dari libellum repudij, hoc præcepit, vt vxor dimittatur, sed qui dimiserit inquit, det ei libellum repudij vt iracundiam temerariam proijcientis vxorem, libelli cogitatio temperaret. Hęc ipse. Ex qua Augustini sententia claret, nunquam à deo præceptum fuisse Iudæis, vt proprias dimitterent vxores, atqui eas, ipsis dimittere volentibus, ob eorum duritiam, & malitiam, necnon ob intemperatum ardorem concumbendi cum alijs, permisit dari libellum repudij, vt vxoricidium vitaretur, permisit inquam minus malum, vt maius non perpetraretur. Erat igitur libellus talis illicitus, quoniam, eo, vxor dimittebatur, alteriq́ue nubebat, & ob hoc adulterium committebat, indissolubili existente ac perseuerante, matrimonij vinculo. Huc accedit illud quod. D. Chrisost. scribit, Homilia xxij. super Matthæum, vbi inquit. Moyses, dando libellum repudij, non iustitiam dei monstrauit, vt quasi per legem agentibus, peccatum non videatur esse peccatum. Hęc ille. Et vt talis libellus probaretur illicitus, posteaquam prænisit saluator, pharisæis respondens, Quoniam Moyses ad duritiam cordis eorum permisit ipsis Iudæis dimittere vxores suas, perpulchre subintulit. Ab initio autem non fuit sic quoniam ab exordio instituti coniugij quod in statu naturæ integræ siue innocentiæ fuit, non vxoris dimisio, non repudij libellus, nec coniugium ab homine separabile fuit; Quo fit vt cum à deo fuerit tale coniugium inseparabile institutum male in statu naturæ corrupte, ab homine separabile sit effectum; Hoc enim est à lege declinare diuina, & propterea in peccatum prolabi lætale.

Obiectio. Verum instabit quispiam, licitum hunc esse libellum,

lum, quoniam Malach. ij. scribitur. Cum odio vxorē habueris, dimitte eam, dicit dominus deus Israhel. Nephas autem est dicere, inquit Reuerendissimus Caietanus Matth. xix. deum præcipere, vxoris dimissionem si crimen, hæc dimissio, foret.

Huic instantiæ ac obiectioni, optime satisfacit. D. Thom. iiij. dist. xxxiij. q. ij. art. ij. quæstiuncula. ij. ad secundum inquens quòd prophetæ Spiritu sancto inspirati, nequaquam dicebant dimittendam esse vxorem, quasi Spiritus sancti siue domini dei præceptum sit, sed quasi permissum ne peiora fierent. Hæc ille. Non igitur dominus, ore prophetę præcipiebat vxorem esse dimittendam, sed permittebat, vt id malum euenirer, ne maius sequeretur, nempe vxoricidium, vt dictum est. Non enim deus pugnantia dicere potest, cum sit ipsamet veritas, eapropter cum docuerit Christus dominus, connubium ipsum esse omnino inseparabile, siue indissolubile, vt clarissime infra patebit, non potuit idem dominus oppositum dicere nempe vt solubile sit. Quòd autem licuerit, dimissa vxore alteri nubere sine adulterij crimine, vt astruit Reuerendissimus Caietanus vbi supra falsum esse infra probabitur.

Hac absoluta quęstione, ad principalem à qua paululum digressi sumus, reuertamur, dicentes, non licere homini vxorem suam adulterā totaliter dimittere, ita vt ipsa dimissa, valeat alteri nubere, & ipse dimittens alterā sibi merito copulare. De dimissione quo ad thorum & cohabitationem, iam declaratum est, virum vxorem suam adulteram posse dimittere; Necessum est tñ vt dimissio siue diuortium quo ad cohabitationem fiat ecclesiæ Catholicę auctoritate, decernente hoc ipsum fieri debere.

Probatur autem præfata conclusio, quoniam vti iam supra tactum fuit, Matrimonij indissolubilitas, non solum est de iure naturali vt probatum fuit, at de iure diuino, & quidem q; sit de iure diuino, non

ob

obstante, adulterio, perpulchre perlucideque declaratur ex Christi saluatoris nostri dicto, hac in re veritatem aperientis. Inquit igitur Matth. xix. Marci. x. & Luc. xvj. pharisæis respondens, percunctantibus liceret ne quacunque ex causa vxorem dimittere. Ego autem dico vobis, veritatem pandens, quòd nullo homini licet quacunque ex causa vxorem suam dimittere vt vos arbitramini, ac solum ex adulterio perpetrato ac cognito. Quia quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mechatur. Et qui dimissam duxerit mechatur. Huiusce littere, ac à Christo prolatæ sententiæ, hic germanus est sensus atque veriſſimus, à pleriſque non intellectus, videlicet. Quicunque vxorem suam dimiserit, seu à se seiunxerit, nisi ob fornicationem, supplendum est, peccat, & quisquis vxorem suam fornicariam siue adulteram totaliter dimiſſerit, & aliam duxerit, mechatur, quoniam cum vxoris licet adultere, indissolubile vinculum cum viro perseueret, nequit aliam in matrimonium legitimum, sibi copulare. Et quòd hic sit planus præfate littere sensus, ac Christi intentio, liquet ex subiunctis verbis dum dicit, Et qui dimissam duxerit mechatur, seu adulterium committit; Non mecharetur sanè, qui ab alio, vxorem dimissam duceret, nisi matrimonij vinculum indissolubile permaneret.

Responsio quæ dari posset. Præfata responsio impugnatur.

At dicet quispiam, Mechatur quidem ducens alienam dimissam vxorem, si alia de causa, quàm ob fornicationem sit dimissa, at cum ob adulterium, dimissa est, ipsam ducens, non mechatur.

Huic optime respondetur, ducentem vxorem iam ab altero dimissam, siue adulteram, siue non adulteram, omnino mechari, seu adulterium perpetrare. Et quòd hæc responsio intentioni Christi sit consentanea, & proinde veritati, adducitur Diui Augustini, horum verborum, interpretatio, quæ habetur. De Adulterinis coniugijs, lib. j. cap. jx. quæque recitatur

a Gra

à Gratiano. xxxij. q. vij. cap. Quemadmodum. Inquit enim: Quemadmodum rectè dici non potest, si nescit homo, non peccat. Sunt enim peccata ignorantium, quamuis minora quàm scientium, ita nec recte dici potest. Si causa fornicationis dimisserit, & aliam duxerit, non mechatur. Est enim mechatio eorum, qui alias ducunt relictis propter fornicationē prioribus, sed vtique minor quàm eorum qui non propter fornicationem dimittunt, & alteras ducunt. Et infra. Idem Augustinus ait. Quicunque mulierem à marito præter causam fornicationis dimissas duxerit, mechatur, proculdubio verum dicimus, nec tamen dico, ideo illum qui propter causam fornicationis dimissam duxerit, ab hoc crimine absoluimus, sed vtrosque mechos, minime dubitamus. Ita hunc qui præter causam fornicationis vxorem dimiserit & aliam duxerit, mechum pronunciamus, nec ideo tamen eum qui propter causam fornicationis dimiserit & aliam duxerit, ab huius peccati labe defendimus. Ambos enim licet alterum, altero grauius, mechos tamen esse cognoscimus; Rursus parum infra, subiungit: Quicunque mulierem præter causam fornicationis, à viro dimissam, duxerit, mechatur, de vno quidem ipsorum dicimus, nec tamen ideo, mechari negamus, qui eam duxerit, quam propter fornicationis causam, maritus dimiserit. Ita cum ambo sint mechi, & ille, scilicet qui dimiserit vxorem suam præter fornicationis causam & aliam duxerit, & ille qui propter causam fornicationis, vxore demissa, se alteri copulauerit, profecto quando de vno eorum legimus, non ita intelligere debemus, quasi ex hoc alter mechus negatus sit, quòd sit alter expressus. Amplius lib. ij. c. iiij. itidem asseuerat inquiens. Nullius viri posterioris mulier, vxor esse incipit, nisi prioris esse desierit, Esse autem desinet vxor prioris, si moriatur vir eius, non sit fornicetur. Licite itaque dimittitur coniunx ob causam fornicationis, sed manet vinculum

culum prioris, propter quod fit reus adulterij, qui dimissam duxerit, etiam ob causam fornicationis. Vltima autem hæc sententia habetur. xxxij. q. vij. cap. Licite. Deinde in hoc eodem. iiij. cap. exponens idem Augustinus Apostoli verba, Rom. vij. quæ & à nobis supra interpretata sunt, obiectionemque ibi motam, & à nobis solutam minime, hisce verbis & quidem notatu dignissimis, perpulchre dissoluit, & inquit. Et ideo quod, insipientissime dicitur non erit adultera, si fuerit cum altero viro, quia per adulteriũ liberata est à priori viro. Quòd si ita est à veritate deuium, vt nullus, id, non dico Christianus, sed humanus sensus admittat, profecto mulier alligata est quandiu vir eius viuit. Quod vt apertius dicam quandiu vir eius in corpore est. Pari ergo forma & vir alligatus est quandiu mulier eius in corpore est. Vnde si vult dimittere adulteram, non ducat alteram, ne quod in illa culpat, ipse committat. Similiter etsi mulier dimittit adulterum, non sibi copulet alterum. Alligata est enim quandiu vir eius viuit, nec à lege viri nisi mortui, liberatur, vt non sit adultera si fuerit cum alio viro. Item lib. j. cap. xxv. De Adulterinis coniugijs, ait. Propter quodlibet tñ fornicationis genus, siue carnis, siue spiritus, vbi & infidelitas intelligitur, & dimisso viro, non licet alteri nubere, & dimissa vxore non licet alteram ducere, quoniam dominus nulla exceptione facta dicit, Si vxor dimiserit virum suum & alteri nupserit, mœchatur. Et omnis qui dimittit vxorem suam & ducit alteram mœchatur. Luc. xvj. Ex his clarissimis, D. Augustini dictis, arbitror satis superque cunctis non prorsus obtemperantibus proditum esse, ex saluatoris sententia, nequaquam viro licere, simpliciter atque totaliter mulierem, seu vxorem adulteram dimittere & alteram ducere nec econtra quandoquidem connubij vinculum inter virum vxoremque indissolubile sit. Si autem vnquam Iudæis licuit, dimissis vxoribus, datisque

Ex ijs prædictis auctoritatibus, perpulchre cõstat, viro non licere vxorem adulteram simpliciter dimittere.

datisque sibi repudij libellis, nec ob id tamen soluto matrimonio, alias ducere vxores, non alia certe ratione, id sibi licuit, vt optime docet. D. Thom. iiij. dist. xxxiij. q. ij. art. ij. quæstiuncula. iij. ad primum nisi quia licebat viro plures habere vxores, diuina ex dispensatione.

Hincque pulcherrime constat ex præmissisque sequitur, falsam prorsus esse Reuerendissimi Caietani opinionem, qua asserit & affirmat in Commentarijs suis super Matth. cap. xix. Christi verba sonare secundum planum litteræ sensum, licere viro, vxorem suam fornicariam seu adulteram totaliter dimittere & aliam ducere, absque mœchie peccato, & licitum esse Christiano ex Iesu Christi lege, dimittere vxorem ob fornicationem carnalem ipsius, & posse aliam ducere, tametsi subdat, vxorem, non posse virum fornicantem dimittere, quandoquidem dominus Iesus qui est verus deus, non hoc concesserit, nec de vtroque par ratio sit; Quod probat tum quia in veteri lege vxor nequibat virum demittere, seu repudiare, tum quia id. D. Ambrosius expresse affirmat. Primæ, Cor. vij. Id; tamen dicit salua semper Ecclesiæ definitione, quam tñ hactenus non apparere confirmat. Falsam mehercle censuerim hanc Caietani opinionem, falsaque esse eius fundamenta quibus innititur. Et primum quidem fundamentum, falsum prorsus esse conuincitur, tum ex ipsis Christi verbis non perperam intellectis ac interpretatis, tum ex Augustino saluatoris ipsius verba pulcherrime interpretante, ac eisdem germanum genuinumque sensum reddente. Male etenim Saluatoris verba ab ipso Caietano interpretantur, vti supra deduximus, & Dui Augustini auctoritate firmauimus, quæ repetere frustraneum est penitus. Secundum quoque fundamentum & falsum est, stante positione sua, videlicet, non posse vxorem, virum adulterum dimittere, quoniam etsi id minime explicetur, vt de viro explica-

Caietanus sentit, ex Christi dictis, viro licere vxorem adulteram, simpliciter totalitérque dimittere, & aliam ducere, at non econtra.

Falsam esse Caietani opinionem, & sua fundamenta nulla esse ex dictis, & ex Cõcilij Tridentini definitione patet.

tur, par tamen ratio est, vt inquit Augustinus lib. j. De Adulterinis coniugijs. cap. iiij. vbi inquit. Atsi par forma est in vtroque, vterque mœchatur si se alteri iunxerit, etiam cum se à fornicante disiunxerit. Parem vero esse formam in hac causa viri atque mulieris, ibi ostendit Apostolus, quòd sæpe commemorandum est, vbi cum dixisset. Vxor non habet potestatem corporis sui, sed vir, adiecit atque ait. Similiter & vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier. Inficiamur subinde nō posse mulierem siue vxorem in veteri lege, repudiare virum. iure etenim poterat, tametsi expressum minime legatur. Habent enim vir & mulier, mutuam suorum corporum potestatem quo ad matrimonij iura, & propterea quic quid vni, & alteri, licet. Ambrosij vero auctoritas, nil huic nostro obstaret proposito, si cum sententiatum Magistro diceremus, à falsarijs hoc esse positum, atqui admisso, quòd Ambrosius id ex seipso & propria sponte assereret, magis. D. Augustini opinioni quàm suæ inhærendum est, vtpote sacris litteris conformiori, tametsi dici pulcherrime posset, ipsum dixisse virum posse licite aliam ducere, quia vti supra diximus ad aures. D. Thom. licebat viro ex diuina inspiratione plures habere vxores, & sic etiam non soluto primo connubio, poterat aliam in vxorem ducere.

Concilij Tridētini definitio, ꝙ quæstione hac, sic sonat.

Audiat postremo Reuerendissimus Caietanus qui asserit ad sua vsque tempora, nullam hac in re ecclesiæ definitionem apparuisse, Romanosque Pontifices in matrimoniorum iudicijs aliquando errasse. audiat (inquam) & omnis qui suam sectatur doctrinam, Generalis Concilij Tridentini. Sess. xxiiij. can. vij. pulcherrimam definitionem, Christi doctrinæ conformem. Inquit enim. Si quis dixerit ecclesiam errare cum docuit & docet, iuxta Euangelicam, & apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum, Matrimonij vinculū non posse dissolui,

&

&vtrunque vel ēt innocentem qui causam adulterio non dedit, non posse altero coniuge viuente aliud matrimonium contrahere, mœchariq́ue eum qui dimissa adultera, aliam duxerit, & eam, quæ dimisso adultero, alij nupserit, anathema sit. Nunc itaque hæc quęstio ab ecclesia non errante, & doctrinā, tum Euangelicam, tum Apostolicam à Christo domino emanatam, pulcherrime interpretante germanum verissimumque sensum reddente, absoluta est, & definita, cui iam nulli fidelium contradicere licet. Ex his igitur omnibus antedictis clarissime constat. Matrimonij indissolubilitatem, esse de iure naturæ, ac de iure diuino, atque positiuo, & proptrea Reuerend. Caietanum, hac in re ab ipsa veritate recessisse. Non subticuerim autem hoc in loco, dictum vnum Abbatis quod habetur. De diuor. cap. Gaudemus. Notando. viij. vbi ait. Nota. quòd propter fornicationem coniugis non separatur matrimonium quo ad vinculum etiam inter infideles. Et aliud. cap. Quanto. eodem tit. Notando. iiij. vbi sic inquit. Nota. quòd matrimonium consumatum inter christianos durat semper, nec potest dissolui aliquo casu. Et hæc ad quæstionem hanc, dicta sufficiant.

Abbatis, seu Panormite placitum, & verū atq; catholicū

Quæstio. De pluralitate vxorum.

VAERITVR an vni viro, plures liceat habere vxores, & præsertim duas sorores viuas. Ad quæstionem hanc, vnica conclusione negatiua respondetur, dicendo.

Nullo vnquam tempore vni viro licuisse aut licere absque diuina dispensatione aut interna ipsiusmet dei inspiratioue, plures habere vxores, & præcipue duas sorores viuas, quando quidem id contra ius sit naturale.

Caietan⁹, oppositã tenet huius conclusionis, opinionem, & sanè aduersus. D. Th. & contra determinationem Innocen. iij. summi põtificis.

Et licet Reuerend. Caietanus huiusce conclusionis oppositum sustinere conetur, huic, suis in commentarijs super. xviij. cap. Leuitici, huic innixus scripturæ fundamento nempe, quia Iacob fidelis duas duxit sorores simul viuentes, nihilominus ex dicendis pulcherrime commostrabitur, fundamẽtum hoc suum, nil penitus præfate conclusioni officere.

Conclusionem vero hanc præclare perlucideque declarat. D. Th. iiij. dist. xxxij. q. j. art. ij. vbi inquit, q̃ ex dictis art. primo patet vxorum pluralitatem esse contra legem naturæ, non quidem quantum ad prima eius præcepta, sed quantum ad eius secunda, quæ sunt quasi conclusiones ex primis deriuate; Et nonnullis interpositis subiungit. Lex etenim de vni rate vxoris non est humanitus, sed diuinitus instituta, nec vnquam verbo, vel literis tradita, sed cordi impressa, sicut & alia quæ ad legem naturæ qualitercunque pertinent, & ideo in hoc à solo deo dispensatio fieri potuit, per inspirationem internã, quæ principaliter sanctis patribus facta est, & per eorum exẽplum ad alios deriuata fuit, eo tempore quo oportebat

bat prædictum naturę pręceptum prętermitti, vt maior esset multiplicatio prolis, ad cultum dei educande. Semper enim principalior finis, magis conseruãdus est quàm secundarius. Vnde cum bonum prolis sit principalis matrimonij finis, vbi prolis multiplicatio necessaria est, debuit negligi ad tempus impedimentum quod posset in secundarijs finibus euenire, quod remouendum, ad pręceptum, prohibens pluralitatem vxorum ordinatur. Hæc. D. Th. vbi supra. Et art. primo, inquit, pluralitatem vxorum prædictã esse modo quodam contra legem naturæ, & modo quodam non, contra quidem, quia & si totaliter non tollat secundum matrimonij finem, multum tñ impedit eo q̃ non facile potest esse pax in familia vbi vni viro, plures vxores vniuntur, cum non possit vnus vir sufficere ad satisfaciendum pluribus vxoribus ad votum, & quia cõmunicatio plurium in vno officio causat litem; Nam sicuti corrixantur adinuicem figuli, ita plures vnius viri vxores. Hæc, idem. D. Th. Et licet Duran. dicat hoc esse per accidens, ex eo q̃ quandoque mulieres sunt litigiosę, nihilominus in statu naturæ corrupte, vt in pluribus, talis vxorum pluralitas, pacem impedit quandoquidem zelotipiam pariat, & complura alia inconuenientia, & defectus cõcomitentur. Lex autem & ea quæ sunt per se necessaria, & ea quæ sunt vt in pluribus speculatur. Et confirmatur supradicta ratio ex his, quæ asseruntur ab ipsomet. D. Th. iij. Contra Gent. cap. cxxiiij. vbi inquit in quinta ratione. Matrimonium in hominibus oportere ordinari secundum q̃ spectat ad bonos mores, est autem (subdit) contra bonos mores, vt vnus habeat plures vxores quandoquidem ex hoc sequatur discordia in domestica familia, vt experimento patet. Et item in prima ait ratione. Quia quodlibet animal exoptat libere frui voluptate coitus sicut & voluptate cibi quæ quidem libertas impeditur per hoc q̃ ad vnam plures acce-

dant aut econuerso, scilicet cum vnus pluribus vtitur vxoribus. Nam propter cibum & coitum animalia pugnant. Si igitur contra ius naturale est vnum virum habere plures vxores, quæ nullam inter se cõsanguinitatem habent, vt probatum est, multo magis contra idem ius naturale est, connubium inire cũ duabus sororibus viuis, in primo gradu consanguinitatis existentibus, nisi à deo dispensatio fiat, quæ sanè dispensatio per internam inspirationem sanctis patribus, & consequenter ipsi Iacob Patriarche, vti asseruit. D. Th. facta est. Quod ne voluntarium id assertum esse videatur, adducitur auctoritas pariter & decisio Innoc. iij. quæ habetur. De Diuor. c. Gaudemus. §. Nec vlli, inquientis. Nec vlli vnquam licuit in simul plures habere vxores, nisi cui fuit diuina reuelatione concessum, qui mos quandoque interdum etiam phas censetur, per quam sicut Iacob à mendacio, Israhelite à furto, Sanson ab homicidio, sic & Patriarche & alij viri iusti qui plures legun tur habuisse vxores, ab adulterio excusantur. Et ex hac determinatione respondetur dicto B. Ambrosij quod habetur. xxxij. q. iiij. cap. Dixit Sara. & dicto. D. Augustini vbi supra. c. Obijciuntur. Quod & confirmat Gloss. super præfatis capitulis inquiens, quòd talis mos fuit diuinitus inspiratus. Ex hac quoque patet responsio, ad ipsius Reuerend. Caietani fundamentum. Et hæc de quæstione hac breuiter dicta sufficiant.

Ex hac Innocentij Papæ. iij. definitione soluitur Caietani rõ & D. Ambrosij atque aliorum aliter sentientium.

*

Quæstio. De licito, vel illicito connubio, inter fratrem & sororem, absque diuina dispensatione.

VAERITVR. An inter fratres & sorores siue vterinas siue non, licitum, verum, ratumque possit esse connubium Huic quęsito sanè perdifficili & à Reuerendissimo Caietano. Leuitici. xviij. cap. tractato, & à plerisque alijs doctoribus, tum sanctitate, tum doctrina pollentibus, tacto, hac conclusione veritate fulgente respondetur ac dicitur.

Connubium tale diuino, ac naturali iure esse prohibitum, & ita quidem, vt si celebretur, irritum prorsus & inane existat, ac omni robore careat nisi diuina accedat auctoritas & dispensatio.

Quæ conclusio probatur, ac luce clarius declaratur. Constat enim personas tales contrahentes, esse in primo consanguinitatis gradu, qui sanè gradus, vtpote iure naturæ prohibitus (vt infra declarabitur) omnino impedit matrimonium contrahendum & dirimit contractum. nec vllam admittit dispensationem nisi diuinam. Et licet in primis humani generis temporibus, extrema existente necessitate, huiusce modi matrimonia, licuerint Deo optimo auctore hoc in casu dispensante, haud tamen illa necessitate cessante. Eapropter. D. August. lib. xv. de Ciuit. dei. cap. xvj. aduersus eos, qui multiplicato humano genere talia connubia celebrabant, ait. Quod humano genere crescente, & multiplicato etiam inter impios deorum multorum falsorum cultores, sic obseruari cernimus, vt etiam si peruersis legibus permittantur

fraterna coniugia, melior tamen consuetudo, ipsam mauult exhortere licentiam. Quando vero id aliquando licuerit declarat, cum subdit, Et cum sorores accipere in matrimonium, primis humani generis temporibus omnino licuerit, illa tamen sic naturæ aduersatur (subintellige illa cessante necessitate) quasi nunquam licere potuerit. Et confirmatur auctoritate quæ habetur. xxxv. q. j. cap. j. §. His ita. vbi dicitur. Consanguineorum coniunctiones alias causa necessitatis permisse, alias causa iustæ rationis, inueniuntur imperate, Cum enim vnus vir ab initio, atque vna ex latere eius mulier à Deo formaretur, necessario sorores fratribus copulabantur, quod autem cogente necessitate fit, cessante necessitate, pariter cessare oportet quod vrgebat. Ergo tanto nunc damnabilius vsurpatur consanguineorum coniunctio, quanto minus necessaria probatur, Vnde huius modi copula postea lege prohibita inuenitur, domino dicente per Moysen. Turpitudinem sororis tuæ non discooperies. Nec obstant illa, Thamar sororis Absalon, verba dicta, ad Amon fratrem suum non vterinum, quæ habentur. ij. Regum. xiij. scilicet. Pete me, à rege, & non negabit me tibi, quasi ipsa ex his verbis agnouerit inter ipsam, & Amon fratrem suũ, connubium licitum fore, quoniam vt eam omittamus opinionem asserentem Thamar conceptam fuisse, & genitam non ex Dauid, sed ex Maacha gentili filia Tholomai regis Gesar ex priori viro, antequam ipsi Dauid coniungeretur, & proinde non naturalem eius filiam. sicque licuisse ipsi Thamar fratrem suo Amon, matrimonialiter coniungi. Dicendum est verius ex Iosephi sententia lib. j. de Antiquit. cap. xiiij. Ipsam Thamar veram, carnalemque ex parte patris sororem fuisse Amon eumque sic esse alloquutam vt ad tempus petulantem fratris sui impetum refrenare valeret. Quod & confirmat Historiarum magister. lib. ij. inquiens. Hoc dicebat vt

sub

subterfugeret manus eius. Et hæc est communis omnium doctorum expositio. Non igitur illa protulit verba, quia agnosceret sibi licere cum fratre matrimonium inire at solum ob prædictam causam, Si enim (inquit Augustinus loco citato) iniquum est auiditate possidendi, transgredi limitem agrorum, quanto est iniquius libidinem concumbendi subuertere limitem morum? Non obstant etiam verba Abrae, quibus ad Abimelech regē Geraris dixit de Sara vxore sua; Vere soror mea est filia patris mei & non filia matris meæ, & duxi eam in vxorem, vt habetur Gen. xx. non obstant inquam, quoniam Sara siue Sarai haud Abrae carnalis extitit soror, atqui eius neptis quandoquidem vera fuerit carnalisque filia Haran fratris Abrae. Habuit etenim Haran, duas filias, vt scribitur Gen. xj. quarum altera vocata est Melcha, altera vero Sarai cognomento Lescha, & primā quidem in vxorem Nachor, secundam vero Sarai, scilicet, Abrae fratribus suis, tradidit, Quod expresse. D. Hieronymus edocet. Gen. xj. dicens, Haran filius Thare frater Abraam & Nachor, duas filias genuit Melcham & Sarai cognomento Lescham, Melcham accepit Nachor, in vxorem, & Sarai, Abraam. Nondum enim inter patruos & fratrum filias, nuptiæ fuerant lege prohibitæ, quę in primis hominibus etiam inter fratres & sorores initæ sunt. Hoc idem habetur. xxxv. q. j. cap. j. vbi dicitur. Quod autem consanguineas nostras siue vxoris nostrę in coniugium ducere liceat exemplis & auctoritatibus probatur. Abraam nanque Sarai filiam fratris sui, sororem, videlicet Loth, in vxorem duxit, Isaac, Rebeccam, in vxorem accepit, quæ erat filia consobrini matris suæ, Iacob, duas sorores Liam, videlicet, & Rachelem filias Labam auunculi sui, sibi matrimonio sociauit. Itidem affirmat Augustinus in quæstio. super Gen. dicens. Abraam dum dixit Sarai vxorem suam, veritatem voluit eę lati & non mendacium dici. Soror enim

Saram nō fuisse, verā, & carnalem Abrahe sororē, probatur.

enim dicitur quia filia fratris erat. Et recitantur hæc verba. xxij. q. ij. cap. Quæritur. Vnde & ipse Abraam dixit Geñ. xx. Vere soror mea est filia patris mei, & non filia matris meę, quoniam vt inquit. D. Thom. ij. secundæ. q. cx. art. iij. ad tertium, ex parte patris ei attinebat, Ob hoc etenim Sarai filia Aran dicebatur Abrae soror, & vere soror, quia omnes Thare filij Haran, scilicet Nachor, & Abraam. & horum filij secundum scripturæ morem quo filij filiorum etiam auorum filij dicuntur, ipsum Thare patrem, vocitabant, quod ipsius scripturæ confirmatur auctoritate. Nam Isaac de Rebecca quam constat non eius sororem sed filiam Nachor, fratris Abraam, interrogatus à viris Geraris quænam esset, respondit, Soror mea est, vt habetur. Gen. xxvj. Et Abraam ad Loth filium fratris sui Aran dixit. Ne quæso sit iurgium inter me & te, & pastores meos & pastores tuos, fratres enim sumus. Geñ. xiij. Ex his quoque verbis. Geñ. xj. Tulit itaque Thare, Abraam filium suum & Loth filium Haran, filium filij sui, & Sarai nurum suam vxorem Abrae filij sui, & eduxit eos de Vr caldeorum, aperte habetur, Sarai nequaquam filiam fuisse ipsius Thare, quoniam id expressisset quemadmodum Haran & Abraam filios expressit, atqui solum nurum suam appellauit, Et amplius veritas hæc confirmatur Augustini auctoritate. xvj. de Ciuit. dei. c. xij. inquientis in calce, Iste Haran, pater Melche, fuit & pater Iesche, quæ Iescha creditur ipsa esse, etiam Sara vxor Abrae. Et eodem lib. cap. xvj. ait. Abraam vxorem suam dixit sororem suam nihil mentitus, Erat enim & hoc, quia, propinqua erat & sanguine, sicut etiam Loth eadem propinquitate, cum fratris eius esset filius, frater eius est dictus, Itaque vxorem tacuit non negauit, Et rursus in quæstionibus super Genesim, ait, vt habetur. xxij. q. ij. cap. Quæritur, Soror enim dicitur quia filia fratris erat, Et contra faustum. lib. xxj. cap. xxxv. idem Augustinus ait. Cum

igitur

igitur Abraam eo tempore viueret in rebus humanis, quo quidem iam fratres ex vtroque aut ex altero vel altera parente natos, nec̃ coniugio non licebat, filios autem fratrum aliosq̃ longinquiori gradu generis consanguinitate, nulla lege, nulla potestate, prohibita consuetudo iungebat, quid mirum si sororem suam, id est ex patris sui sanguine procreatam habebat vxorem? Et post pauca subdit. Fratres autem, siue sorores generali nomine consanguineos, vel consanguineas, solere apud veteres appellari, scriptura testatur. Nam etiam Thobias dicit deo, cum oraret antequam misereretur vxori. Et nunc domine tu scis, quoniam non luxurię causa, accipio sororem meam, cum esset illa non ex concubitu eiusdem patris, nec ex eodem matris vtero, sed ex eadem stirpe cognationis exorta. Et Loth frater Abrae dicitur, cum patruus eius esset ex qua vi vocabuli, etiam fratres domini in euangelio non vtique quos ex Maria virgine pepererat, sed ex eius consanguinitate omnes propinqui appellantur. Diuus quoq; Antoninus Archiepiscopus Floren. tertia parte summe. tit. primo cap. xj. not. vltimo, etiam hoc idem affirmat dicens, in linea transuersali in primo gradu consanguinitatis, vel affinitatis prohibetur matrimonium, iure diuino, vnde & Papa non potest dispensare, quia etiam est quodammodo contra naturam, vt quis cum germana sua contrahat. Nec obstat de vxoribus Abrae, & Isaac, quas vocauerunt sorores, quia scilicet, vel fuerunt consobrine, vel consanguineę. Hinc est vt Loth, qui fuit filius fratris Abrae, dictus est frater ipsius, quia licet olim liceret, dispensatiue licebat, quæ dispensatio fiebat iure diuino, non ab homine. Hæc ille. Nec ex ipsius scripturæ verbis conuinci potest Sarai carnalem Abrae sororem extitisse, quinimò oppositum. Nam ex hoc quod Abraam respondens Abimelech dixit alias autem & vere soror mea est, filia patris mei,

&

& nõ filia matris meæ. & duxi eam in vxorem Gen. xx. Intelligendum est,& exponendum, & vere quidem. Alias, id est alio sensu alioue respectu ac modo alio, quàm tu ipse arbitreris, Sarai vere soror mea est,filia,videlicet, patris mei,& non filia matris meæ, non quidem ab ipso immediate progenita, atqui mediate, medio, scilicet Haran fratre meo, & propterea ex parte patris est mihi attinens, & non filia matris meæ, quandoquidem ex eius parte nihil ad me penitus attineat. Nec vno eodemque modo scriptura vtitur nomine sororis. Gen. xx. & Leuit. xviij. cap. at diuersimode, vt ex dictis patet. Quibus autem verbis exprimi, ac significari debeat soror carnalis, prout à sorore non carnali secernitur,dicendum est,quod ex hoc perpulchre,exprimitur, ac significatur, (si tamen de tali ambigitur nomine) quia illa carnalis extat soror alicui, quæ immediate ex patre oritur veluti & ipse frater, non carnalis illa est,quæ à patre quidem eodem at media gignitur persona. Vtraque tamen soror iuxta scripturæ consuetudinem vere soror dicitur, at carnalis, propinquiori præstantiorique consanguinitatis gradu, non carnalis verò remotiori, ac distantiori pariter & ignobiliori gradu, soror denominatur. Nec vllatenus ex ipsius Abrae verbis, in sui iustificationem regi Abimelech dictis,elici potest connubium inter fratrem, & sororem non vterinam, licitum fuisse tunc temporis,quia sufficit Abrae in sui iustificationem mendacium minimè dixisse, dum asseruit Saram suam esse sororem. Et propterea his suis verbis & veris nullum Abimelech regi scandalum intulit. Et licet ex his dictis luce clarioribus, iam pateat connubium inter fratrem, & sororem non solum vterinam, verum & non vterinam iure naturæ esse prohibitum, & penitus illicitum, nihilominus aduersus hanc veritatem, adhuc instatur ex ipso Reuerendissimo Caietano ex eo quod Caim sorem

Caietani Instãtiæ.

rorem ſuam vterinam in vxorem accepit ad multiplicandum genus humanum Nephas eſt autem dicere deum optimum voluiſſe præfatum humanum genus neceſſario multiplicari cum iniuria iuris naturalis, quandoquidem iniuria hæc facillime euitari potuiſſet creando duos viros duasque mulieres, ſicque humanum genus non per connubia fratrum, & ſororum, ac conſobrinorum multiplicatum fuiſſet. Et confirmatur quia ſi connubium inter fratrem, & ſororem vterinam eſſet contra ius naturale, ſeu eſſet per ſe malum moraliter, nulla humana neceſſitate, aut ratione poſſet licitum reddi, quoniam quod eſt per ſe prauum moraliter, nulla neceſſitate redditur rectum. Ad haſce inſtantias facillime reſponde tur tametſi ex præfactis etiam reſponſio haberi poſ ſit, & dicitur conformiter ſupradictis, talia connubia inter fratres & ſorores vterinas eſſe contra ius naturæ, non ſolum quia ſunt contra ius diuinum, & proinde contra ius naturæ, cum vt inquit. D. Thom. iiij. diſtin. xxxiij. q. j. art. j. ad tertium, ea quæ ſunt de iure diuino, dicantur eſſe de iure naturali, cum ſint ex impreſſione ſuperioris principij, ſcilicet Dei. qua de cauſa inquit Iſidorus. v. lib. Etimol. quod ius naturale eſt, quod in lege & euangelio continetur, & habetur in principio Decreti, ſed eſt contra non quidem prima præcepta, ſed ſecunda, quæ ſunt veluti concluſiones, quæ ex præmiſſis deriuantur. Quod ſic declaratur ad aures. D. Thom. vbi ſupra in cor. art. inquientis, lex naturæ nihil aliud eſt, quàm conceptio homini naturaliter indita ad conuenienter agendum in actionibus proprijs, & propterea omne illud quod actionem, fini inconuenientem reddit, quam natura ex aliquo opere intendit contra legem naturæ eſſe dicitur. Poteſt autem actio non eſſe conueniens fini, dupliciter. Vno quidem modo ex aliquo omnino finem impediente, alio vero modo ex aliquo, quod facit difficilem, aut minus

Ad præfata inſtantias, reſpõſio.

minus decentem peruentionem ad finem principalem, vel secundarium. Si ergo (subinculcat) actio sic inconueniens sit quasi omnino finem prohibens principalem directè per legem naturæ, prohibetur primis præceptis legis naturæ, quæ sunt in operabilibus, sicut communes conceptiones in speculatiuis. Si autem incompetens sit fini secundario quocunq; modo, aut etiam principali vt faciens difficilem, vel minus congruam peruentionem ad ipsum, prohibetur non quidem primis præceptis legis naturæ, sed secundis, quæ ex primis deriuantur, sicut conclusiones in speculatiuis, ex principijs per se notis fidem habent, & sic dicta actio contra legem naturæ esse dicitur. Hæc D. Thom. Connubia igitur quæ ab exordio humani generis inter fratres, & sorores vterinas exiterunt inter quæ primum fuit Caim cum sorore sua vterina, non erant quidem contra ius naturæ, id est contra prima præcepta iuris naturalis, at contra secunda, in quibus totius naturæ & cuiuslibet legis auctor absque iniuria naturalis legis siue iuris, pulcherrime dispensauit vt genus multiplicaretur humanum, dum post Adæ creationem, & per anticipationem, antequam ex eius costa Euam formaret dixit. Masculum & fœminam creauit eos. benedixitq́ue illis dicens crescite & multiplicamini & replete terram, Ista quippe benedictio ordinatio fuit ad indiuiduorum multiplicationem in humana natura per naturalem generationem, Sciebat enim Deus vniuersi auctor, multiplicationem hanc sua ex ordinatione, suaq́ue ex determinatione non esse fiendam nisi ex cõnubijs inter fratres & sorores vterinas. per aliquod temporis spacium duraturam. Et cum subiungitur, hoc factum fuisse eum iniuria, iuris naturalis, id inficiandum est, quoniam in hoc affuit diuina dispensatio, Et cum vlterius dicitur, quod potuisset Deus facere ad huiusmodi humani generis multiplicationem duos viros,

Cõnubiũ inter Caim & sororẽ suam, non fuit cõtra prima præcepta iuris naturæ, sed contra secunda.

duasq́ue

duasque mulieres, vt sic multiplicatum fuisset non per fratres ac sorores, at per consobrinos. Respondetur & pulcherrime quidem, Deum potuisse quidem facere absoluta potentia, quæ nullo arctatur, at id faciendum sua sibi sapientia minime suasit. Ea enim omnium fiendorum est ratio pariter & determinatio. In hisce vero rebus de ordinata semper intelligendum loquendumque est & non de absoluta dei potentia. Ad confirmationem vero dicitur, quod connubium inter fratres & sorores, non dicitur esse contra ius naturæ, nisi modo supradicto, nec affirmatur per se malum moraliter, quia repugnet primis naturæ præceptis sed asseritur quod hoc esset per se malum moraliter vtpote secundis naturæ præceptis repugnans, nisi adesset diuina dispensatio, quæ tamen non dicitur præcepti iuris naturalis relaxatio, sed est efficere, vt hic connubij actus inter fratres & sorores vterinas, non sit peccatum ac naturalis indecentia, quæ tali absente dispensatione, peccatum esset & omnino indecens. Et propterea negandum est quod illud quod est per se malum moraliter modo prædicto, nequeat esse & effici rectum, diuina accedente auctoritate ac dispensatione, & naturæ ipsius necessitate sic expostulante. Istiusce vero rei notissima ponit exempla. D. Thom. j. secundæ. q. 100. art. viij. ad tertium, &. q. xciij. art. v. ad secundum, vbi primo loco percūctatur num præcepta decalogi sint dispensabilia, vbi ait, quod quando dei præcepto ac mandato filij Israël tulerunt Ægyptiorum spolia, furtum minime commisere neque rapinam. Et quando Abraā similiter Dei iussu, consensit in Isaac filij sui innocentis occisionem, in homicidium nequaquam consensit. Et demum quando Oseas accessit ad vxorem fornicariam vel mulierem adulteram, non est mœchatus, nec fornicatus, quia ad eam accessit, quæ sua erat secundum mandatum domini dei, qui

Ad confirmationē responsio.

qui institutionis matrimonij est auctor. Hæc. D. Thom. Constat enim omnes hos actus esse per se & suapte natura malos moraliter, & tamen quia nutu & mandato dei perpetrati sunt malos minime extitisse. Constat & ex hoc similiter connubia ac connubiorum actus inter fratres ac sorores esse per se malos moraliter, vtpote secundis naturæ principijs ac præceptis repugnantes, vti iam dictum est, & tñ Dei ordinatione, auctoritate, ac determinatione, quinimò & iussu, cum dixit Crescite & multiplicamini & replete terram malos prauosque minime extitisse. Hæc etenim connubia ac connubiorum actus dispensationem recipiunt diuinam, haud tamen humana. Et confirmantur supradicta ex ipsomet. D. Th. j secundæ. q. xciiij. art. v. in corpore, vbi quærit num Lex naturæ mutari valeat, Sic enim inquit Lex naturæ quantum ad prima principia legis naturæ est omnino immutabilis, quantum autem ad secunda præcepta, quæ dicimus esse quasdam conclusiones propinquas primis principijs, ipsa Lex naturalis non immutatur quin vt in pluribus. fit rectum semper quod Lex naturalis habet. Potest tamen mutari in aliquo particulari, & vt in paucioribus propter aliquas speciales causas impedientes obseruantiam talium præceptorum, vt dictum est. Connubia demum inter fratres & sorores esse iure naturæ prohibita pulcherrime declarat. D. Thom. ij. secundæ. q. cliij. art. ix. inquiens quod in vsu consanguineorum vel affinium inuenitur aliquod congruum commixtioni veneree, tum quia naturaliter homo debet quã dam honorificentiam parentibus & per consequens alijs consanguineis, qui ex eisdem parentibus de propinquo originem trahunt, tum quia personas sanguine coniunctas, necesse est ad inuicem simul conuersari, vnde si homines non arcerentur à commixtione venerea, nimia opportunitas daretur homini

D. Thom. prima. Secundæ.

D. Thom. secundæ. secundæ.

minibus venereæ commixtionis, & sic ipsorum animi, nimis emolescerent per luxuriam, tum quia ex Arist.ij. Polyticorum, cum naturaliter homo consanguineam diligat, si adderetur amor ex commixtione venerea fieret nimius ardor amoris, & maximum libidinis incendium, quod est contra finem matrimonij, per se secundarium, nempe concupiscentiæ repressionem, qui sanè finis secundum eundem, D. Thom. iiij. dist. xl. q. j. art. ij. deperiret si quælibet consanguinea posset in matrimonium duci; Nam magnus concupiscentiæ aditus præberetur nisi inter illas personas, quas oportet in eadem domo conuersari, esset carnalis copula interdicta. Addit & aliam rationem quæ est prima ratio contra oppostra argumenta quæ talis est; Illud quod impedit bonum prolis, etiam matrimonium impedit secundum legem naturæ at consanguinitas bonum prolis impedit, Quod probatur auctoritate Gregorij ad Augustinum Anglorum episcopum quæ habetur. xxxv. q. iij. cap. Quædam Lex, qui ait. Quædam lex Romana permittit vt siue fratris siue sororis, seu duorum fratrum germanorum, seu duarum sororum filius, & filia misceantur, sed experimento didicimus, ex tali coniugio, sobolem non posse succrescere. Hæc item connubia nepharia scelestiaque, ab Imperatoribus Alexandro est seuero damnantur in hæc verba vt habetur, C. de Incest. & inutil.nup. Rescripta omnia vel pragmaticas formas & constitutiones imperiales, quæ quibusdam personis tirannidis tempore permiserunt, scelesto contubernio, matrimonij nomen imponere, vt fratris filiam, vel sororis, vel eam quæ cum fratre quodam nuptiali iure habitauerat, vxorem legitimam, turpissimo consortio liceret amplecti, aut vt talia huiusmodi committerent, viribus carere decernimus, ne dissimulatione culpabili, nephanda licen-

tia roboretur. Patet igitur ex his omnibus connubia inter fratres sororesque vterinas, tum diuina, tum naturali lege fore prohibita, & ad quem, in casu aliquo, dispensatio ipsa pertineat; Et hæc de quæstione hac sat dicta sint.

EIVSDEM GEORGII VERCELLENSIS SACRAE THEOLOGIAE PROFESSORIS, PRAEDICATORVM ORDINIS.

Tractatus infrascripta complectens.

De libero arbitrio, & eius viribus.

De subiecto gratiæ gratum facientis, & de discrimine inter gratiam ipsam, & virtutes Theologicas.

De fide & eius causa, ac eiusdem effectibus deque discrimine inter fidem viuam, & mortuam.

De fide & operibus, Et quomodo tum fides, tum opera ad hominis iustificationem concurrant.

De legibus, deque discrimine inter legem veterem, ac nouam. Et de vtilitate, ac necessitate legis humanæ, ac eius obligatione.

De Ecclesiasticis dignitatibus, ac potestatibus, ac earundem ordinibus.

DE LIBERO ARBITRIO, ET EIVS VIRIBVS.

CONCLVSIO PRIMA.

Liberum arbitrium potentiã quandam, non potentiæ actum vel habitum, neque cum habitu, potentiam esse dicimus.

Liberum arbitriũ, nec actꝰ, nec habitus, sed potentia est.

IN HAC cõclusionem hanc, illud in primis annotandum occurrit, quod licet liberum arbitrium secundum propriam nominis significationem, actum nominet, ab eoque sit denominatũ, haud tamen ipsum ex vsus accommodatione significat, sed illius actus principium, siue potentiam. Nam quod habitus subiectum est, potentia est, sed liberum arbitrium gratiæ habitualis, seu gratum facientis subiectum est, igitur potentia est. Est enim liberum arbitrium potentia qua libere iudicamus, licet nomine actus significetur consuetudine quadam; Quòd non sit actus, eo claresci, quia cum actus quilibet, vel intellectus, vel voluntatis sit, si esset actus secundus cum hic corruptibilis sit & defectibilis, non semper homo esset liberi arbitrij, quod falsissimum est.

Quod

Quod vero habitus non sit, vel etiam ex eo patet, quia, vel habitus esset acquisitus, vel naturalis, non acquisitus, quia liberum arbitrium non acquiritur, sed connaturale est huiusmodi & congenitum, igitur esset habitus naturalis, id autem esse falsum com mostratur, tum quia nullus habitus naturalis ea respicit quæ sub libero cadunt arbitrio, quia habitu naturali, ad ea naturaliter inclinamur à quibus dissentire non possumus, sicuti habitu primorum principiorum ad illa sic inclinamur, vt nequeamus non illis inhærere, ea autem quæ cadunt sub libero arbitrio contingentia sunt, in quæ libere ferimur, & vtrã partẽ amplecti possumus, tum quia si esset habitus, vel bonus, vel malus, si bonus, solum bonum respiceret, & eo, solum bonum operari possemus, si malus, eadem ratione, solum malum efficere valeremus, & sic esset solum, vel ad bonum, vel ad malum. quod est contra naturam nostri liberi arbitrij quo possumus & in bonum nobis proportionatum, & in malum, & bene maleque eligere. Quare cum liberum arbitrium non sit actus, nec habitus, nec potentia cum habitu, eadem ratione, relinquitur vt sit naturalis quædam potentia in secunda qualitatis specie collocata, At statim obijciet quispiam, si est potentia naturalis, ergo ad vnum determinata ergo non libera, quia liberum, id est quod vtrunque oppositorum respicit. Ad id facile respondetur. Nam naturale hoc in loco, non sumitur vt distinguitur contra liberum, sed vt distinguitur contra coactum, & contra ad vnum determinatum. Est itaque liberum arbitrium potentia naturalis, non coacta, non ad vnum determinata, sed naturalis quia huiusmodi naturaliter congenita, & intellectiuę animæ naturaliter inhærens, & tamen libera dicitur respectu electionis libere, & respectu particularium bonorum, vel malorum contingentium sub obiecto suo adæquato contentorum.

Obiectio.

Solutio.

CONCLVSIO II.

Liberum arbitrium est potentia appetitiua, à voluntate realiter minime seiuncta.

CIRCA hanc cõclusionem præ oculis habendum est, quòd licet tàm intellectus, quàm voluntas, sint potẽtię rationales & libere ad opposita se habentes, quia in vtraque reperitur immaterialitas quæ est fundamentum libertatis & origo, & indeterminatio respectu tum intellectionis, tum volitionis, attamen voluntas, quæ est potentia appetitiua est libera magis quàm intellectus, quandoquidem voluntas formaliter libera sit, intellectus vero radicaliter solum & originaliter. Ex intellectu enim ratiocinante quatenus indifferens est, & indeterminatus, respectu alicuius conclusionis agibilis si debeat fieri vel non, si hoc vel illo modo, si hac vel illa causa, si hoc vel illo tempore, libertas oritur, quia cum intellectui diuersa præsentari possint & secundum vnum iudicabit aliquid esse fiendum, secundum aliud, non, vt facile patet in hijs de quibus consiliamur, ob id intellectus liber dicitur, verum hæc libertas radicalis est solum & originalis, complete vero & perfecte, ac formaliter, est in voluntate. Cumque actus voluntatis actum intellectus indeterminatum sequatur, & determinatum iudicium similiter, hinc fit, vt libertas voluntatis, radicaliter & originaliter ab intellectu proficiscatur, & necessitas similiter ex determinato iudicio. Exempli causa. Si ego cadens in manu alicuius volentis me occidere, intellectus meus iudicet, mihi

Volũtas ẽ magis libera, quam intellect⁹

mihi esse conandum ad illius occisionem, ne ab ipso occidar, voluntas mea specificabitur & determinabitur ad occisionem illius, si vero diuersa iudicia peragat ob diuersas circunstantias, voluntas libere tendet in hoc vel in illud vel in eius oppositum, & propterea radicem libertatis ponimus indifferentiam vel diuersitatem iudicij intellectus, quam habet de agendis contingentibus. Hoc ex. D. Thom. clare elicitur. j. q. lxxxiij. art. j. in corporis calce. Arqui licet libertas originalis & radicalis in intellectu sit vt visum est, libertas tamen vera, & perfecta, ac formalis, in voluntate solum reperitur, quę libertas contradictionis est. Voluntas quippe cogi non potest respectu electionis, quæ primus actus est liberi arbitrij, nec necessitatur necessitate absoluta respectu mediorum contingentium, quæ sunt obiectum liberi arbitrij, licet necessitetur respectu vltimi finis, beatitudinis, videlicet, vel vniuersalis boni. Non etiam habet causam mouentem intrinsecam in genere causæ efficientis necessitatem ipsam, & demum motiua est omnium aliarum potentiarum, & sui ipsius ad agendum, quæ quidem conditiones omnes simul iuncte, veram & perfectam efficiunt libertatem, & in sola voluntate reperiuntur, non etiam in intellectu. Nam quarta conditio intellectui potissimum deest, quæ maximam efficit libertatem, videlicet, esse motiuum aliarum potentiarum effectiue, Nam licet intellectus moueat volũtatem per modum finis, haud tamen per modum imperantis, & efficientis, quia id solum voluntati conuenit, & ob id veluti regina est in regno animæ.

Circa prædicta dubitatur, quia diximus Intellectum esse prius liberum radicaliter & originaliter. Secundo voluntatem esse prius liberam formaliter. Tertio voluntatem esse intellectu liberiorem, Et circa primum quidem ab Ant. And. dubitatur. ix. Metaph. q. ij. expresse tenente de mente Sco. j. sent. *Dubia.* *Ant. And. ix. Metap.*

dist.xxxviij. quòd intellectus in se consideratus, & re spectu proprij actus est potentia irrationalis, id est naturalis ad intelligendum solum determinatus, & non est in potentia sua intelligere, & non intelligere, assentire &, non assentire, respectu obiecti sibi propositi, & sic non erit liber, nec formaliter, nec radicaliter. & tota eorum ratio consistit in hoc. Quia quicquid intellectus intelligit ante omnem voluntatis actum, intelligit mere naturaliter, ergo ante actum voluntatis, nulla est in intellectu libertas.

In actu intelligendi quòd est circa contingentia tria considerari possunt.

Verum, quàm isti decipiãtur hinc facile patescet. Quia in actu intelligendi, qui est circa agibilia contingentia, quæ non necessariam connexionem habent cum vniuersali bono, & summo, & respectu quorum agibilium contingentium, in intellectu ponimus radicalem libertatem, tria cõsiderari possunt, primum est obiectum ipsum præsens, intellectus motiuum, secundum, productio ipsius actus intelligendi, & hæc duo proculdubio naturalia sunt, quia & naturaliter intellectus mouetur ab obiecto suo præsenti, & mediante ipso, producit naturaliter actum intelligendi, sed tertium reperitur, videlicet, iudicium ipsius intellectus de aliquo obiecto agibili fiendo, vel non fiendo, sic vel non sic, hac vel illa causa, hoc vel illo tempore, & sic de alijs circunstantijs, & quo ad hoc tertium non est intellectus determinatus, quandoquidem possit diuersimode concludere, affirmatiue, vel negatiue, & sic respectu huius tertij, intellectus est liber libertate originali, & radicali, in hocque sensu, falsum est antecedens Sco. & Ant. Andr. Reuerendissimus vero Cardinalis. j.q. lxxxiij. art.j. respondens ait, quòd licet antecedens Sco. sit verum de actu intellectus elicitiuo, & obiectiuo quo ad conditiones positiuas, non tamẽ quo ad conditiones negatiuas, seu negatiue monstratas, quia ante actum voluntatis habet indifferentiam, & indeterminationem iudicij respectu vtriusque partis

tis contradictionis, quæ opponitur directè naturæ, quæ est determinata ad vnum, & hæc indeterminatio, & indifferentia, est radix libertatis. Et confirmatur, quia si iudicium tale intellectus esset determinatum, voluntas non posset ad quam vellet contradictionis partem se vertere, sed à iam determinatio iudicio necessitaretur, ad hoc volendum, vel non volendum. At quia iudicium rationis circa hoc amandum, vel non amandum ante actum voluntatis indifferens est, & vtrinque rationem habens, ob id suspensum stat nec natura, nec electione secundum se determinatum est. & sic in eo sensu in quo verificatur antecedens, negandа est consequentia Sco. in alio vero sensu negandum est antecedēs, sicuti prius autumatum est, idipsum esse falsum.

Opinio tenentium, intellectū, esse voluntate, magis liberū Argumentum.

Circa secundum dubitatur à nonnullis, quibus videtur, aliquem actum intellectus, & prius, & principalius esse aliquo actu voluntatis imagis liberum, & sic sequi intellectum esse formaliter liberum, & prius ipsa voluntate. Arguunt itaque sic. Per duos actus sumus aliorum nostrorum actuum domini, per cognitionem, videlicet intellectus, de non necessaria connexione aliquorum in particulari volibilium in ordine ad finem, & per actum voluntatis, quo non necessario volumus hoc vel illud cognitū ab intellectu, habere necessariam connexionem ad finem, sed per primum actum regulatur secundus, & non econtra ergo. Quod vero per primum reguletur secundus probatur, quia si intellectus concludit, quòd medicina reubarbari est necessaria ad consequendum sanitatem iudicio completo, & vltimato, voluntas per actum suum tendit in illud, si vero concludat oppositum, voluntas non tendit in illud, ergo primus actus formaliter est liber, non ergo actus voluntatis.

Ad argumentum & responsio.

Sed ad hoc dicitur, quòd argumentum non concludit nisi intellectum esse prius radicaliter liberum,

& non formaliter, respondendo igitur ad formam argumenti negatur vltima ꝓña, & ratio negationis est, quia libertas formaliter alicuius potentiæ non consistit in hoc quòd eius actus est directiuus, & regulatiuus, actus voluntatis, sed vt sit effectiue motiua omnium aliarum potentiarum, quod soli voluntati competit, & ideo sola formaliter libera est, Quare &c.

Aliorum opinio tenentium intellectum ita liberũ vti voluntate, est & probant.

Circa tertium arguunt nonnulli probare intendentes, intellectum esse æque liberum cum ipsa voluntate, & sic. Omnes conditiones conuenientes potentiæ perfecte libere, conueniunt & intellectui, igitur libertas intellectus, currit cum voluntatis libertate. Probatur assumptum, quia tres conditiones efficiunt veram libertatem in potentia, Prima est immaterialitas, potentiæ, secunda, quòd habeat obiectum vniuersale. Tertia, quòd indifferenter se habeat ad contenta particularia sub vniuersali obiecto. & omnes istę tres conditiones vt patet, conueniunt intellectui sicut & voluntati, ergo &c.

Rationi respondetur.

Respondetur, quòd licet iste tres conditiones intellectui conueniant sicut & voluntati, non tamen sufficiunt, cum potior deficiat quæ facit potentiam perfecte & formaliter liberam, quæ est, vt sit effectiue motiua sui ipsius, & omnium aliarum potentiarum, quod solum voluntati competit, Denique & alia deficit, quia intellectus necessitari potest vt in actum suum exeat, voluntas vero minime, de intellectu patet, quia cogitur ab ipsa voluntate vt in suam exeat operationem; Nam & si liber sit intellectus ex parte obiecti, non tamen ex parte subiecti, voluntas vero vtraque libertate gaudet, & obiecti, videlicet, & subiecti, quia voluntas indeterminata est respectu agibilium contingentium, & non habentium necessariam connexionem ad finem; potest enim velle, & non velle, illud prosequi, & suum oppositũ, quod obiecti libertatem insinuat, subiecti vero quia

non

non potest ipsa ab intellectu cogi vt exeat in actum suum, ipsa vero necessitat intellectum ad intelligendum vt dictum est. Patet itaque maiorem in voluntate libertatem esse, quàm in intellectu. Claret igitur conclusionis prima pars, videlicet libertatem arbitrij ad potentiam appetitiuam non qualemcunque, sed rationalem, quæ voluntas est, attinere. Ex. D. Thom. vero. prima. q. lxxxiij. art. iij hæc ratio primæ partis conclusionis probatiua elicitur. Quia actus primus, & principalis quinimò adæquatus, liberi arbitrij, pertinet ad potentiam appetitiuam, ergo & ipsum liberum arbitrium, consequentia claret, antecedens probatur, quia actus adæquatus liberi arbitrij est electio, siue eligere, sed eligere importat præconsiliati appetitum, siue desiderium, ergo. Et licet electio includat aliquid ad vim cognitiuam pertinens, quia exposcit consilium per quod iudicatur quid sit alteri præferendum, quod ad rationem attinet, tamen id non constituit nisi libertatem radicalem, & ideo secundo requiritur, quòd appetendo acceptetur id quod per consilium dijudicatur, quod facit libertatem formaliter, quodque ad voluntatem attinet, & ob id dixit Aristot. tertio Ethicor. liberum arbitrium esse appetitum intellectiuum. Confirmatur etiam, quòd electio pertineat ad vim appetitiuam principaliter licet includat virtualiter actum intellectiuæ potentiæ, Quia bonum vt bonum est obiectum appetitiuæ virtutis, sed obiectum electionis est bonum sub ratione boni, ergo spectat ad appetitiuam virtutem, Maior clarissima est, minor probatur, Illud quod ordinatur ad finem est bonum, patet ista, quia si finis est bonus, est bonum verum, si finis est malus, est bonum apparens, respectu ordinati ad finem, sed obiectum electionis ordinatur ad finem, ergo est bonum. Minor probatur, obiectum electionis est semper medium aliquod, sed tale medium finem respicit, ergo

ordi

ordinatur ad ipsum; Et confirmatur, quia sicut voluntas proprie respicit finem, ita liberum arbitrium cuius actus est eligere, respicit media quæ rationem boni vtilis habent. Tunc vltra sequitur quòd si obiectum electionis est bonum, & ob id pertinens ad vim appetitiuam, quòd etiam electio ipsa ad eandem virtutem attinet, quia operationes & actus potentiarum operatiuarum specificantur ex finibus, vt patet in omnibus, talis autem actus est electio, ergo cum specificetur ex fine suo qui est bonum vtile, spectabit ad eandem potentiam ad quam spectat finis, Quare liberum arbitrium erit potentia appetitiua rationalis. At si quisquam obijceret, quòd liberum arbitrium pertinere videtur ad vim intellectiuam & non appetitiuam, quia liberum arbitrium, liberum sonat iudicium, sed iudicium ad rationem, seu cognoscitiuam virtutem pertinet, ergo non ad appetitiuam, vt prius dicebatur. Ad hanc rationem respondetur, quòd in libero iudicio, duo implicantur & includuntur, alterum est iudicium, alterum est ipsius iudicij libertas & licet iudicium simpliciter sumptum sit solius rationis, quia iudicium est conclusio, siue determinatio consilij, quod quidem consilium rationis est, nihilominus iudicij libertas formaliter ab ipsa est voluntate, quia acceptatio ipsius iudicij quæ fit per appetitum acceptantem hoc iudicium intellectus & non aliud, hoc vel eius oppositum, spectat ad voluntatem quæ appetitus rationalis est & hoc expresse habetur à. S. Th. Ver. q. xxiiij. art. vj. vbi sic inquit, Liberum arbitrium dicitur potentia qua homo potest libere iudicare. Quod autem dicitur esse principium alicuius actus aliqualiter fiendi, id est fiendi secundum modum, (sic enim interpretandum est) non oportet quòd sit principium illius actus simpliciter, sed principaliter significatur quòd sit principium huiusmodi actus. id est quòd sit principium non actus secundum substantiam,

Dubium.

Responsio

tiam, sed modi actus (sic enim rectè intelligitur) & exemplicat, sicut grammatica per hoc quod dicitur esse scientia rectè loquendi, non intelligitur quòd sit principium loquutionis simpliciter, quia homo sine grammatica etiam loqui potest, sed quòd sit principium rectitudinis in loquutione, ita & potentia qua libere iudicamus, non intelligitur illa qua iudicamus simpliciter quod rationis est, sed quæ facit libertatem iudicando, quod voluntatis est, & sic ex D. Thom. clare habetur, quòd libertas iudicandi formaliter est in voluntate, radicaliter vero & antecedenter, in ratione.

Rõtenẽtium liberum arbitrium esse realiter à voluntate distinctũ.

Circa secundam quæstionis partem, videlicet, quòd liberum arbitrium realiter à voluntate non distinguatur à nonnullis dubitatum est, & oppositum affirmatum, hanc ob causam, quia actus liberi arbitrij distinguitur ab actu voluntatis & etiam rationis, & obiectum ipsius ab obiecto istarum duarum potentiarum voluntatis, videlicet, & rationis, modo ex distinctione actuum & obiectorum adest distinctio potentiarum. Quòd vero actus liberi arbitrij qui est eligere, distinguatur ab actu voluntatis qui est velle, & intellectus siue rationis, qui est intelligere seu discurrere, ex se liquet, & similiter quòd obiectum liberi arbitrij quod est bonum ad finem, seu bonum vtile, & bonum quod est finis simpliciter & obiectum voluntatis, & verum quod est intellectus obiectum, distinguantur, ex se quoque manifestum est. quare secundum istos erit vna quædam potentia tertia, ab istis realiter distincta; Sed isti falluntur & decipiuntur, quia obiectum & ratio formalis obiecti, ad eandẽ potentiam pertinent, sicuti color & lumen ad eandem potentiam visiuam attinent, quorum alterum obiectum est, color videlicet, alterum vero obiecti ratio formalis, scilicet lumen. sic dicimus de obiecto liberi arbitrij & voluntatis, quorum vnum est ratio formalis alterius,

Rationi respondetur.

Nam

Nam obiectum liberi arbitrij est bonum ordinatum ad finem, sed obiectum voluntatis est ipsum bonum simpliciter quod est ratio formalis boni ad finem ordinati; Quod enim bonum vtile, seu ad finem ordinatum appetatur & eligatur à libero arbitrio, eius ratio formalis, est ipsum bonum simpliciter, quod habet rationem finis. Finis quippe est ratio formalis eorum quæ sunt ad finem, & ratio quare vnum magis eligatur quàm aliud, est maior bonitas, similiter dicendum est de actu liberi arbitrij & actu voluntatis, quorum vnus, videlicet, actus voluntatis est ratio formalis actus liberi arbitrij, quia nunquam quicquam eligeremus, nisi illud vellemus, & sic cum ista se habeant, sicut obiectum & ratio formalis obiecti, & actus vnus, ratio formalis alterius sit, iccirco ad eandem potentiam pertinent, non igitur sunt duæ potentiæ realiter seiunctæ, sed vnamet ad diuersa comparata, quæ diuersitatē rationis inducunt, ne quaquam diuersitatem realem. Nam potentiæ appetitiua rationalis vt comparatur ad finem simpliciter, dicitur voluntas, vt cómparatur ad ea, quæ sunt ad finem, illamet dicitur liberum arbitrium; Et hoc est quod asserit diuus Thom j.q.lxxxiij.art.iij. de mente Damasceni inquientis, liberum arbitrium nihil aliud esse quàm voluntatem, & affirmat. D. Thom. ita se habere liberum arbitrium & voluntatem, quemadmodum se habent ratio & intellectus. Quia intellectus est respectu simplicium, vel principiorum, & intelligere importat simplicem rei apprehensionem; ratio vero est respectu conclusionum, & ratiocinari, est intelligere cum discursu, & quemadmodum Intellectus est principiorum, ita ratio est conclusionum, sic proportionaliter dicimus de voluntate & libero arbitrio, quia voluntas est respectu simplicis appetitus finis, & velle respicit finem absolute, liberum autem arbitrium est, respectu mediorum ad finem, & eligere est appetere, non finem, sed ea quæ sunt ad finem,

nem, modo sicut se habet intellectus & ratio in cognoscitiuis, ita se habent voluntas & liberum arbitrium in appetitiuis, sed intellectus & ratio sunt vna & eadem potentia realis, ergo voluntas & liberum arbitrium erunt vna & eadem potentia realis, solum distinctionem rationis habentia; Nec officit his dictis, quòd potentiæ per actus distinguantur, & velle quod voluntatis actus est, & eligere quod liberi arbitrij actus quoque est, videantur diuersi, & ob id in potentijs diuersitatem inducere, quia velle & eligere non sunt realiter distincta, cum eligere, ipsum velle necessario includat, licet non econtra, nec sint actus ad diuersas potentias pertinentes, sed ad eandem diuersimode comparatam. Voluntas quippe vt iam tactum est, ad finem comparata, velle producit, ad media vero applicata, eligere gignit, quo fit vt non sint diuersi actus, diuersas potentias distinguentes. Non enim potentiæ per quoscunque actus, realiter distinguuntur, sed solum per actus specificos, adæquatos & realiter discretos, quales non sunt eligere & velle. Quare &c.

CONCLVSIO III.

Hominem liberi esse arbitrij, tum rationi, tum sacris consentaneum est litteris.



Conclvsio hæc quo ad primam sui partem probatur, Quia vbicunque est facultas voluntatis & rationis ibi est liberum arbitrium, sed in homine est facultas voluntatis & rationis ergo in ipso est liberum arbitrium; Præterea. Quicunque est dominus actuum

suo

suorum est liberi arbitrij, sed homo est dominus actuum suorum igitur est liberi arbitrij. Maior ex se clarissima est, Minor probatur. Quia quicunque habet actus, tum à consilio, tum à voluntate proficiscentes, illorum est dominus, sed homo habet actus & à consilio & à voluntate proficiscentes, igitur est dominus illorum. Amplius. Cuicunque prohibitiones fiunt & præcepta traduntur, ille proculdubio est liberi arbitrij, patet hæc, quia prohibitiones non debent fieri nisi ei, qui potest facere & non facere, & similiter præcepta dari, nisi ei, qui potest obseruare & non obseruare. Lex enim & præceptum propter transgressores duntaxat ponuntur, sed homini dantur præcepta tum diuina, tum humana, & eidem prohibitiones fiunt vt patet, igitur est liberi arbitrij. Ad huc. Quicunque iuste præmiari vel puniri potest, est liberi arbitrij, hæc clara est, quia si non esset liber respectu operationis, sed necessitaretur, non posset iuste puniri vel præmiari, sed homo iuste, tum à deo, tum ab humano principe, iuste præmiatur & punitur, vt sole clarius patet, igitur est liberi arbitrij. Et denique nisi homo liberi esset arbitrij periret tota philosophia moralis, quæ de virtutibus ac vitijs & eorundem actibus est. Quapropter necesse est hominem liberi esse arbitrij, & id consonum esse rationi.

Quo ad secundam quæstionis partem liceret diutius immorari, ni scripturæ omnes hominem liberi esse arbitrij conclamarent. Sed vt paucis agamus, illud primo citabimus quod habetur Ecclesiast. xv. vbi dicitur. Deus ab initio constituit hominem rectum, & reliquit eum in manu cõsilij sui, id est in libertate arbitrij vt inquit Glos. At quispiam respondebit inquiens, hoc dictum duntaxat in homine in statu innocentiæ verificari, non autem in statu naturæ corruptæ, sed huic aliam subijciamus auctoritatem de homine in statu naturæ corruptæ loquentem, scribi

tur

tur siquidem Gen. iiij. dominum dixisse ad Caym. Nonne si bene egeris recipies? Sinautem male statim in foribus peccatum tuum aderit. Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Quid clarius dici potest? Item Matth. xxiij. & Luc. xiij. conscribitur. Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas & lapidas eos, qui ad te missi sunt quotiens volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas & noluisti, &c. Et Esaiæ primo. Si volueritis & audieritis me, bona terræ comederis. Sed quid opus est auctoritates scripturæ citare, cum Christi Euangelia, sententijs, hominem liberum esse, precinentibus, plena sint? Hinc patet, quàm prophana fuerit Manichæi opinio pariter & Iouiniani, quorum primus asseruit sic hominem originali obstrictum peccato, & carnis suæ concupiscentia cogi, vt non nisi peccare possit; Iouinianus vero astruxerit hominem non posse peccare; hij nempe duo, extremas amplectentes opiniones turpiter errauere, liberum totaliter ab homine auferentes arbitrium, quorum errores & hæreses pluribus libris eliminauere Hieronymus & Augustinus;

Gen. 4.

Matth. 23

Luc. 13.

Esaiæ. 1.

CONCLVSIO IIII.

Hominem per seipsum, solo libero arbitrio, absque speciali dei auxilio, animum mouentis, se ad gratiam præparare posse, diffitemur.

HIVS orthodoxe cõclusionis veritas hinc patet. Quia hominem se ad gratiam præparare, nihil aliud sonare videtur, quàm eundem se ad deum conuertere, hæc autem conuersio

sine deo perfici non valet. Ad cuius claritudinem illud potissimum annotandum est, Deum videlicet, principium esse, tum naturalium omnium, tum supernaturalium rerum, & finem pariter, quatenus igitur principium est naturale omnium, creaturas omnes mouet ad suas operationes suosque fines, ita vt nihil ipsæ possint efficere, nisi ad operandum, easipsas, deus, vt principium & finis naturæ, moueat, quandoquidem inter causas creatas, & deū ipsum, essentialis sit ordo necessariaque dependentia, Cumque creaturas ad fines suos naturales mouet, dicitur easdem ad ipsum conuertere. Naturale quippe est, cuilibet agenti & mouenti, effectus suos ad se conuertere, at talis conuersio naturalis erit, naturæ ordinem minime excedens, de qua nunc minime loquimur; Quatenus vero deus ipse, principium est supernaturale, vtpote gratiæ & gloriæ causa, & finis similiter, solas intellectuales mouet creaturas & rationales, quæ nihil ad gratię vel glorię ordinem spectans, operari quæant nisi prius deo, eas, mouente & ad se conuerrente; Et ideo licet homo per liberum arbitrium possit operari opera moraliter bona, talia tamen non sunt sufficientia ad gratiæ præparationem nec in deum conuersionem, vt falso opinatur Durand. xxviij. dist. ij. sent. q j. sed necessario requiritur non quidem aliquod habituale donum, neque habitualis gratia, sed diuinum quoddam auxilium, siue suffragium interius animam mouens, siue propositum bonum inspirans, nec sufficit sola influentia generalis. Huiusce necessitatis causam multiplicem assignat. D. Thom. tum de Ver. quæst. xxiiij. art. xv. tum. prima. secundæ q. cix. art. vj. Si enim homo, inquit, in peccato mortali existens debeat se ad gratiam gratum facientem suscipiendam, præparare, opus est vt de nouo incipiat velle, quod prius nolebat, ad hanc autem inceptionem fiendam, indiget aliquo ipsum mouente, eo modo quo docet

Deus est principiū & finis omnium rerum naturalium, & supernaturaliū

Opera moraliter bona nō sufficiunt ad gratiæ p̄parationē. Durandi reprobatā opinio.

D. Thom.

cet Arist. physic. viij. de Animalium motu, inquiens, quòd motus animalium post quietem, necesse est præcedere alios motus, quibus anima excitatur. Tale autem mouens, in homine, se ad gratiam suscipiendam, præparante, & de nouo voluntatem ad deum conuertente, est aliquod exterius sicuti exhortatio, vel corporis ægritudo, vel aliquid huiusmodi, aut aliquis interior instinctus, quo deus in mentibus hominum operatur occulte, aut vtroque modo. Hoc autem solum ex diuina fit miseratione, & sic semper homo in tali præparatione indiget diuina misericordia diuinoque suffragio. Amplius non qualiscunque motus voluntatis est sufficiens præparatio ad gratiam, sed oportet esse aliquem determinatum motum, qui quidem motus homini adesse non potest, nisi ex diuino & speciali auxilio perducente ipsum in cognitionem huiusmodi motus iam dicti; Impossibile quippe est scire modum præparationis alicuius formæ suscipiendæ, nisi forma ipsa dignoscatur, quia aliter casu fieret talis præparatio, si esset forma naturalis, etsi esset super naturalis forma, non posset fieri sufficienter ex proprijs naturæ, nisi adesset diuinum auxilium & diuina motio, tum ducens in cognitionem formæ, tum faciens proportionem inter præparationem & formam; Nisi nanque sit tale mouens & dirigens, ac gubernans, non potest homo se sufficienter per liberum arbitrium præparare; Quantumcunque enim homo faciat quod in se est libero arbitrio, nisi speciale adsit dei auxilium, non valet hanc præparationem efficere, quæ ad gratiam exigitur suscipiendam; Nec obstat huic sententiæ quod scribitur à. D. Thom. ij. sen. dist. xxviij. art. iiij. dum inquit, q. homo faciens quod in se est sufficienter præparat se ad gratiam. Quia intelligendum est hoc dictum vt idemmet. D. Thom. exponit. prima. secundæ. & q. de Ver. vti iam dictum est; Est enim aliquid gratiæ, talis præparatio. Nec

Vnum. D. Th. dictũ per aliud declaratur.

Soluitur quod obicit Durādus.

rursus officit quod asserit Durand. loco citato, quia homo potest absque speciali dei auxilio operari opus moraliter bonum quod habet immediatum ordinem ad bonum gratiæ. Quoniam vltra bonum morale vt fiat debita gratiæ præparatio, exigitur vt fiat tale bonum cum conuersione ad Deum vt finē supernaturalem, quæ quidem conuersio nequit absque dei auxilio speciali fieri, & licet inter bonum morale, & bonum gratiæ sit immediatus ordo, non tamen inter bonum pure morale, & tale bonum gratiæ, videlicet gratum facientis, quia mediat aliquod opus, scilicet conuersio in deum quæ in sui termino est meritoria, vtpote gratia informata; Nec vnquā talis conuersio fieri posset, nisi deus hominem ipsum primo moueret. Moueri nanque in deum primo, & per se, & in ipsum conuerti, sic deo competit, vt ipsius proprium esse dicatur, & cuicunque competit, per deum, vt vltimum finem simpliciter sibi conuenit. Qua re conclusio ipsa clarissima est.

CONCLVSIO. V.

Homo in mortali peccato existens, absque diuinæ gratiæ auxilio ab eodem resurgere nequit.

PROBATVR conclusio hæc primo ratione ad impossibile deducente, deinde ratione ostensiua, illud in primis supponendo quod inficiari nequit, videlicet, quòd à peccato resurgere, nil aliud importat quàm hominem iustificari, & deo gratificari, Per peccatum quippe constituitur homo deinimicus, & ideo dum à peccato resurgit, deo coniungitur & vnitur, quod quidem

quidem nequit fieri nisi per gratiam quam Christus nobis sua passione promeruit.

Arguitur igitur sic, Si homo absq; auxilio gratiæ posset seipsum iustificare, id est de statu peccati, & culpæ, ad iustitię statum redire, tunc Christus gratis fustraque mortuus fuisset, quod prophanum est dicere, consequentia probatur per simile quoddam ab Apostolo adductum. Gala. ij. Hanc enim consequētiam format Apostolus. Si data est lex quæ potest iustificare, ergo Christus gratis, id est sine causa mortuus est, igitur à simili, si homo per seipsum absque gratia iustificare se potest, Christus gratis & inaniter mortuus est. quod neutiquam dicendum est. *Rō. ad impossibile ducens.*

Ratione ostensiua sic firmatur; Quia resurgere à peccato nihil aliud est, quàm hominem reparari ad ea quæ peccando amisit. Nam licet peccatum actu transeat, remanet tamen semper reatu, id est obligatione ad pœnam, donec reparetur. Et ob id resurgere à peccato non est solum cessare ab actu peccandi, sed recuperare ea bona, quæ peccando amisit, & profligare detrimenta quæ incurrit, quibus sanè subiacet, donec adiuuetur à deo. Bona vero quæ homo peccando amittit, triplicia sunt, videlicet bonum gratiæ, quæ decor quidam est animæ, seu radius diuinus, animam colluſtrans, sanans atque perficiens, quo & deo iungitur eiusque amicus redditur, secundum vero est bonum naturæ, quod in ordine consistit, quo sanè bono, homo, deo totaliter subijcitur, & vires sensiuę omnino rationi obtemperant. Tertiū est libertas à pœna perpetua, quia ante peccatum nulli obligatur æternæ pœnę; Mala autem & detrimēta his supradictis bonis contraria, & ipsa tria sunt, videlicet macula, corruptio boni naturæ, & pœnę reatus; quæ homo peccando incurrit. Nam dum peccat homo, macula deformitatis peccati afficitur, ex decoris gratię priuatione; Bonum vero naturæ corrumpitur, dum hominis natura deordinatur, voluntate *Ratio ostensiua.* *Bona, quæ homo peccando, amittit.* *Quot & quæ mala incurrit homo peccando.*

hominis, deo non existente subiecta, nec viribus sensitiuis, rationi parentibus; Hoc enim ordine sublato tota hominis natura peccantis, remanet inordinata; Incurrit denique postremum malum, reatum videlicet, id est obligationem ad pœnam æternam, quam meretur homo peccando. Hæc autem tria mala per peccata incursa, non valet homo proprijs profligare viribus, nec bona his opposita reparare, nisi deo ipsum adiuuante, & ideo non potest per seipsum à peccato resurgere; Quod nequeat primum bonum amissum gratiam, videlicet, reparare, patet, quia cum forma quædam, & habitus sit supernaturalis, non nisi à deo potest infundi. Nam decor gratiæ ex illustratione diuini luminis proficiscitur, qui quidem nequit in anima reparari nisi deo denuo animam hominis illustrante & eamipsam habituali dono, seu lumine gratiæ perfundente. Ordo quoque naturæ per peccatum corruptus, non nisi per gratiam reparari potest; Nisi enim deus per gratiam ad se hominem trahat, non potest hominis voluntas recte subijci deo, nec vires sensitiuæ ipsi rationi.

Duplex hominis ad deum subiectio.

Sed hic animaduertendum est, duplicem esse hominis subiectionem respectu dei, altera secundum quid, simpliciter altera, & istius duplicis subiectionis radix hinc oritur, quia Deus bifariam considerari potest, vt principium videlicet, totius naturæ, & vt principium non solum naturæ, sed gratiæ, & gloriæ, omnium naturam excedentium, & etiam vt finis supernaturalis beatitudinis, si primo modo consideretur, eidem potest homo ex puris naturalibus subijci, nec indiget ad hanc fiendam, habituali dono gratiæ. Potest siquidem homo, vel gentilis, vel Christicola, in peccato tamen mortali existens, ita se subijci deo vt principio naturæ, vt mutetur de vno statu in alium, quia actus prauus, vel habitus, non ita minuunt naturæ bonum vt necessitetur ad manendum in peccato, sed potest voluntas in oppositum

bonum

bonum mutari, & continua virtutis exercitatione voluntatem firmare, vt deo subijciatur, & sic ordo naturæ absque diuinæ gratiæ suffragio reparabitur, verum de tali non loquitur. D. Thom. hoc in loco; Si autem sermo sit de subiectione simpliciter, qua homo subditur deo, vt principio & fini, tum gratiæ, tum gloriæ, seu supernaturalis beatitudinis, sic non potest hæc haberi subiectio nisi interueniente gratia diuina, qua deo simpliciter obtemperat, & de inobediente, obediens constituitur. Cum enim deus hominem speciali quadam motione, vel exteriori, vel interiori, vel simul vtraque mouet, ipsum ad se conuertit, & in termino conuersionis, & subiectionis, sibi gratiam gratificantem elargitur, vt iam superius dictum est. Reatus denique pœnæ æternæ remitti non valet nisi à deo, in quem est offensa commissa, & qui est omnium iudex, ad quem attinet æternam condonare pœnam, & ob id clarescit ipsa conclusio, non posse hominem ex seipso à peccato resurgere nisi mediante, dei, & gratiæ suffragio. Nec obstat quod ait Apostolus. Ephe. v. dum dicit. Exurge qui dormis & illuminabit te Christus, quo videtur Apostolus præcipere exurrectionem, & nos debere prius à peccato resurgere, quàm illuminemur per gratiam à Christo. Hoc inquam nihil obstat, quia auctoritas Apostoli sic est intelligenda, vt semper diuinum præsupponatur auxilium. Sensus enim Apostoli hic est, q̃ quia deus hominem mouet eum ipsumq̃ semper ad se trahit, & vt conuertatur, ac bonum semper operetur, excitat, ob id inquit Apostolus, Exurge à mortuis, id est te deo prius mouẽte & trahente, ac tibi manum exporrigente, exurge per liberum tuum arbitrium, ne motioni diuinæ renitaris, ne contradicas, sed eidem inhæreas, eidẽ obsequaris, & illuminabit te Christus, gratiam tibi præstabit gratificantẽ qua deo perfecte inhærebis, & sic similes semper gloſſandæ sunt auctoritates, quoniã semper

Obiectio ex Apostoli dicto.

Responsio

supponunt gratiam præuenientem. Hinc est, quòd scribit. Esa. xliij. Ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, & in Psal. Remisisti iniquitatem plebis tuę; Hinc quoque excluditur Pellegianorum error, quo asserebant hominem per solum liberum arbitrium à peccato posse resurgere. Id enim falsissimum esse constat, & auctoritati scripturæ omnino aduersum.

Pellegrianorum cõfutatur error.

Prima. secunda. q. 109. art. 7. ad tertium. Obiectio ex. D. Th. dicto. Solutio.

Aduerte hoc in loco, ad verbum quod affirmat. D. Th. in responsione ad tertium, quo videtur sentire hominem in statu naturæ corruptę, non posse per seipsum reparari non solum quo ad supernaturale iustitiæ bonum, verumetiam nec quo ad naturale sibi bonum. Intelligit quippe D. Th. per tale bonum connaturale, vigorem quendam rationis, seu rectitudinem naturalem, qua deo subditur, quæ per peccatum corrumpitur, vt nequeat nisi sustragante deo reparari, vt iam superius est tactum.

CONCLVSIO VI.

D. Thom. prima, secunda q. 109. art. viij.

Homo in statu naturæ integræ siue ante peccatum, poterat omnia, & singula peccata, tum mortalia, tum venialia, absque habituali gratia vitare.

VIVS conclusionis veritas hinc sumi potest. Quia in statu naturæ integræ supposito etiam quòd homo non fuerit in gratia conditus (vt pleriſque placet) poterat homo sic deo subijci vt nec mortaliter nec veniaIiter peccaret; Erat enim ante peccatum, mens hominis

minis, totaliter deo subiecta, & vires sensitiuæ nullatenus rationi repugnabant; adeo vt inter deum & hominem esset dulcis quædam harmonia & musica, & semper sic permanere potuisset si voluisset; Nullam enim repugnãtiam, contradictionem nullam, nullũ stimulum, nec vllos motus inordinatos persentiebat tunc homo in membris suis, seu in corpore suo, quo fiebat vt posset homo deo obtemperare, illi semper inhærere, nec vnquam ab illo mentem auertere, & sic deo coniunctus, nec mortaliter, nec venialiter peccare. Stante enim vera hominis ad deum subiectione, & nullis agitatus stimulis, motus illius omnes erant ordinati, & ob id nullum interueniebat peccatum, quod deordinationem importat; Erat igitur tunc natura penitus integra, & perdurante tali integritate, quali, dictum est, absque gratia gratum faciente, seu habituali dono, non tamen absque diuino quodam auxilio, hominem in bono conseruante, vitare poterat, omnia & singula peccata, tum mortalia, tum venialia. Perseuerante quippe illo in tali ordine, non peccabat, dum illico peccauit suasu, tum diaboli, tum mulieris, à naturæ ordine recessit.

Sed contra id, arguit Durand. ij. sen. dist. xxviij. att. iij. Quia homo in statu naturæ integræ non poterat vitare peccata omissionis præceptorum gratiæ, seu charitatis, quia non poterat ex solis naturalibus implere hoc charitatis præceptum. Diliges dominũ deum tuum, &c. & similia; ergo obmittendo talem impletionem, peccabat peccato omissionis, & sic nequibat vitare talia omissionis peccata, sine gratia. *Durandi obiectio.*

Ad hoc Durandi argumentũ. Respondet Reuerendissimus Cardinalis. prima. secundæ. q. cix. att. viij. ꝙ homo in statu naturæ integræ poterat quidem absque supernaturali gratiæ dono vitare peccatum omnissionis omnium diuinorum præceptorum, nõ tamen sine dono habituali ea implere, Aliud quippe est legis præcepta, vt gratiæ, & charitatis sunt, imple- *Obiectionis solutio.*

re,

re, & aliud posse vitare peccata eisdem opposita. Quia, adimpletio præceptorum, vt charitatis, & iuris supernaturalis sunt, necessario exigit & claudit in se supernaturale donum in habente, quo potens redditur ad talem impletionem fiendam. At vitare peccata ommissionis, non necessario claudit donum supernaturale, seu gratiam gratum facientem, quia talia peccata vitari possunt, dum nullum præstatur impedimentum per liberum arbitrium supernaturali dono, tum gratiæ habitualis, tum diuinæ motionis speciali, quo præparare se potest ad gratiam suscipiẽdam, qua suscepta potest talia obseruare præcepta. Et sic homo in statu naturæ integræ absque gratia habituali, sed ex solo diuino auxilio speciali, potuisset nõ præstare impedimentum diuinæ motioni ipsum ad gratiam disponenti, & ex consequenti suscipere gratiam qua omnia ommissionis peccata vitasset, & hãc responsionem tangit Capre. ij. sen. dist. xxviij. q. j. ad secundum Duran. dum inquit, q̃ carens gratia potest vitare peccata præceptis charitatis opposita in sensu diuiso, & quadam potentia remota inquantum potest se disponere ad gratiam qua vitantur.

Alia responsio.

Sed breuius dici potest, q̃ argumentum Durandi verum quidem concludit at non contra. D. Th. q. D. Th. intelligit, quòd homo in statu naturę integrę potuit vitare omnia, & singula peccata, tam mortalia, quàm venialia, præceptis decalogi, seu præceptis moralibus opposita solum, non etiam præceptis charitatis opposita, quia talia vitare, non nisi ex gratia gratum faciente poterat. Quare, &c.

*

CONCLVSIO VII.

Hominem in ſtatu naturæ corruptæ, & poſt lapſum, auxilio gratiæ ipſum ſanantis, & iuſtificantis, poſſe equidem vitare omnia peccata mortalia, at venialia omnia, nequaquam concedimus.

HANC concluſionem declarat. D Th. Quia licet homo ſit per gratiam ſecundum animam, & mentem ſanatus, ac iuſtificatus, qua poteſt dum in gratia perſiſtit, vitare omnia mortalia peccata, non tamen omnia venialia, illa inquam venialia, quæ non requirunt deliberationem omni modam ſicuti ſunt primi inordinati motus, quibus ob corruptionem inferioris appetitus ſenſitiui, non ſic facile reſiſtere poſſumus, quia dum vni reſiſtimus, alius inſurgit, & cum nequeat ratio, tam eſſe peruigil tanquam ſolicita ad huiuſmodi motus inordinatos reprimendos quin quandoque aliqua adſit negligentia, ob id dicimus hominem etiam perfuſum gratia, non poſſe omnia id genus peccata vitare, Et id firmatur Apoſtoli auctoritate Rom. vij. inquientis in perſona hominis iuſtificati. Ego ipſe mente ſeruio legi dei, carne autem legi peccati.

Prima. ſecundæ q. 109 ar. 8

Contra hanc concluſionem nulla eſt difficultas particularis.

Quare, &c.

CONCLVSIO VIII.

Hominem, peccato mortali obnoxium, ante ipsius iustificationem, seu habitualis gratiæ acceptionem, singula quidem peccata vitare mortalia, haud tamen omnia posse, fatemur.

CONCLVSIO hæc duas partes continet principales, quarum prima est, hominem absque gratia habituali, seu gratum faciente, posse singula vitare peccata mortalia, Quod sic declaratur. Quia & si homo sit aliquo mortali irretitus peccato, habeatque & habitum prauum, cum tamen sit liberi arbitrij liberæque facultatis, quo ad actus deliberationem, quia ad peccandum haud necessitatur, sed circa actum quemlibet deliberare potest, alioquin necessitate peccaret, quod nepharium est dicere, ob id dicimus eum, singula posse peccata vitare; Et confirmatur, Quia sine deliberatione positiua, vel negatiua, quæ in homine procul dubio existit, nunquam potest esse peccatum, & cum possit circa vnumquemque actum malum sibi occurrentem & menti propositum, deliberare, ipsum refugiendo, ex hoc sanè peccatum quoduis vitabit, non quidem sine speciali dei auxilio quamquam sine gratia gratum faciente, Et sermo hic est solum de euitatione peccatorum præceptis decalogi, seu moralibus oppositorum, quoniam vitare peccata præceptis caritatis opposita sine gratia gratum faciente impossibile est, vti etiam præactum est. Roboratur denique

que ratione ad impossibile deducente. Nam si in homine in peccato existente, liberum est arbitrium, ergo in vtrunque oppositorum ferri poterit, ergo poterit deliberare vtrationem, vel commissionem peccati, quod est intentum, & si nequit de vtroque vt sibi lubet deliberare, igitur liberum auferetur arbitrium, quod est hæreticum. Iam igitur huiusce conclusionis prima pars clarissima cernitur, modo ad secundam transeamus dilucidandam. Quòd autem dicebatur hominem non posse omnia peccata collectiue vitare, hinc radix accipitur, Quia vitatio omnis mali culpæ & omnis peccati absque defectu, ad rectitudinem omnimodam attinet rationis, & subiectionem voluntatis humanæ ipsi deo simpliciter, hoc autem soli homini in statu naturæ integræ competit, in quo mens hominis totaliter subdebatur deo, & vires sensitiuæ rationi, modo hæc rectitudo præfataque subiectio, per peccatum abolita est nisi per gratiam reparetur; Quare existente quopiam in mortali peccato, cum sit iam auersus à deo, ad bonumque caducum & fragile conuersus, & magis prauo & peruerso fini inhæreat, & vndique passionum, diabolicarumque sugestionum incitamentis deturbetur & quatiatur, propterea non valet omne peccatum vitare; Dum enim vnum vitat, alterum pulsat, & quia debilis homo est & infirmus, non valet diu stare ne cadat; Hoc quippe munus vitandi omnia peccata ad subiectionem voluntatis deo simpliciter attinet, & est causa præcisa & propria, & ob id sicut affirmationis, causa est ipsa affirmatio, ita & negationis, causa est ipsa negatio, & ideo remota tali subiectione simpliciter ab homine, remouetur & potentia vitandi, cuncta peccata; Operæprecium nempe est effectui vniuersali correspondere causam vniuersalem, & quia subiectio simpliciter deo reddita, est causa vitationis omnis peccati collectiue, sic non subiectio simpliciter, qualis reperitur

Homo nõ potest oĩa peccata collectiue vitare.

peritur in peccatore, est causa quòd nequæat vitare omne peccatum etiam præceptis duntaxat decalogi oppositum. At si percunctaretur quispiam, quæ & quot concurrunt ad causandum istam impotẽtiam, dr, ꝙ primo concurrit carentia gratiæ, auersio ab vltimo fine, conuersio ad finem prauum atque peruersum, & habitus malus, Hæc enim omnia hominem impotentem reddunt ad vitandum omne peccatum, quæ sanè inueniuntur in peccatore, quandoquidem peccatum ipsum mortale concomitentur. Dum nanque peccat homo, gratia dei orbatur, auertitur à deo & ad bonum commutabile conuertitur, sicque non subijcitur amplius deo, & operatur secundum præconceptum finem malum cui maxime inhæret, operatur quoque & secundum habitum prauum. Insuper ad hominis conditionem & statum, multa occurrunt vitanda & agenda, pronitas ad operandum secundum finem præconceptum vel habitum, & impossibilis assidua præmeditatio. Quo fit vt hijs accedentibus ad statum naturæ corruptæ, nequæat homo, absque gratiæ diuinæ auxilio omnia vitare peccata, qua accedente pulcherrime valet. Potest vero ex dictis talis formari ratio. Homo in peccato mortali existens & perseuerans, est gratia destitutus, orbatus subiectione simpliciter ad deum, habens malum finem vel habitum prauum, & constitutus inter multa occurrentia agenda vel vitanda contra deum, ergo eget præmeditatione ad vitandum omne peccatum mortale ergo non potest diu vitare peccatũ. Antecedens patet ex dictis, prima consequentia probatur, quia deficiente fine omnium regulatiuo, & apposito fine contrario, inter tot occurrentia & prouocantia ad mortale peccatum, opus est hominem sequi peccatum, nisi adsit vigilans præmeditatio has causas impediens, ne suum inducant effectum. Præmeditatio quippe sola est qua homo non sequitur finem præconceptum malum & pronitatem suam,

Impotẽtia vitãdi oẽ peccatum quæ constituant.

vt

vt facile patet, in operantibus repentino modo in quibus præmeditatio abest. Hij enim operantur secundum pronitatem suam, & habitum malum secunda vero consequentia probatur, quia homo non valet semper permanere in tali præmeditatione, vt mortale vitetur peccatum, hoc enim est sibi impossibile ex infirmitate naturæ & ex causis iam dictis, qua re fieri non potest vt diu permaneat, ne cadat, nisi dei gratia adiuuetur. Peccatum enim quod per pœnitentiam mox non deletur, suo põdere ad aliud trahit in quit Greg. super Ezechielem. Clarescit itaque iam secunda conclusionis pars, Et vt dicta veriora probentur, ex his omnium aduersariorum rationes facile dissoluent. Et primo cũ obijcit Dur. ij. sen. dist. xxviij. q. iij. Quòd homo non potest singula vitare peccata. Quia sunt aliqua peccata contra præcepta iuris diuini, vt sunt præcepta de suscipiendis sacramentis ecclesiæ puta sacramento Eucharistiæ, Nam cum istud suscipere teneatur homo in statu viæ, secluso casu necessitatis & habita confessoris copia, quæritur an existens in mortali, possit vitare quin suscipiat hoc sacramentum, patet quòd vitare nequeat quin suscipiat absque peccato, quia non suscipiendo contemnit ipsum & sic peccat mortaliter, sicque dum conatur vitare id quod est contra hoc præceptum, peccat, & si sumeret, iam peccaret nouo peccato & sic absque gratia non potest vitare peccata contraria iuri diuino. Huic argumento & rationi, facile respondetur quòd. D. Thom. solum loquitur de peccatis oppositis præceptis decalogi, & non de peccatis oppositis præceptis iuris supernaturalis, & ob id argumentum quidem verum concludit sed non contra conclusionem intentam, Secũdo dicitur quòd admisso etiam, quòd loqueretur de quibusque peccatis etiam oppositis iuri supernaturali, tunc homo in peccato mortali existens, posset eadem vitare, potentia quadam remota, videlicet, discurrendo se per liberum

Gregorius

Cõtra hãc cõclusionẽ obicit Durandus.

Ad Durãdi obiectiõ responsio prima.

Secunda responsio.

berum arbitrium non obstando diuinæ motioni & sic gratiam consequeretur, qua deinde posset huiusmodi peccata vitare.

Rursus obicit Dnr. Cum secundo obijcit, quòd omnia non solum singula, quæ sunt contra præcepta iuris naturalis potest homo vitare, quia si non potest omnia vitare, aut id euenit, ob carentiam gratiæ, aut propter peccatum præcedens, sed neutrum istorum modorum dari potest, non quidem primum, quia sequeretur quòd nec etiam homo in statu naturæ integræ, hoc non potuisset, quod est falsum etiam apud illos qui tenent hominem non esse conditum & creatum in gratia, non etiam secundum, quia dum homo habet peccatum non necessitatur ad committendum aliud, nec vno volito, necessitatur ad volendum aliud. Et confirmatur, quia homo potest sine gratia in omne opus bonum bonitate morali, ergo potest vitare etiam singulum & omne peccatum omni bono morali oppositum.

Obiecta respondetur. Ad hæc etiam facilius respondetur, asserendo neq uaquam hominem posse omnia peccata præceptis etiam iuris naturalis opposita vitare. Et cum quæritur vnde oriatur hæc impotentia, dicimus eam prouenire sicuti iam prætactum est, ex carentia gratiæ, sed non sola, sed ex carentia, gratiæ cum auersione ab vltimo fine & conuersione ad bonum fragile, caducum & inane, cum in hæsione ad ipsum vt finem prauum, quæ omnia, peccatum concomitantur, & retrahunt ipsum à vera dei subiectione, qua non existente, & non reparata per gratiam, homo necessario peccat necessitate suppositionis, Quia stante peccato cũ stent omnia supradicta, & hominis etiam fragili conditione perseuerante, qua non valet inter tot occurrentia tum peragenda, tum vitanda, in continua præmeditatione ac vigilantia permanere, hinc sequitur necessario vt in peccatum dilabatur; stantibus ergo huiuscemodi indispositionibus, quas

homo

homo refugere non fatagit, cogetur ad peccandum, & sic non omne peccatum vitabit. Respondetur secundo, quòd talis impotentia prouenit ex infirmitate per peccatum originale contracta, & ex indispositionibus derelictis ex peccato mortali præcedente, & cum arguitur quòd non ex tali præcedenti peccato, negatur hoc, quia actus vnius peccati est causa actus alterius peccati in quadruplici genere causæ, efficientis quidem & per se, quia homo per actum vnius peccati disponitur ad hoc vt facilius aliũ actũ consimilem committat, quandoquidem ex actibus causentur dispositiones & habitus inclinantes in similes actus. Materialis vero, inquantum vnum peccatum præparat alteri peccato materiam, sicut auaritia, litigio, materiam præparat, homine coacernare diuitias, quæ litigio sæpenumero materiam præbent; Finalis deinceps, cum ob peccatum vnum, aliud perpetratur, sicuti cum quis ob ambitionem & dignitatem quampiam nanciscendam, simoniam committit, & demum cum causa finalis sit ratio formalis eorum, quæ sunt ad finem, erit etiam peccatum vnum alterius causa formalis vt optime docet. D. Thom. prima. secundæ, q. lxxv. art. iiij. Erit itaque peccatum præcedens ab homine commissum causa effectiua alterius peccati, & ob id non poterit omnia peccata vitare, in mortali existens, quinimò ex tali peccato derelinquitur quidam habitualis adhæsio voluntatis ad finem inordinatum, seu commutabile bonum, quæ quidem inclinatio manet in peccatore quousque per gratiam, deo, vt bono incommutabili, & vltimo fini inhæreat. vt habetur à D. Thom. de Ver. q. xxiiij. art. xij. Et ex his etiam clare habetur, quòd licet homo dum peccauit, nec habet amplius intentionem committendi peccatum illud, sicuti cum quis egit contra temperantiam, licet non habeat intentionem amplius aduersus illam agendi, tamen ob hoc non tollitur inclinatio illa voluntatis

Responsio secunda.

Quo peccatum vnum, est alterius causa, in quadruplici genere causa.

tis mala & habitualis, quam habet ad indebitum finem, seu bonum commutabile.

Scoti argumẽtũ. Arguit deinde Scot. eadem dist. xxviij. Quia si homo potest vitare singula peccata, potest vitare omnia, & si potest cauere vnum, potest cauere & aliud, ergo potest cauere omnia, & confirmatur, quia si potest cauere vnum, potest omnia cauere.

Responsum. Ad hoc facile respõdetur antecedens negando & consequentiã. Nam potest quis vnum cauere peccatum & aliud perpetrare. Potest enim cauere peccatum sacrilegij & committere furti peccatum. Nec verum est, si vno tempore potest cauere peccatum aliquod, & alio tempore aliud, ergo in omni tempore potest cauere, quia ex causis iam dictis, trahetur ad peccatum, & similiter non valet si cauet peccatum sacrilegij, ergo cauet peccatum fornicationis, potest si quidem cauere vnum, & non aliud. Quare &c.

Greg. de Arri. argumentũ non impugnat. D. Thom. Aduerte propter argumenta Greg. de Arim. quòd nullus potest vitare peccata opposita præceptis caritatis, vel iuris naturalis, nisi ex gratia, vel auxilio diuino, & propterea nequaquam Greg. contra nos aliquid concludit. Similiter concedimus quòd sine gratia diuina, vel auxilio dei speciali, nos non possumus tentationibus resistere, qua re omnia argumenta Gregorij euanescunt.

Inter Capreolum, & Caietanum discrimen. Aduerte hoc in loco discrimen esse inter Capreo. ij. dist. xxviij. in calce, & Reuerendissimum Cardinalem. prima. secundæ. q. cix. art. viij. Nam Capr. tenet ad vitanda peccata opposita iuri supernaturali, & præceptis caritatis necessario requiri non solum diuinã motionem, specialeque dei auxilium, sed & gratiam gratum facientem. At Reuerendissimus Cardinalis tenet, q̃ homo ex solo dei auxilio speciali absque gratia gratum faciente, potest vitare peccata omissionis aduersantia præceptis caritatis, quia sufficit apud ipsum ex naturalibus nullum ponere obicem in nullo-que reniti diuinæ motioni inquantum præceptum

obligat

obligat pro tali statu. Nam distinguit ipse, & aliud est posse implere præcepta caritatis, & aliud est posse vitare peccata opposita his, & asserit adimpletionē præceptorum caritatis, necessario quidem includere caritatem, & donum supernaturale in eo & hæc ad implere debet. at ad euitationem peccatorum huiusmodi præceptis oppositorum, non vult requiri tale supernaturale domum, sed id solum quod superius dictum est. Eapropter inquit, quòd si poneretur homo in statu naturæ integræ, licet non posset absque supernaturali dono implere caritatis præceptum vt sic, posset tamen sine tali supernaturali dono vitare peccatum omissionis omnium præceptorum, si nullum impedimentum præstaret supernaturali dono tam habituali, quàm diuinæ motioni speciali, quo se ad gratiam præparare & adimplere præceptum posset.

Annotandum est in hac materia, quòd cum loquimur de potentia liberi arbitrij hominis, an possit vel non possit omne peccatum mortale vitare, semper sermo est de potentia propinqua, & proxima, & non de potentia remota, Talis nanque potentia propinqua dicitur esse, subiectio potentiarum rationalium ad deum, & virium sensitiuarum ad rationem. Nam stante huiusmodi subiectione, potest homo omne peccatum mortale vitare, & hac remota, non valet omne, licet valeat, cum diuino auxilio, singulum vitare peccatum.

DE DISCRIMINE GRATIAE A VIRTVTIBVS THEOLOGICIS, ET DE EIVS SVBIECTO.

CONCLVSIO VNICA.

Gratia gratum faciens, distinguitur à virtutibus Theologicis, & est subiectiue in essentia animæ non in potentia.

Hoc sic lucidatur.



AM ita se habet gratia ipsa, seu gratię lumen, quod est quædam participatio diuinę bonitatis, siue naturæ, ad ipsas virtutes infusas, sicut se habet lumen rationis, ad virtutes acquisitas, claret autem quòd lumen rationis, est aliquid præter virtutes acquisitas, quæ dicuntur in ordine ad ipsum lumen naturale, igitur & ipsum lumen gratiæ est aliquid præter virtutes infusas, quæ à lumine illo deriuantur, & ad illud lumen ordinantur, sicut quæ virtutes acquisitæ perficiunt hominem ad ambulandum secundum quòd congruit lumini naturali rationis, ita virtutes infusæ perficiunt hominem ad ambulandum secundum quòd congruit lumini gratiæ. Et quemadmodum nullus habitus acquisitus, habet rationem virtutis, nisi pro quanto formatur ordine sibi impresso ex lumine naturali, ita nulla virtus infusa est proprie, & perfecte virtus, nisi formetur per gratiam. Dicitur quę gratia esse forma aliarum virtutum quia ipsis efficaciam merendi præbet, & ideo nulla istarum virtutum potest simpliciter dici virtus, nisi ex ipsa gratia, dicendaque est gratia,

Quo gratia sit aliarum virtutũ forma.

tia, causa formalis virtutum, non effectiua; Et licet in via causet fidem & spem, non tamen in patria, quia tunc habebit excellentiores effectus; hoc quidem dicitur, supponendo quòd gratia sit aliquo modo causa effectiua, & solum erit causa in fieri non in facto esse, nec est totalis, sed partialis, & magis instrumentalis, quàm principalis: & ideo non est necesse vt semper eosdem inferat effectus. Et aduertendum, quòd gratia esse dicitur forma virtutum, qa dat esse spirituale animæ, vt sit susceptiua virtutum. Causa autem effectiua virtutum, & principalis, dicitur gratia dei, quæ est ipsa gratuita dei voluntas.

Alia differentia.

Differt quoque in hoc gratia à virtutibus, quia ipsa est immediatum principium essendi supernaturaliter ipsi animæ, cum det ei esse deificum, & supernaturale, & eius immediatus effectus, est dare esse spirituale, & non immediate ordinari ad operationem meritoriam. sed virtutes sunt immediatum principium operandi, & non essendi, & hinc fit vt gratia subiectiue in anima recipiatur, & non in aliqua potentiarum, virtutes vero immediate suscipiuntur in ipsis animæ potentijs. Nec aliquis effectus, qui attribuitur gratiæ eo modo quo ei attribuitur, potest attribui caritati, nec econtra, licet effectus qui vni attribuitur immediate, alteri attribuat̃ mediate. Quo fit vt non habeant eandem excellentiam, vt asserit Sco. ij. dist. xxvij. nec æqualiter diuidant, gratia, & caritas, filios regni, à filijs perditionis. Quia per caritatem nullus primo, & immediate efficitur filius dei, sed per gratiam. Nec æqualiter vtraque est forma virtutum. Nec vtraque eodem modo deo coniũgit, quia gratia, per modum assimilationis, & deiformationis, caritas per modum obiecti operationis coniungit, gratiaque facit filium dei formaliter, caritas vero operatiue. Et ex his etiam patet, quòd neutra istarum superfluit vt arguit Sco. Patet quoque solutio tertij argumenti eiusdem Sco. quia habitus quo

Gratia ẽ subiectiue in anima.

Scoti error.

Spiritusſanctus inhabitat animam, licet moueat voluntatem, & inclinet ad merendum, non tamen immediate, ſed ſolum mediate, videlicet media caritate. qua voluntas formaliter inclinatur. Nec denique officit quod, inquit Auguſtinus, ꝙ gratia operans eſt fides, quæ per dilectionem operatur, quia iccirco id ab Auguſt. aſſeritur, quoniam actus fidei per dilectionem operantis, eſt primus actus in quo gratia gratum faciens, manifeſtatur.

Exponit Auguſtini dictũ.

Aduerte hic ex D. Thom. ſent. ꝙ cariras dicitur forma aliarum virtutum ex parte actus, quia omnes actus virtutum in ſuum finem conuocat, eo ꝙ eius obiectum eſt vltimus finis. ſed gratia informat per modum originis, quia ex ipſa gratia, quodammodo formaliter oriuntur habitus virtutum, per diuerſas potentias diffuſi, illud autem quod ab alio oritur, formam, & ſpeciem ab eo trahit. & in ſuo vigore permanet quàm diu origini continuatur.

Aduertendum circa id, quod dicit Aug. xv. de Trinitate, quòd nullum donum eſt excellentius caritate, intelligitur vel de caritate increata vt exponit Magiſter, vel de donis dei & viæ immediate ordinatis ad actum ſecundum eliciendum, non autem de donis immediate ordinatis ad actum primum cuiuſmodi eſt gratia.

Declarat & aliud Auguſtini dictum.

DE

DE FIDE, ET EIVS CAVSA, AC EIVSDEM EFFECTIBVS DEQVE DISCRIMINE INTER FIDEM VIVAM, AC MORTVAM.

CIRCA fidem, diuersi, diuersa sensere. Nam Petrus Abailardus hæreticus, asseruit, nihil penitus esse credendum quod nostri intellectus virtutem excedit, vt sibi impingit Beatus Bernar. Epist. cxc. Hoc ex illo sapientis dicto firmabat, vbi inquit. Qui cito credit, leuis est corde. Ille nanque cito credit (inquiebat iste,) qui fidem adhibet ante rationem. Sed aduersus errorem hunc, adsunt expresse scripturæ. Nam Apostolus. Rom. iiij. de Abraham loquens ait. Qui contra spē, in spem credidit, vt fieret pater multarum gentium. Contra spem quidem naturalem, in spem credidisse Abraham dicitur, cum ipse senio confectus, & ad generationem impotens & Sara pariter existente sene & sterili, credidit deo asserenti ipsum semen habiturum, in ipsoque benedicendas esse omnes gentes, & ipsum effecturum patrem multarum gentium. Si nanq; solum, his credendum est quæ rōne naturali appræhendi possunt, non vtiq; Abraham prædicta nuncianti domino credidisset.

Eccles. 19

Gen. 17.

Luc. 1. Rursus non punitus fuisset Zacharias qui noluit credere Angeli verbis, quibus nunciauit eundem patriturum Ioannem Baptistam, ipso & vxore sua, existentibus senibus. Amplius Paul. j. Cor. ij. aiebat Sermo meus & prædicatio mea, non est in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis, vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute dei.

Et Greg. Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.

Idem præterea aduersus prædictum errorem habemus ex ipsa fidei definitione ab Apostolo posita. Hebr. xj. vbi ait. Fidem esse substantiam rerum sperandarum argumentum non apparentium. Ad illud autem sapientis dictum, dicitur, quòd ipse non loquitur de fide qua in deum credimus, sed de mutua inter homines ipsos credulitate. Hoc errore reiecto, circa fidem ipsam, tria potissimum videnda sunt. Primum quidem, quidnam ipsa sit. Secundum à qua prodeat causa. Tertium. Qui sint fidei effectus.

Hebr. 11. Quo ad primum. Dicimus fidem esse sperandarũ rerum substantiam, argumentum non apparentium. ex Apostolo Paulo. Atqui hoc in loco annorandũ est. Erasmum allucinatum fore, dum astruxit Apostolum non de ea fide, qua ea quæ credenda sunt, credimus esse sermonem, sed de fide qua alicui fidimus, videlicet de fiducia; Quod quam falsum sit & erroneum, tum ex ipso Apostolo, tum ex sacris doctoribus aperte monstratur. Nam cum Paulus afferat nos fide intelligere aptata esse secula verbo dei, quæ quidem aptario, & conditio præteritum respicit, quod ipsa fiducia respicere nequit, non de fiducia hic loquitur Paulus. Rursus cum inquiat idem Apostolus, Impossibile esse sine fide placere deo, oportereque accedentem ad deum credere (quod de fiducia verificari minime potest,) non de hac fiducia

Eras. opinio.

Reprobatio.

sermo

sermo erit. Amplius Basilius magnus in expositione Psalm. cxv. & August. in lib. 50. homiliarum homil. xxxij. & B. Bernardus in loco superius citato, expresse asserunt, Apostolum de vera fide qua in deum credimus, esse intelligendum. Sic itaque exponitur prædicta definitio, siue descriptio, vt fides ipsa dicatur, substantia, id est principium, seu inchoatio, vel sustentatio omnium rerum, quæ à nobis in hac vita sperantur; quæ quidem res sunt inuisæ. Nam cum obiectum fidei sit prima veritas non visa, & obiectū spei sit summum bonum inuisum, vtrq. prima veritas inuisa, ac summum bonum non visum, idem re, proculdubio res sperate erunt deus ipse, æterna beatitudo, & huiusmodi, hæ vero res sperate, virtute continētur in ipsa fide, sicuti in suo principio, fundamento, & sustentatione. Rectè igitur dicitur, q̄ fides substantia est rerum sperandarum, quæ sunt fidei obiectum vti dictum est. Argumentū non apparentium, Non enim hoc in loco accipitur argumentum proprie, sed sumitur pro argumenti effectu, id est pro firma adhæsione; Est nanque fides firma adhæsio, firmus assensus intellectus, cum consensu voluntatis, & per hoc distinguitur fides, ab opinione, quæ importat adhæsionem alicuius, cum formidine alterius partis; Vel dicitur conuictio, vt alia littera habet, quoniam intellectus noster, per auctoritatem diuinam conuincitur ad assentiendum his quæ non videt. Potest demum argumentum dici certitudo, quoniam fides omnem dubitationem expellit. Erit igitur argumentum. Firma adhæsio, vel conuictio, vel certitudo, rerum non apparentium, id est rerum quæ nec corporeis oculis, nec intellectualibus videri possunt, quoniam ea quæ credimus, intellectus nostri captum excedunt. Patet igitur primum.

definitionis fidei, declaratio.

Quid argumenti nomine intelligatur

DE

De causa fidei.

QVO ad fidei causam. Dicimus solum deū esse fidei simpliciter, & absolute veram, & propriā causam. Est enim fides virtus Theologica, & habitus infusus. Et id facile probatur, si consideremus ea quæ ad ipsam fidem, necessario requiruntur. Ad fidem namque duo necessario exigūtur quorum primum est, vt homini credenti, credibilia proponantur quæ explicite credere debet, secundum est firmus assensus credentis, ad ea quæ credenda, proponuntur, Et de primo quidem nulli dubiū esse debet quin à deo sit, quia cum ea quæ fidei sunt, rationem excedant humanam, nequeunt in hominis cognitionem venire, nisi deo reuelante, sicuti si quis credere deber, deum esse trinum, & vnum, operæprecium est vt id, à deo reueletur, cum excedat humanæ mentis capacitatem. Verum id quidem est q quædam proponibilia ad credendum, sunt à deo immediate reuelata, vt Apostolis, & Prophetis, quædā vero medijs fidei prædicatoribus, à deo missis, iuxta illud Apostoli. Rom. x. Quomodo prædicabunt nisi mittantur? Quo ad secundum, scilicet assensum hominis interiorem, dicimus ipsum à deo esse, at talis assensus, duplex cum assignetur causa, altera exterior sicuti miraculum visum, altera interior, prima non est sufficiens, quoniam non cogit hominem ad assentiendum, quandoquidem viso miraculo à duobus, vnus credat, alter minime. Interior vero causa, omnino est à deo, quia cum assensus iste his quæ fidei sunt, eleuet hominem ad ea quæ supra suam sunt naturam, quoniam assentire primæ veritati secundū scripturas, & sensum ecclesię, ex nulla naturali cognitione haberi potest, nec ex vllo naturali appetitu, necesse est igitur vt id proueniat ex deo interius hominem

nem mouente, Errauit igitur Pelagius in hoc ponens hunc assensum fidei in nobis esse ex libero arbitrio, Dicebat enim, quòd initium fidei ex nobis erat, quatenus nos parati sumus ad assentiendum his quæ fidei sunt, at consumationem fidei à deo esse ponebat, per quem nobis proponuntur ea quæ credere debemus. Nam aduersus hunc Pelagij errorem, est Pauli expressa sententia, inquientis. Ephes. ij. Gratia saluari estis per fidem, & hoc non ex vobis, ne quis glorietur, Donum enim dei est. *Error Pelag.*

Quo ad tertium de effectibus fidei. Sciendum est, quòd primus fidei effectus timor est, Cum enim per fidem illuminamur, docemur, & instruimur, deum esse summum & immensum bonum à quo separari pessimum est, hincque oritur in homine, deo per fidem perfectam, & formatam coniuncto, timor quidam filialis, & reuerentialis, quo timet ab eo separari; Cum vero consideramus ipsum vt iustissimum & ob praua opera nobis pœnas peccatis debitas illaturum, tunc ex fide hac licet informi, qua huiusmodi dignoscimus, oritur timor seruilis, quo quis timet à deo puniri. Vnde scribitur. Iac. ij. Dæmones credunt & contremiscunt. *Effectus fidei, qui sint.*

Alius fidei effectus est cordis purificatio iuxta illud Act. xv. Fide purificans corda eorum. Nam cùm impuritas sit ex mixtione alicuius rei vilioris, sicut cum argento, miscetur plumbum, vel stannum, dicitur argentum impurum ex vilioris rei permixtione, ita cum homo mundanis rebus, homine ipso, inferioribus, permiscetur, impurus efficitur, at cum per amorem in deum tendit, cuius quidem amoris primum principium est fides, purificari dicitur, quæ quidem purificatio cordis, fieri potest & à fide informi & à fide formata, si fiat à fide informi, tunc cor hominis ab errore infidelitatis à quo recedit purificatur, si vero fiat à fide formata, tunc perfectè purificatur, iustificationem acquirens. *Impuritas quid sit.*

De

De triplici actu fidei.

August. FIDEI actus tres esse ab August. super Ioan. & in lib. de verbis domini, & super illo Apostoli verbo Rom. iiij. Credenti autem in eum qui iustificat impium, &c. expresse ponuntur, scilicet. Credere deum, credere deo, & credere in deum. Nec tamen hi actus dicuntur esse diuersi actus fidei, sed vnus completus, habens diuersum respectum ad fidei obiectum. Nam credere deum, est fidei actus qui ad vnum terminatur. Cum enim credere terminatur ad deum vt trinum, & vnum, vel à quo omnia sunt, tunc actus est fidei qui est credere deum. Credere deo, est actus fidei, prout ratio inclinat voluntatem ad assentiendum his quæ deus dicit, vel facit, & his quæ in hominibus loquitur deus. Credere in deum, est actus intellectus prout à voluntate determinatur, Quare credere in deum est actus fidei quo, amando, in deum tendimus, & proculdubio hic actus est fidei formate, seu caritate perfecte.

Tres fidei actus, & qui sint.

Potest quoque dici vt ait Augustinus super illo verbo, Iac. ij. Tu credis quoniam vnus est deus bene facis. Inquit, enim. Credere deum, est credere quòd deus sit, Credere deo, est credere vera esse quæ deus dicit. Credere in deum, est tendere in illum per caritatem, & hic perfectissimus est actus, quem à nobis exigit deus.

De fide viua & mortua, & de differentia, &c.

FIDES viua, illa est, quæ ex se motum habet & operationem, & illa huiusmodi est, qua in deum per dilectionem & caritatem tendimus, & per quam operamur opera vitæ æternæ meritoria, Vnde Paul. Gal. v. hanc fidem vocat eam quæ per dilectionem operatur. Vnde Aug. super illo Apostoli verbo, inquit, quòd fides non vtique ociosa est, quia fides sine operibus non saluat, sed fides quæ operatur per dilectionem dei & proximi, & subdit. Opus fidei est ipsa dilectio, sine dilectione, fides inanis est, cum dilectione vero, fides Christiani est, sine dilectione vero fides est demonis. *Aug.*

Fides mortua illa est quæ caret motu & operatione, motu quidem, quando per dilectionem non operatur, operatione vero, quando opera non facit caritate formata quæ opera meritoria & viua dicuntur, hæc autem fides mortua, fides informis, à doctoribus appellitatur; Differunt autem fides informis, & formata, motu & opere, vt ex supradictis patet. Differunt quoque fides formata & informis, lumine, quoniam lumen fidei formate, est sicut lumen radij clarissimum, quo omnia viuificantur, sicuti patet in lumine radiorum solarium viuificantium omnia inferiora. Nam lumine fidei formate viuificantur opera ita vt sint vitæ æternæ meritoria. Lumen vero fidei informis, est sicut lumen vmbræ, quo vmbræ subiecta, mortificantur, & infrigidantur. Nam hûs fidem mortuam, operatur opera mortua, carentia vita dilectionis dei & proximi, & frigida absque caritatis calore. Et licet habens fidem informem, & mortuam, faciat quod deus vult, non tamen eo modo quo vult, quia & si faciat bona, non ñ bene, & talis solum timore pœnę operatur, non amore &c. *Discrimẽ inter fidẽ informẽ, & formatam.*

De

DE FIDE, ET OPERIBVS, ET QVOMODO TVM FIDES, TVM OPERA, AD HOMINIS IVSTIFICATIONEM CONCVRRANT.

CAPVT PRIMVM.

IDEM nonnulli sic extulerunt vt operibus omnino detraxerint. E quorum numero fuit Ennomius quidam Arrianus, qui sic temere docere præsumpsit, vt dixerit omnes qui fidē habebant quā ille docebat etiam si quantumlibet grauia peccata cōmitterent & in illis perseuerarent, saluos fore. Hunc quoque errorem iandiu sepultum, ab inferis reuocauit Lutherus, qui aspernatus opera, asserit solam fidem iustificare, nec opera ad salutem esse necessaria, quæ etsi fiant, nullatenus iustificare affirmat. Sic enim ait. Iam vides quàm diues sit homo Christianus siue baptizatus, qui etiam volens non potest perdere salutem suam quantiscunque peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata eum possunt damnare nisi sola incredulitas. Quæ quidem sententia quàm impia sit, quamque detestabilis, nunc palam fiet ex scripturis sanctis pariter & doctoribus. Verum illud

Ennom.

Lutherus.

in

in primis elucidandum est, possit ne sola fides iustificare, vt tamen à cęteris virtutibus seiuncta est.

Tres sunt Theologicæ virtutes, fides, spes, & caritas.

Annotandum itaque primo, tres virtutes esse Theologicas, fidem, spem, & caritatem, quæ quidem virtutes habitus quidam sunt spirituales, non ab hominibus acquisiti, vt cæteri habitus virtutum moralium, sed sunt à deo infusi hominum animis. Quòd vero hæ tres virtutes sint ab inuicem distinctæ, & tres sint habitus seiuncti, docet Apostolus. j. Cor. xiij. vbi cum nominasset fidem, spem, & caritatem, ne quispiam arbitraretur non esse has virtutes seiunctas, ait, Nunc autem manent, fides, spes, caritas, tria hæc, maior autem horum est caritas. Hij tres habitus sanè in hac præsenti vita in Christianis hominibus manent, tanquam principatum super omnes alios habitus moralium, habentes, quandoquidem hij tres solummodo deum ipsum pro obiecto, fine, & regula, habeant, at maior horum, atque præstantior est caritas.

Harum quoque distinctio virtutum, probatur ex eo quod fides, sine spe, & caritate, haberi potest, & quia nonnulli affruunt impossibile esse vt fides sine caritate reperiri quæat, ob id specialiter commostrandum est; Et primo quidem Apostoli auctoritate, deinde. Matthæi, suo in Euangelio. Inquit igitur Paulus de seipso loquens loco superius citato. Si habuero omnem fidem ita vt montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum. En quam clare fateatur Apostolus, fidem se habere posse absque caritate, dum dicit si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, quemadmodum refert Gregor. in lib. j. Dialog. de quodam Gregorio, qui montem, transtulit, caritatem autem non habuero, nihil sum. Valet igitur fidem omnem habere, cui inituntur miracula, sicuti testatur & ipse dominus Luc. xvij. Si habueritis tantam fidem vt granum synapis, dicetis huic arbori moro, eradicare, & transplantare in mare,

Fidē sine caritate, esse posse, probatur.

re, obediet vobis, & tamen eamipsam sine caritate, se habere posse, affirmat.

Itidem Matthæus cap. vij. asseuerat, inquiens, Multi dicent mihi in illa die, domine, domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo, virtutes multas fecimus, & tunc confitebor eis, Nunquam cognoui vos, Discedite à me operarij iniquitatis. Hinc clarissimum euadit ex ista seruatoris sententia, multos in nomine domini credito & inuocato, virtute fidei prophetasse, ab obsessis dæmonia eiecisse, & quamplurima miracula effecisse, & tamen fatetur, dominus non eos nouisse notitia filiorum, quæ per gratiam est, vel dilectione ipsa, vt Theophilacto placet, inquiente, Neque tunc quando miracula faciebatis, diligebam vos. Et quòd hæc miracula perpetrata cum dei inimicitia stent, declarat subdens. Discedite à me operarij iniquitatis, ac si apertius diceret, Discedite à me quoniam cum talia in nomine meo credito & inuocato, cum talia inquam virtute fidei faciebaris, operabamini tamen iniquitatis opera, quæ sanè sine mei dilectione erat; Claret itaque ex his fidem, sine caritate reperiri posse. Atqui nunc commostremus hanc fidem à caritate seiunctam, hominem minime iustificare, vt autumat Lutherus, asserens hominem Christianum siue baptizatum non posse perdere salutem suam quantumlibet peccatis, etiam volens, nisi nolit credere vt supradictum est, ex eius intentione.

Theophylactus.

Fides sine caritate hominem nequit iustificare.

Nam iustificatio non potest fieri nisi per gratiam Spiritussancti, seu caritatem, quandoquidem mortalibus, peccata remitti nequeant, nisi per gratię, seu caritatis infusionem, qua infusa, illico peccatorum remissio & iustificatio adest, & gratia ipsa, caritateque ab hominibus absente neutiquam iustificatio eisdem inesse potest. Cum vero iam deductum optime sit, tum ex Pauli, tum ex Christi testimonio, fidem si

ne

ne caritate ac gratia gratificante esse posse, iam liquet fidem solam minime iustificare. Quæ autem fides illa sit quæ hominem iustificat aperiendum est, cum sæpius Apostolus, fidei, iustificationem, tribuat, inquiens. Rom. iii. Iustitia autem dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes qui credunt in eum. Et rursus. Vt sit ipse iustus, & iustificans eum, qui ex fide est Iesu Christi. Et iterum. Arbitramur enim iustificari hominem per fidem, sine operibus legis. Adhuc. Quoniam vnus est deus qui iustificat circuncisiorum ex fide & præputium per fidem. Et, iiij. cap. ait. Credidit Abraham deo & reputatum est illi ad iustitiam. Et rursus. Ei qui non operatur credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam. Et cap. v. Iustificati ergo ex fide spem habeamus ad deum, &c. Amplius. Gal. ij. Scientes quòd non iustificatur homo ex operibus legis nisi qui fidem Iesu Christi & nos in Christo Iesu credimus vt iustificemur ex fide Christi & non ex operibus legis. Et ad Ephes. ij. Gratia saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis. Domum enim dei est &c. Rom. 3.

Fides bifariam accipitur.

Ad harum omnium auctoritatum intelligentiam attendendum admodum est, ne decipiamur ob ignorantiam fidei multipliciter considerate. Nam nonnunquam accipitur fides, pro habitu quodam supernaturali, quo & deum, & deo credimus, prout ab ipsa caritate distinguitur, siue seiungitur, quæ fides informis, siue mortua, vocitatur, nonnunquam vero sumitur pro habitu infuso à deo hominibus, caritatem, complectente, Et Primo quidem modo sumpta, neminem iustificare potest, quoniam hæc cum peccato mortali & stat & perseuerat, sicuti ex supradictis patet, & id liquet in peccatoribus Christianis qui fidem quidem habent, & tamen iniusti sunt. Et de hac fide haud intelligendum est Paulum fuisse loquutum, tametsi Lutherus videatur astruere de

hacipsa,prædictas Apostoli auctoritates, esse intelligendas,cum fidei, iustificationem attribuit,secundo vero modo,de fide loquendo,caritatem amplectente, seu de fide per dilectionem operante, pulcherrime asserimus,fidem ipsam hominem iustificare, & eam solam,iustificatum hominem, reddere, & huic proculdubio, hominis iustificationem Paulus attribuit.Et ne videatur id esse confictum,adducitur Apostolus.Gal.v.qui ait.Neque circuncisio aliquid valet neque præputium,sed fides, quæ per dilectionem operatur.Nam circuncisio Iudæis conuersis,& præputium gentilibus, iam Christianis effectis non aliquid confert ad Christianitatem,sed sola fides per dilectionem operans,Hęc quippe dum vim suam exercet,ad peccatorum remissionem valet, homines iustificando.Et hæc fides viua dicitur,quoniam hominum animos viuificat, potestatemque meritoriæ operandi pulcherrime præbet.Sed nunc de controuersia quæ esse videtur inter Paulum & Iacobum Apostolos agendum est.

De Controuersia quæ inter Paulum & Iacobum circa iustificationem esse videtur. Caput II.

APOSTOLVS nanque Rom. iij. ait fidem hominem iustificare non ex operibus legis, Et rursum.Ex operibus legis nō iustificabitur omnis caro.hoc idem asserit Gal.ij. Iacobus vero.cap.ij. ait. fidem neminem iustificare posse,si eidem desint opera.Sic enim inquit.Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat, Nunquid fides poterit saluare eum? Et quibusdam per similitudinem interpositis ait. Sic & fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa

sa. Et infra. Vis scire ô homo inanis, quoniam fides sine operibus ociosa est. Abraham pater noster, nonne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Vides quoniam fides cooperatur operibus illius & ex operibus fides consummata est. Et supleta est scriptura dicens. Credidit Abrahã deo, & reputatum est illi ad iustitiam, & amicus dei appellatus est. Videtis quoniam iustificatur homo ex operibus, & non ex fide tantum. Hæc namque dicta adinuicem pugnantia esse videntur. Qua re hæc elucidanda sunt.

Iustitia duplex.

Sciendum itaque est, Iustitiam qua homo iustus dicitur, duplicem esse, alteram operis, alteram dei. Iustitia operis illa est, quæ illud opus duntaxat cuius est, iustificat, & secundum habitum illius operis operantem tantum iustum efficit, & iustitia hæc, nõ absolute iustitia dici meretur, sed iustitia operis, quoniam peccata non delet, sed in peccatis hominẽ relinquit, sicuti exempli gratia diceremus de quopiam homine qui plurima peccata perpetrasset, efficeret tñ aliquod opus moraliter bonum, vt elemosinam elargiri, vel honorare parentes, Nam tale opus moraliter bonum diceretur, & operantem bonum ac iustum redderet, vtpote ab habitu virtutis moralis promanans, & talis posset iustus dici, iustitia operis apud deum, & homines, at non iustitia dei, quæ simpliciter iustitia est. De hac igitur operis iustitia, intelligendum est, quod dicitur ab Apostolo, Rom. ij. Non enim auditores legis iusti sunt apud deum, sed factores legis iustificabuntur. Est & iustitia dei, quæ hominem absolute iustificat, & qua absolute iustificatur homo, dum ex iniusto fit iustus, ex impio, pius & sanctus, & talis iustitia, est per fidem, per dilectionem operantem, siue per fidem formatam & hac, iustificatur homo absolute, quoniam quantiscunque obstringatur sceleribus, mundus efficitur & omnium talium remissionem consequitur, sicque absolute

Rom. 2.

sanctificatur, de hacque iustitia, verificantur omnes auctoritates Apostoli, tum ad Romanum ad Gal inquientes. Quòd ex operibus legis non iustificabitur omnis caro, & quòd ex fide iustificatur homo & non ex operibus legis, siue sint opera moralia, siue ceremonialia, siue iudicialia. Qui enim fateretur, hominem ex hujusmodi operibus iustificari, proculdubio reijceret gratiam dei per Christi mortem nobis collatam. Iustificamur igitur & viuimus ex fide mortis Christi. Vnde ad Gal. ij. inquiebat Apostolus. Si enim per legem esset iustitia ergo Christus gratis mortuus est; Et. iij. cap. aiebat. Lex autem non est ex fide, id est iustitia operum legis non est ex fide, at potius condiuiduntur, quoniam lex & fides, & iustitia operum, & iustitia fidei, se habent ficuti imperfectum, & perfectum, ficuti secundum quid iustificans, & absolute ac simpliciter iustificans. Clarissimum iam igitur euadit, iuxta Apostoli sententiam, non iustificari hominem ex operibus veteris legis, vt D. Hieronymo, Ambrosio, Theophilacto, ac non nullis placet, nec etiam ex operibus moralibus, vt pure ac præcise moralia sunt, sed ex fide Iesu Christi caritatem non secludente, Sed quia videtur Iacobus iustificationem operibus attribuere, iccirco videndum est, si modo aliquo per opera ipsa, quispiam iustificari possit.

De operum iustificatione. Caput III.

Opera hominis, in triplici sunt differentia.

SCIENDVM est, quòd opera de genere bonum, triplicia sunt, quædam iustificationem hominis præcedentia, & ea omnia sunt quæ ab homine fiunt nondum iustificato, sed ab eodem in peccato mortali existente, Et hæc proculdubio opera, cum iustificationem præcedant, nequeunt hominem iustificare,

iustificare, quoniam iustificatio, non meritis, sed gratis conceditur; Vnde Paulus Rom. iij. inquiebat. Iustificati gratis per gratiam ipsius. Accedit ad hæc, quòd opera iustificationem præcedentia, nullã penitus meriti rationem habere possunt, cum ex gratia minime proueniant, quæ radix cuiuslibet est meriti, possunt tamen hominem ipsum disponere diuino quodam auxilio suffulta, vt iustificationem suscipiat, sicuti dicimus elemosinas, & orationes Cornelij Centurionis, act. x. & opera. Niniuitarum ex mandato regis effecta. Ionę iij. ad iustificationem disposuisse. Talia quoque creduntur fuisse opera à Daniele, Nabuchodonosor regi, consulta, vt peccata sua elemosinis redimeret. Daniel. iiij. Nam videns deus talium opera, bona moraliter esse, ex sua munificentia ac liberalitate, non ex meritо, cum nullum extiterit, sic operantibus suam impartitur gratiam, qua pulcherrime iustificantur. Et huic veritati omnes consentire necessum est.

Sunt alia opera quæ à nonnullis dicuntur opera iustificationem concomitantia, quæ apud ipsos dispositiue concurrunt ad iustificationem prætactam, & huiusmodi opera sunt, actus fidei, spei, caritatis, & motus liberi arbitrij in detestationem peccati. Isthæc enim opera necessario concurrunt ad adultorum omnium iustificationem, quoniam pueri sine operibus istis, ex sola Christi passione, per sacrum baptisma eis communicata & ex eiusdem passionis merito ac efficatia, ex sola fide ecclesiæ iustificantur, de his igitur non est sermo, sed solum de adultis, vt dictum est. Hij enim si iustificari debent necessario hos actus habere necessum est, quibus si carerent, nequaquam iustitiæ dei munus, acciperent. Quod vt clarissime pateat, cumprimis illud annotandum est, Fidem, videlicet, spem, & caritatẽ, virtutes Theologicas, ex dei gratia in hominibus existente, seu infusa, perpulchre prodire. Nam licet, gratia gratificans,

ficans, & hęc tres virtutes, in eodem temporis instanti, à deo in peccatoris, ac impij iustificatione infundantur, id tñ ordine quodam celebratur & fit. Nam in eodem instanti temporis diuersa sunt instãtia naturæ, quibus prius intelligimus gratiæ infusionem, & collationem, dum impius iustificatur, deinde intelligimus ex gratia, fidem, caritate formatam, prodire, tertio spem. Comparantur namque hęc virtutes ad gratiam, sicuti animæ potentiæ ad eius essentiam, & quemadmodum talis animæ essentia, naturaliter potentijs prior est, ex ipsaque naturaliter profluere dicuntur, sic ex gratia ipsa, in essentia animæ recepta, promanant hęc tres virtutes, non in essentia, sed in potentijs animæ receptę, in intellectu, scilicet, & voluntate. Fides namque in intellectu est, spes, & caritas, in voluntate; Et quoniam essentia animæ potentijs prior est, vt dictum est, gratia quoque virtutes natura antecedit, & sicut intellectus voluntatem quoque ipsam antecellere concedimus, ita & fidem, caritate, ac spe, priorem, esse oportet. Et quod de habitibus asserimus, itidem de earundem actibus, astruendum est. Concurrunt igitur in impij iustificatione, Gratia, fides, spes, caritas, & harum actus, Nam gratiæ actum primariũ, dicimus esse, hominem deificare, seu eidem dare esse diuinum, deinde per virtutes prædictas, hominem iustificare, hoc ordine, vt per fidem quæ cognitionem affert, agnoscat homo deum optimum maximum, vt summum bonum obiectumque beatificum, quo, per fidem, ac fidei actum cognito; per caritatem, & caritatis actũ, in ipsum deum diligendum, feratur, Charitas enim est qua deum super omnia diligimus, vt obiectũ beatificum supernaturalis beatitudinis, & fidem, ordine naturę immediate sequitur, ipsamque perficit, & informat, qua ex re, fides formata dicitur, deinde deo cognito & amato, pręsto adest spes ipsa cũ actu suo, qua quidem spe erigimur in deum, ab ipso, peccatorum

In vno tẽporis instanti, sunt plura instantia naturæ.

Quo comparentur fides spes, ac caritas ad gratiã.

Fides spes ac caritas in intellectu, ac voluntate sunt velut in subiecto.

rum veniam sperando, postremo cum per hos tres actus homo in deum tendat, ipsumque per caritatis actum diligat, necessario peccatum contra deum per pertratum odit, atque detestatur, & id quidem sit per liberi arbitrij motum, sicque sequitur peccatorum remissio, impijque iustificatio. Et hoc est, q̃ sæpe, ac sæpius. D. Th. affirmat, quattuor, scilicet in impij iustificatione necessario concurrere, videlicet gratiæ infusionem, motum liberi arbitrij per fidem, caritatem, ac spem, tanquam per vnum actum perfectum, atque completum, tendentem in deum, & motum eũdem liberi arbitrij in detestationem peccati, quarto culpę remissionem. Et licet hæc quattuor in eodẽ instanti temporis fiant, in diuersis tñ instantibus naturæ fieri intelliguntur; Hinc euenit vt simul his ad iustificationem concurrentibus, quandoque iustificatio, gratiæ attribuatur, iuxta illud Apostoli, Rom. 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius, quandoque attribuatur fidei, iuxta illud eodem cap. scriptum. Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis. Nonnunquam spei, iuxta illud Rom. viij. spe salui facti sumus. Aliquãdo caritati, iuxta illud Luc. vij. Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Et. 1. Ioan. 3. Qui non diligit manet in morte. Licet enim vni quandoque virtuti iustificatio attribuatur, haud tamen aliæ seeluduntur, quoniam sic connexæ sunt, vt vna concurrente, & cætere concurrant. Verum de his operibus non intellexit Iacobus, cum asseruit hominem operibus iustificari. quoniam ibidem clare de misericordiæ operibus loquitur, vt cuilibet patet textum eius inspicienti. Et in hoc tota difficultas consistit. Cum enim hæc opera sint iustificationem consequentia, quonam pacto hominem iustificabunt, cum iam sine hisce operibus, iustificatus intelligatur?

Quõ opera subsequentia iustificare valeant.

Ad huius igitur rei claritudinem, sciendum est, nõnullos sic Iacobum interpretari. vt si de operibus,

siue misericordiæ, siue quibusque alijs iustificationē consequentibus, ea ipsa sic iustificent, vt iustiorem quempiam efficiant, in eo gratiam augendo, Nam hisce operibus meretur quis gratiæ augmentum, iuxta illud Apoc.xxij. Qui iustus est, iustificetur adhuc, & qui sanctus est, sanctificetur adhuc. Non enim inquiunt isti, loquitur Iacobus dum asserit hominem ex operibus, & non ex fide tantum iustificari, de ea iustificatione, qua ex impio, & iniusto efficitur iustus, q̄nquidem sine talibus quilibet iustificetur, sed de ea iustificatione quæ & secūda est, qua, quis nouū gratiæ gradum, & maius eiusdem augmentum per talia meretur opera, vtpote ex gratia prouenientia. Hunc verborum sensum esse germanum, veritatiq. penitus consentaneum, declarat sacrum Tridentinū Concilium, Sess. vj. can. xxxij. sic inquiens. Si quis dixerit, hominis iustificati, bona opera ita esse dona dei, vt non sint etiam bona ipsius iustificati, merita, aut ipsum iustificatum bonis operibus, quæ ab eo, per dei gratiam, & Iesu Christi meritum, cuius viuū membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratię, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, (si tamē in gratia decesserit) consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit. Hæc sacrum Concilium.

Optima secundū alios declaratio, quo opera iustificēt.

Possumus secundum nonnullos alios doctores, Iacobi verba sic interpretari, vt dicamus, q̄ clarus ipsius Apostoli Iacobi intellectus, is sit, non quòd asseret Apostolus, fidem sine operibus ita mortuam esse, vt absolute nullus, sine operibus posset saluari, quoniam in infantibus baptizatis elucet, absque operibus iustificatio, & in adultis etiam euenire potest, vt statim post baptisma susceptum, quis moriatur qui certe, & iustificatus est, & salutem consequitur sempiternam, atqui Intelligendum est, fidem remuentem, & nolentem operari etiam si sit opportunitas, esse mortuam, nec iustificare; Fides namque formata

sua

suapte natura per dilectionem operatur. Gal. 5. & ita operari sibi competit quemadmodum, igni, calefacere, soliqué lucere, ac calorem producere; His enim actus semper sunt, positis igne, vel sole, qui si remouentur, tum ab igne, tum à sole, iam ignis solque simul auferentur. Fides nempe, quæ operari minime parata est, fides est sterilis, & infœcunda, & ad iustificandum impotens, Illà verò quæ operari parata est, fides grauida fœcundaque est, virtute, opera quæque meritoria continens, Nec cum à fide eduntur, atque gignuntur, alia sunt ab eis, quæ virtute in ipsa continebantur, sed illa eadem, quæ in fide occlusa latebant, sicuti, fetus idem sunt, cum ex vtero matris produntur, & cum in vtero eodem existunt. Nequit igitur nisi fides ferax bonorum operum, & fœcunda operibus, iustificare secundum Apostolum, & sine operibus fidei formate fidem ipsam necessario includentibus, nequit homo iustificari secundum Iacobum. Et sic Paulus, Iacobo, & Iacobus, Paulo, consentit. Et cum subdit Iacobus, Abrahe exemplum, quo ait Abraham ex operibus iustificatum esse, filium suum immolando, dicimus ex tali opere quidem in fide Abrahe formata, incluso, & in ipsa tanquam in vtero matris contento, eum ipsum iustificatum esse, Idemque est dictu, ex opere tali iustificatum fuisse Abraham, & eundem ex fide parata, oblationem filij sui Isaac efficere, iustificationem accepisse. Quòd si affirmetur huiuscemodi opera à Iacobo nominata, non posse quempiam iustificare quoniam iustificationem consequuntur, aduertat obsecro sic obijciens, talia opera, & simul esse cum iustificatione, & aliquo modo sequi, simul quidem, quoniam in fide iustificante erant occlusa, licet intuisa, sequentia vero, quo ad perfectionem, consummationem, & manifestationem, & ob id, inquit Iacobus, quòd ex operibus fides consumatur. Hæc veritas ex doctoribus etiam liquet, &c.

DE LEGIBVS, DE'QVE DISCRIMINE INTER VETEREM, AC NOVAM LEGEM.

De legis definitione. Caput I.

Legis definitio prima.

LEX est quędam rationis ordinatio, ad bonum commune, ab eo qui curam communitatis susceptt, promulgata.

Hæc quippe ordinatio, nō rationis est speculatiue, sed praticę, ad actiones praticas optime tendens, Quod pulcherrime ex alia legis definitione declaratur. Sic enim aliter definitur.

Secunda. Lex est mensura, vel regula, humanorum actuum, directiua, Legis nanque est præcipere, punire, permittere, & prohibere, quæ, actus omnino rationis praticę sunt, ob idque directiua asseritur. Hincque fit, vt voluntas principis, ratione ipsa regulata, lex dici valeat, quæ si ratione careat, haud lex, sed iniquitas appellitanda sit.

Isydorus. Quod vero ad commune bonum sit ordinata, patet ex Isid. lib. v. Ethimolog. cap. xxj. inquiente. Legem nullo priuato cōmodo, sed pro communi vtilitate ciuium, esse conscriptam. Oportet quoque legem

gem ipsam à principe, vel communitate esse profectam, quod optime asseruit idem Isid. lib. Ethim. cap. x. sic inquiens.

Lex est constitutio populi, quo maiores natu, cum plebibus, aliquid sanxerunt. Princeps quoque communitatis curam gerens, legem coactiuam propter proteruos, & penalem, propter male dispositos, condit, atque promulgat; Promulgatio nanque de ratione legis omnino censetur, iuxta illud Dist. iij. Facte sunt leges, instituuntur cum promulgantur. Qui enim fieri potest vt lex ipsa obliget, nisi promulgetur in populique notitiam deueniat? At quoniam legum altera interior, exterior altera extat, ob id vtranque promulgari asserimus; interiorem quidem seu legem naturæ à deo promulgari fatemur, cum eandem mentibus hominum inserit, naturaliter agnoscendam, exteriorem vero, verbo, vel scripto promulgari videmus.

Tertia.

Promulgatio est de rõne legis.

Lex duplex.

De legis diuisione. Caput II.

LEX nanque tres in partes diuiditur principales, in æternam, videlicet, inditam, & impositam, seu in diuinam, naturalem, & scriptã. Æterna lex, æternus est diuinæ sapientiæ conceptus, quo res conditæ ac effectæ, reguntur ac gubernantur. Est quoque eadem lex, diuinæ sapientiæ ratio, omnium actuum motionumue creaturarum directiua. Harum definitionum hæc pulchra est explanatio. Quoniam sicuti in artifice quolibet, rerum fiendarum exemplar extat, vel idea, ad cuius similitudinem sunt effectæ, ita & in summo artifice, rerum omnium ab ipso conditarum, præexistit ratio, qua præfictæ res, actiones, motionesue, eidem subditæ, moderantur atque reguntur. Cum enim deus per artem suam, vel sapientiam, omnia in debitos perducit

Legis diuisio.

Legis æternæ definitio.

cit fines, omnia sua æterna lege gubernare dicitur. Augustinus sic eam in lib. de libero arbit. definit.

Legis æternæ definitio ab Augustino data.

Lex æterna, est summa ratio, cui semper obtemperandum, propter quam mali, miseriam; & boni, bonam vitam merentur, propter quam, illa quæ temporalis est fertur, rectéque mutatur. Istaque lex toti trinitati competit, quia cum in lege qualibet auctoritas, veritas, & bonitas, requirantur, auctoritasque deo patri condonetur, filio, veritas, bonitasque Spiritui sancto, merito toti vt prædictum est, attribuitur trinitati.

De lege naturali. Caput III.

Legis naturalis definitio.

LEX naturalis hominum mentibus, inserta, ab æternaque lege proficiscens, est lumen eisdem obsignatum, quo quid bonum, quidue malum operandum sit, optime dinoscitur. Cumque virtutes, ac virtutum actus, boni sint, vitia quoque ac eorundem actus mali, ob id lex hæc naturalis, vt illa amplectamur, hæc fugiamus, perpulchre docet; Hac quippe lege instruimur, vt deum præ omnibus diligamus, vt tamen totius naturæ principium exstat, & auctor Hæc naturalis lex omnibus communis

Naturalis lex est omnibus cõmunis.

est, cum vbique instinctu naturæ, non constitutione aliqua, habeatur, Nam hac lege, viri mulierisque coniunctio fit, liberorum successio atque educatio, communis omnium possessio, vnáque omnium libertas, acquisitio eorum quæ sub cœlo & terra, mariq; capiuntur, depositæque rei, ac pecuniæ restitutio, Item violentiæ per vim repulsio, hæc omnia, huic iuri subduntur.

Lex naturalis immutabilis est.

Est quoque hæc lex immutabilis ad hunc quidem sensum, vt nemini liceat eã minuere, vel aliquid subtrahere, qua subtractione, id quod prius erat de lege naturæ, de tali lege esse desinat. Vnde Dist. v. dicitur.

tur. Naturale ius ab exordio rationalis naturæ nec variatur tempore, sed immutabile permanet. Et annotandum est, legem naturalem posse, quidem à lege scripta corrigi, & additionem recipere, sed non mutari, Dicit enim in particulari, quod lex naturæ minime dicebat, & corrigitur quandoque dum sic obscuratur, vt quæ mala sunt, bona censeantur. Et licet quãdoque lex humana, possit iuxta de causa mutare quæ lex naturalis dictat, vt vtilia & ad finem expedientia, sicut patet de lege naturæ ante peccatum quæ libertatem dictabat, & post peccatum, dictabat seruitutem ac dominationem ob pacem conseruandã, non tamen immutare potest ea quæ secundum naturæ legem sunt debita, vt fiat quippiam de non præcepto, præceptum.

Lex naturalis, indelebilis est.

Rursus lex naturalis, indelebilis est quo ad principia omnium communissima & manifesta, tametsi quo ad nonnulla præcepta particularia operabilia, seu quo ad applicationem communium præceptorum ad aliquod operabile particulare, vel ob malas persuasiones, vel ob concupiscentias, vel prauas consuetudines, & habitus corruptos, à mente, deleri possit, vt testatur Apostolus Rom. j.

De lege scripta. Caput IIII.

Legis scripta diuisio.

LEX scripta duplex est, diuina, scilicet & humana, at diuina in duas secatur partes, in Mosaicam, scilicet & Euangelicam, seu in instrumentum vetus, & nouum.

Lex vetus, bona sanè fuit, vt testatur Apostolus Rom. vij. inquiens Lex quidem sancta & mandatum sanctum, iustum, & bonum, at bonitate quadam imperfecta, quoniam docuit quæ agenda quidem erant quæue vitanda, at ad finem consequendum minime perducebat, qui quidem finis, perfecti rationem habet.

bet. Quare aiebat Apostolus. Hebr. vij. Neminem enim ad perfectum adduxit lex. Docebat equidem hoc esse faciendum, illudue cauendum, at nullas ad exequenda mandata vires suppeditabat, sicque neminem perfectum reddebat, quod optime lex noua efficere potest. Hinc Apostolus. Non enim erubesco Euangelium. Virtus enim dei est in salutem omni credenti. Lex itaque vetus non perficiebat opera vitæ æternæ meritoria, nec hominem ad hanc consequendam poterat perducere, lex autem noua efficit vtrunque, quoniam lex gratiæ per Christo collate & opera meritoria efficit, & ad gloriam perducit. Adinuicemque comparantur hæc duæ leges sicuti medicina imperfecta & perfecta, quoniam imperfecta ad sanitatem duntaxat disponit, non autem ad eandem perducit, perfecta vero sanitatem optime confert.

Legis nouæ efficacia.

De veteris legis auctore, eiusque præceptis. Caput V.

Legis veteris auctorem, esse malum nonnulli tenuerunt hæretici.

LEGIS veteris, auctorem malum extitisse, hæretici nonnulli vt, Cerdon, Marcionque eius discipulus, necnon Manichæus asseruere, ob eaque affirmabant legem prædictam esse malam, quod quia iam falsum esse monstratum est, inde sequitur eamipsam à bono promanasse principio, à deo, videlicet, ipso, summo optimoque bono. Cum enim lex illa vetus ad bonum sit ordinata, non nisi à bono principe promanare potest.

Et licet hęc lex à deo profecta sit, haud tamen immediate sed per Angelorum manus, vt testatur Apostolus, Gal iij. inquiens. Lex ordinata est per Angelos in manu mediatoris. Legem enim hanc inter tempus naturæ, ac gratiæ tempus, congrue ordinatam asserendum sit, eamque per Angelos, id est per sacerdotes,

dotes, siue per Angelos veros, dicimus esse tradita, in manu mediatoris Christi, vt tamdiu ipsa perduret, quamdiu ipsi placuerit. Qui enim condendi legem, & abrogandi, habet facultatem. Lex vero noua vtpote perfecta, immediate à Christo data est.

Solis Iudæis data est lex vetus.

Legis veteris tria præcepta, & q̄ sint declarat.

LEX vetus solis Iudæis data est, quoniam populus à deo electus est, vt itaque hic populus, ab alijs discerneretur, eum lege donauit; Eidemque soli, hancipsam est elargitus, vt promissionem quam Abrahe fecit de Christo nascituro, impleret. Ob id inquiebat Apostolus. Gal. iij. Abrahe factæ sunt promissiones & semini eius, non dicit in semínibus quasi in multis, sed in vno & semini tuo, quod est Christus.

De præceptis veteris legis.

LEX vetus tria continet præceptorum genera, moralium, videlicet, ceremonialium, ac iudicialium. Præcepta moralia, decem sunt decalogi præcepta, primitus Iudæis collata, vt per ea à vitiorum actibus retraherentur, & ad virtutum opera inducerentur, tametsi ad hæc, timore magis, quàm amore adducerentur. Præcepta vero ceremonialia, ea sunt, quibus homines ipsi ad dei cultum ordinantur. Non enim solum mentis actibus interioribus, vt sunt credere, sperare, & amare, ordinantur homines ad deum, vt huncipsum colant, atqui exterioribus etiam actibus, quibus diuinam profiteatur seruitutem, & hij exteriores actus, ceremoniæ, nuncupantur. Apud latinos autem vt testatur. D. Thom. prima, secundæ,

secundæ, q. xcix. art. iij. ex Valerio maximo, introductum est hoc cerimoniæ nomen, ad significandum diuinum cultum, à quodam oppido, quod Cere, vocabatur, eo quòd Roma à Gallis capta, illic sacra Romanorum oblata sunt, & reuerendissime habita, Itaque præcepta illa quæ in veteri lege ad exteriorem, dei cultum pertinent, ceremonialia vocitantur;

Præcepta denique iudicialia, ob id in lege fuere, quia sicuti per præcepta ceremonialia, facta fuit determinatio præcepti communis de diuino cultu, ita etiam per præcepta iudicialia, determinatio effecta est præcepti communis, de iustitia peragenda. Et hæc tria præcepta optime à Paulo Rom. vij. descripta sunt, dum dixit. Lex quidem sancta & mandatum sanctum, iustum, & bonum. Mandatum quippe sanctum, ad ceremoniale præceptum attinet, iustum, ad iudiciale, bonum vero ad morale.

De impotentia, & inefficatia veteris legis. Caput VI.

Veteris legis impotentia.

CVM in veteri lege duplex immundicia incurreretur, corporis, videlicet, & animæ, legis præcepta cerimonialia, talem immundiciam quæ irregularitatem quandam præseferebat, expiabant, vt cessatur Apostolus Hebr. ix. inquiens, quòd sanguis hircorum & Taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificabat ad emundationem carnis, & ex hocipso, quòd expiabant ab immundicia corporali, significabant iustificationem fiendam à peccatis in noua lege per Christum. Ab immundicia vero mentis, & à peccatis nequibant ceremoniæ, vel lex purgare. Quod optime declarat Apostolus Gal. iiij. vocans veterem legem, elementa egena & infirma, egena quidem, eo quòd ipsa gratiam minime contineat, infirma vero, quia gratiam

Lex vetus nequibat homines iustificare

iusti

iustificantem nequaquam condonat. Cap. quoque. ij. sic aiebat. Si data est lex quę potest iustificare, ergo Christus gratis mortuus est. Verum id tamen est, vt lex vetus iustificationem ipsam significet, & ad iustificationem disponat, at iustificantem gratiam minime confert, sed id proprium legis, est nouæ. Vnde Paulus Rom. iij. aiebat. Iustificati gratis per gratiam ipsius, scilicet Christi.

Quot sint Ceremoniarum differentiæ. Caput VII.

Ceremoniarũ differentiæ quot & quæ sint.

CEREMONIAE veteris legis in sacrificia, sacra, sacramenta & obseruantias diuiduntur. Nam sacrificia, illa fuere, quæ in dei cultum & reuerentiam offerebantur, & ordinata fuerunt ad repropitiationem. Sacra illa dicta sunt, quæ ad dei cultum deputata sunt, & talia ad dei honorem sunt ordinata. Sacramenta illa extitere, quæ quãdam consecrationem, vel populi, vel ministrorum præseferebant, & ad sanctificationem ordinata sunt. Obseruantiæ vero ille dicebantur, quæ ad quandam identitatem populi colentis, deum ordinabantur, & eliminabant idolatriæ superstitionem. Ad sacrificia item pertinebant animalia, & terrenascentia. Ad sacra. Tabernaculum, templum, altare, vasa, solemnitates, & huiusmodi. Ad sacramenta, attinebant, Circuncisio, esus agni paschalis, purificatio, oblatio duorum hircorum, & cætera id genus, quæ in ipsa veteri exprimuntur lege; Ad obseruantias autem ea pertinebant, quæ absurditatem quampiam continere videntur, in cibis, vestibus, & alijs huiusmodi.

De Euangelij nominis interpretatione ac definitione, deque discrimine Euangelicæ legis à veteri. Caput VIII.

Euangelij interpretatio.

EVANGELIVM græce, latine, bonam nunciationē, significat, & hæc quidem nunciatio, bona simpliciter asseritur, tamquam ea ipsa sola bona dicatur, quod vtique verissimum est, tum ex parte rei nunciatæ, quæ integra felicitas est, quam solam vt verum bonum nunciat, tum ex parte eorum quibus nunciatur, quoniam sola bona est omnibus hominibus, cuiuscunque gradus, ac conditionis existant, tum ex parte modi, quoniam sola, modo optimo, semota quacunque obscuritate omnibus clare nunciat, tum denique ex parte, eius à quo promanat tamquam à prima causa & primo auctore, qui deus est. Ipse enim deus medijs, Apostolis ac Euangelistis, bonam hanc nunciationem quibusque dat.

Euangelij definitio.

Definiturque Euangelium ab Apostolo Rom. j. sic inquiente. Euangelium, Virtus dei est, in salutem omni credenti. Vocitat namque Paulus Euangelium, virtutem, seu potentiam non quidem hominis, vel cœlorum, aut Angelorum, sed dei, hæcque potentia quæ Euangelium dicitur, haud in perditionem est, sed in salutem omni volenti ad deum per fidem accedere.

Multiplex inter legem veterē, & nouam, discrimen.

Differt igitur Euangelium ipsum, quod lex noua dicitur, à lege veteri, vel Mosayca multipliciter.

Et primo quidem, quoniam lex antiqua & vetus, figurat dumtaxat iustificationem, peccataque ostendit, at noua iustificationem affert & peccatorum abolitionem. Vnde Ioan. j. dicitur. Ecce Agnus dei, ecce

qui

qui tollit peccata mundi. Nam in his verbis, ostenditur figura iustificationis fiendæ per Christum, quæ ad veterem attinet legem, dum dicitur. Ecce Agnus dei, & pariter ostenditur figuratum quod est Christus, dum dicitur. Ecce qui tollit peccata mundi. Christus enim per agnum qui in veteri lege immolabatur, figuratus, in cruce immolatus, totius mundi, peccata abstulit, & ob id inquit Apostolus. Rom. viij. Qui filio suo, non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Et primæ Petr. j. Qui peccata nostra pertulit, & Isa. liij. Vere langores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.

Lex antiqua, lex est timoris, inducens ad virtutum opera, & vitationem malorum siue vitiorum, ex solo timore pœnæ quæ Iudæis comminabatur, Lex autem noua lex est amoris, inducens ad prædicta, amore & caritate. Rom. viij. Non accepistis iterum spiritum seruitutis in timore, &c. *Secundo.*

Lex antiqua, lex est iræ vel furoris, quoniam effectum irati, punitionem ipsam acriter afferebat, iuxta, illud Apostoli. Lex iram operatur, At lex noua, lex est pietatis & clementiæ, sicuti habetur expresse de muliere adultera & in adulterio deprehensa. Ioan. viij. cui Christus indulsit, dicens. Vade noli amplius peccare, & de multis alijs idem legimus. *Tertio.*

Lex vetus, lex est seruitutis, volens omnia, timore seruili effici, Lex autem noua, lex est libertatis iubens omnia fieri amore, vel timore filiali ob reuerentiam summi patris. Rom. viij Non accepistis, &c. *Quarto.*

Lex antiqua, lex mortis est, quoniam reos morte mulctabat & mortificabat. Sed lex noua, lex vitæ est, per gratiam vitam omnibus præbens. Rursus lex antiqua lex litteræ est, Lex noua, lex spiritus, Vnde Apostolus. ij. Cor. iij. ait. Littera occidit, lex scilicet vetus, spiritus aut viuificat, lex scilicet noua. Vnde aduertendum est, quòd ad legem Euangelij, duo pertinent, scilicet gratia Spiritus sancti interius data, quę *Quinto.* *D. Thom. prima, ij. q. 106. art. iiij.*

iustificat & viuificat, & documenta, ac præcepta ordinantia affectum humanum, & humanos actus, & quantum ad hoc secundum, lex noua non iustificat, immo quo ad litteram etiam ipsa occidit. Rom. vij. Nunc soluti sumus à lege mortis, &c.

Sexto. Lex vetus, res temporales duntaxat eam seruantibus pollicebatur, Lex autem noua, res æternas, patriam videlicet cœlestem, iuxta illud Apostoli Rom. iiij. Si enim qui ex lege sunt, hæredes, euacuata est fides, abolita est promissio. Gal. iij. Nam si ex lege hæreditas, &c.

Septimo. Lex vetus, lex vetustatis est, quia iam senescens, cessauit. Lex autem noua lex est, nouitatis & sempiterna, non in tabulis lapideis scripta, vt vetus, sed in hominum cordibus. Vnde Apostolus Rom. vij. aiebat. Ita vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate litteræ.

Octauo. Lex vetus cum deo nos minime conciliat, nec cum ipso pacem habere facit. Lex noua id optime operatur, testante hoc Apostolo. Rom. v. vbi ait. Iustificati igitur ex fide pacem habeamus ad deum.

Nono. Lex vetus per Moysen, seu per Angelos data est, non immediate à deo, sed lex noua à deo immediate promanauit. Vnde Apostolus. Gal. iij. Quid igitur lex. Propter transgressores posita est, ordinata per Angelos, in manu mediatoris.

Decimo. Lex vetus peccatum ostendebat, at ipsum non delebat, Vnde Apostolus de prima, inquit Rom. iij. Per legem. n. cognitio peccati, &. vij. Sed peccatum non cognouit nisi per legem. At lex noua peccatum ipsum delet, hominemque iustificat. Vnde Rom. iij. Nunc vero sine lege, iustitia dei manifestata est, testimonium habens à lege, & prophetis. Et Rursus. Iustitia autem dei per fidem Iesu Christi. Et Iterum. Iustificati gratis per gratiam ipsius. Et de vtraque loquens. Gal. iij. inquit. Si enim data esset lex quæ posset viuificare, vere ex lege esset iustitia. Sed con-

clusit

clusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.

De lege humana, eiusque definitione, ac vtilitate, & necessitate deque eius effectibus. Caput IX.

LEX humana scripta, sic definitur. Lex humana est, quoddam dictamen practicæ rationis, quo regulantur & diriguntur humani actus. Hæc autem lex à lege naturali, non scripta, originem ducit. Pendet namque ab ipsa vti conclusio, & determinatio quædam. Dicit namque naturalis lex, hominum mentibus indita, Nulli malum esse faciendum, at lex humana, ab hoc principio deducit veluti conclusionem. Nullum esse occidendū & cætera negatiua præcepta. Pendet vero vt determinatio. quoniam naturalis lex dictat omnem peccantem, & delinquentem, esse puniendum, at lex humana punitionis modum determinat, vt vel decapitetur, vel suspendatur, decapitetur si occidit, suspendatur si furatus est, &c. *Legis humanæ definitio.*

De vtilitate, & necessitate legis humanæ.

VTILE siquidem fuit, ac perneccessarium nonnullas leges ab hominibus condi. Nam cum in hominibus aptitudo quædam & dispositio ad virtutes sit, complementum tamen perfectioque eiusdem virtutis, hominibus, tum per monitiones, tum per leges est. Nam illis hominibus, qui bonæ dispositionis naturalis sunt, vel bonæ consuetudinis, vel bene affecti, diuinæ gratiæ munere, suffi- *Legis humanæ necessitas ostenditur.*

ciunt sibi monitiones ad opera virtutum capessenda & amplectenda, at illis qui ad vitia proni & proteruí sunt, nec facile verbis moneri possunt, necessaria lex humana est, qua metu pœnæ, à vitijs se retrahentes, ad virtutum opera dirigantur. Hij enim & si non amore, timore tamen & metu pœnæ ad virtutes inducuntur ac pacem. Et id quidem merito fit, quoniam sicut homo si virtute, perfectus sit, optimum est omnium animalium, ita si sit à lege separatus, iustitia, & virtute, omnium animalium est pessimũ.

De effectibus humanæ legis seu, actibus.

Humanæ legis act⁹ quot & qui sint.

QVATTVOR actus sunt humanæ legis, scilicet percipere, prohibere, permittere, & punire. Præcipit namque lex humana virtutum actus, qui ex genere suo boni sunt. Prohibet actus vitiosos ex genere suo, permittit autem actus ex genere suo indifferentes. Punit postremo inobedientes, & legibus rebelles. Præmiare vero non ponitur vt legis actus, quoniam ad quamlibet priuatam personam pertinere potest, non autem punire, & ideo hic actus legis est, præmiare vero minime.

De subiectis humanæ legi.

Humanæ legi omnes subdũtur.

OMNES, siue boni sint, siue mali, humanæ subduntur legi. Nam cum lex duplicem habeat virtutem, directiuam, videlicet, quatenus in virtutum opera dirigit, & coactiuam, quatenus timore pœnæ instigendæ coguntur legem obseruare, Virtuti directiue omnes iusti, & virtuosi, amore

more operantes, subduntur, Virtuti vero coactiuæ; iusti minime subijciuntur, sed solum praui atque iniusti. Si vero lex humana legi diuinæ repugnaret nemo ad eius obseruationem obligaretur. Quicunque autem spiritu sancto, siue Spiritu dei aguntur, hi profecto non legi punitiue, at solum legi subduntur amoris, vt filij, legi paternę, & hoc modo etiam Christus sub lege factus est, vt ait Apostolus. Gal. 4. Misit deus filium suum factum sub lege, &c. Iniusti vero legi subijciuntur, vt serui, domino, qui timore pęnę duntaxat, ipsam, obseruant. Et licet princeps, non subijciatur legi, quatenus infert violentiam, vel pęnam, subijcitur tamen quatenus habet vim directiuam. Est autem aduertendum, quòd humana lex vt liget, debet religioni, & diuinæ legi congruere, rationi, seu legi naturali, esse consentanea, saluti & vtilitati humanæ, proportionari. Vnde Isidorus dicit, quod lex humana, debet esse honesta, iusta, & possibilis, honesta, vt legi diuinæ, iusta, vt legi naturali, possibilis, vt vtilitati communitatis, sit consentanea.

De legis humanæ obligatione.

Leges humanas iustas, cuncti obseruare tenentur.

SI leges humanæ iustæ sint ex fine, ex auctoritate, & ex discretione, subditos obligant in foro conscientiæ, & necessitatem imponunt attestante hoc scriptura Prouerb. viij. vbi scribitur. Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.

Consuetudo autem rationabilis vim legis obtinet, & legem abolet, & est legum interpretatrix. Vnde Augustinus ad Casul. Episcopũ, ait. Mos populi dei, & instituta maiorum, pro lege sunt tenenda, & sicut præuaricatores legum diuinarum, ita contemptores consuetudinum ecclesiasticarum, sunt

coërcendi. Et D. Thomas. prima, secundæ, q. xcvij. artic. iij. hoc expresse testatur, inquiens, omnem legem à ratione proficisci, & voluntate legislatoris, & legem quidem diuinam, & naturalem, à rationabili dei voluntate, legem autem humanam à ratione hominis regulata, & quemadmodum (subdit) hominis ratio & voluntas in rebus agendis, verbo manifestantur, ita & facto, claretque quòd verbo humano, potest lex mutari, ac etiam exponi, quatenus ostendit manifestatque interiorem motum conceptumque rationis humanæ, quare per actus maxime multiplicatos, qui consuetudinem efficiunt, mutari potest lex, & exponi, & etiam quippiam causare, quod legis virtutem obtineat, quatenus, scilicet per exteriores actus multiplicatos, interior voluntatis motus, rationisque conceptus, efficacissime declaratur, quandoquidem illud quod multoriens fit, videatur ex deliberato rationis iudicio, prouenire.

Romanus pontifex potest legem condere ad mortale peccatum obligãte.

Hæc ille. Atqui circa humanam hanc legem, eiusq. obligationem, dubium exoritur, num possit Romanus pontifex, vti in terris, summus princeps, leges condere, obligantes ad mortale crimen, omnes, non eas obseruantes, non eis, vt par est, obtemperantes. Huic dubio perpulchre respondetur, nemini, nisi scismatico, vel male de pontificia auctoritate sentienti, dubium esse, quin tales leges condere possit, subditos, ad lætale crimen obligantes, si eas obseruare renuunt. Id autem præclarissime constabit, si ab Apostolo Paulo principium sumpserimus, inquiente Rom. xiij. Potestatem omnem à deo esse. Non enim est, (inquit) potestas nisi à deo, Cum itaque potestas quælibet, siue ecclesiastica, siue secularis, à solo deo sit, hinc optime fit, vt cum summus pontifex leges condit, legi diuinæ, naturali, ac rationi conformes, diuina faciat auctoritate. Cumque deus ipse per legem mortales omnes, ad eius obseruantiam, sub pœna lætalis criminis obstrin-

gere

gere possit, & pontifex quoque dei auctoritate acce pta, poterit per legem, ab ipso conditam, omnes sibi iure subditos, astringere sub pœna mortalis peccati, vt eamipsam obseruent; Et propterea idem inquiebat Apostolus, id præclare declarans. Omnis anima, potestatibus sublimioribus subdita sit; Quicunque enim potestati resistit, dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, sibijpsi damnationem acquirunt. En quàm clare Apostolus asserat, omnes, legem à potestatibus sublimioribus traditam, non obseruantes, & eidem resistentes, damnationem incurrere, damnationem inquam, ex lætali crimine prouenientem. Quod optime declaratur ex ipsius Apostoli verbis subiunctis, dum inquit; Necessitate subditi esto te non solum propter iram, nempe principis vitandam, atqui etiam propter conscientiam, ne, scilicet (inquit Theophylatus) conscientia carere appareas. Non enim euidentius insinuari potuit obligatio obediendi, quàm necessitate parendi. Quod enim liberum est facere vel prætermittere, necessarium certe nemo astruit. Id etiam, eo confirmatur, quo dicimus, omnem humanam legem iustam, ab æterna dependere, quo fit vt qui humanam legem iustam transgreditur, & diuinam quoque transgrediatur, hoc attestante saluatore. Luc. x. vbi ait. Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit me spernit. Et Apostolo. j. Thesalo. iiij. inquiente, Scitis quæ præcepta dederim vobis, per Iesum dominum nostrum. Rursus confirmatur, hoc idem auctoritate Augustini ad Bonifacium, quæ habetur. Dist. ix. cap. Imperatores. vbi dicitur. Quicunque legibus Imperatorum, quæ pro dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium. At obijciunt hæretici, veluti Ioannes Huss. Ioannes Vuicleff. horumque sectatores, nullam principibus præstandam esse obedientiam, si mortali quopiam afficiantur peccato; Verum id quàm erroneum sit, quamque hæreticum, constat

Peccatum mortale, nõ aufert principibus, & dominiũ potestatem.

constat ex hoc, quoniam mortale peccatum, non au fert principibus potestatem præcipiendi, nec subditos ab eorum eximit obedientia; Quod probatur sacri Euangelij auctoritate. Ioan. xix. Constat enim Pilatum sceleratissimum extitisse hominem, quandoquidem inter cætera ipsius scelera, iniustissimam protulerit sententiam aduersus Christum saluatorem nostrum, vt crucifigeretur, & tamen ex ipsius Christi sententia, constat, ipsum habuisse, à deo potestatem, vt eumipsum ad mortem condemnaret. Sic enim inquiente Pilato, Christo saluatori nostro; Nescis, quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? Respondit Iesus Christus; Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper. Ex his itaque Christi verbis expressissime constat, mortale peccatum, auctoritatem, potestatemque nequaquam adimere. Quamobrem aiebat Petrus Epistola prima, cap. ij. Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter deum, siue regi quasi præcellenti, siue ducibus tamquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. Et infra. Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis. Firmiter igitur astruendum est, pontifices siue bonos, siue malos, potestatem habere, leges condendi, ad mortale peccatum obligantes, omnes subditos eas non obseruantes. Idque vti indubitatum, tenendum est. Et hæc de legibus breuiter dixisse sufficiat.

DE ECCLESIASTICIS POTESTATIBVS, ET EARVNDEM ORDINIBVS.

ECCLESIASTICAM potestatem duplicem esse constat, alteram, Iurisdictionis, consecrationis alteram, potestas iurisdictionis est ad regendum populum, mortalibus à Christo, tradita, Omnis enim potestas à deo est, inquit Apostolus Rom. xiij. potestas consecrationis est illa, quæ tum ad confectionem, tum ad administrationem sacramentorum nouæ legis ordinatur. Et si hæc duæ præcisè adinuicem comparentur, vt vna alteram secludit, secunda, est prima præstantior, quippe quæ illius est finis. Nam prima iccirco tribuitur, vt populus à malis coërcitus, in bonis se exerceat, quo possit dignius, diuinis participare sacramentis. Sed ne in re hac confusionem admittamus, nunquam intendimus comparare potestatem iurisdictionis, potestati ordinis, sed seorsum potestates iurisdictionis inter sese, & potestates consecrationis inter se etiam. Pro cuius claritudine ponitur hæc prima conclusio. *Ecclesiastica potestas duplex.*

Multæ

CONCLVSIO PRIMA.

VLTAE sunt potestates, potestate simplicis sacerdotis præstantiores.

Pontificia potestas ē omnium suprema.

Nam vt de summa omnium potestate in hac conclusione breuiuscule loquamur, cum de ipsa specialiter tractatum simus editurj, id solū asserem us. Potestatem pontificiam à Christo, Petro, immediate traditam, & in Petro, omnibus successoribus suis, per illa verba. Ioan. vltimo. Pasce oues meas, esse simpliciter primam, omniumque aliarum fontem ac originem. Nam nulli vnquam Apostolorum legitur Christum hæc verba dixisse, nec curam ouium vniuersalem dedisse, sed soli Petro qui iurisditionem in omnes Christicolas, etiam in ceteros Apostolos, à Christo accepit, cum ius verum regendi totam Ecclesiam & Apostolos etiam susceperit; Caput quippe fuit simpliciter omnium. Vnde dictum est ei, à Christo. Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur caput. Et id sanè regimini pollitico, omni alio regimine præstantius conuenit, vt supremum quippiam ponatur, per quod tota regatur multitudo, & à quo auctoritas quæque descendat ad potestates medias vsque ad extremas. Hinc aiebat Arist. Politicorum secundo,

Regnum optima ē pollitia.

Regnum, esse optimam pollitiam. Cumque Ecclesiæ regimen, vt polliticum, sit à Christo institutum. proculdubio, in ipso, rectorem quempiam vniuersalem, à quo omnis auctoritas in medios, & in extremos scaturiat, ponere, necesse est. Hic vero pontifex est. Et quicunque ab vnitate, vniuersalis huius pastoris recedunt, ecclesiæ, per hoc vnitatem scindentes, schismatici vocantur. Nulli itaque dubium erit quo ad potestatem iurisditionis,

nis, quod pontifex non sit simplici sacerdote, maior. Quamuis etiam simplici sacerdote, Episcopus sit maior, & archipresbiteris etiam omnibus, decanis, plebanis, prioribus & abbatibus, nihilominus, Aërius hæreticus, dolens quia episcopus ordinari non potuit, vt testatur Aug. lib. liij. de Heres. asseruit, & docuit, Episcopum, non esse simplici sacerdote superiorem. Hunc errorem post multos annos ab inferis reduxere Valdenses, quos etiam imitati sunt Marsilius Paduanus, & Ioannes Vuicleff. eo quòd episcopatum Vigorienſem quem ambiebat, non est assecutus. Ait namque Ioannes Vuicleff. sacerdotes omnes, Apostolis, succedere, hac in re, diaconos vero, reliquis discipulis. Sed operæprecium est, vt primum ostendamus, solos Episcopos esse vere Apostolorum successores, presbiteros vero, esse discipulorum vices gerentes. Et huiusce testimonium rei, firmamque fidem facit. Beda super Luc. lib. iij. cap. xv. sic inquiens. Sicut duodecim Apostolos formam Episcoporum exhibere simul & demonstrare, nemo est qui dubitet, sic & hos. lxxij. figuram presbiterorum, id est secundi ordinis sacerdotum gessisse, sciendum est, tametsi primis ecclesiæ temporibus, vt Apostolica scriptura test s est, vtrique presbiteri, vtrique vocabantur Episcopi, quorum vnum scientiæ maturitatem, aliud industriam curæ pastoralis significat. Isidorus quoque itidem sentit in quodam sermone in synodo habito sic dicens. Presbiteri quippe successores & vicarij sunt. lxx. discipulorum, qui præcedebant dominum Iesum Christum in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipse venturus. Ita presbiteri, quia adiutores sunt Episcoporum, rudes populos initiant, baptizandos, vnitati Ecclesiæ incorporant, in omnibus sacramentis vsque ad manus impositionem, populo dei ministrant. Episcopi vero, successores sunt Apostolo

Aërius.

Valdenses

Ioannes Vuicleff.

Beda.

Isidorus.

Damasus papa. Apostolorum. Et beatus Damasus Papa in Epistola de Coëpiscopis ait. Quòd autem solis Apostolis eorumque successoribus, proprij sit officij tradere Spiritum sanctum, liber actuum Apostolorum docet, presertim cum nullus ex. lxxij. discipulis quorum isti. S. sacerdotes in Ecclesia speciem gerunt, legatur donum sancti Spiritus per manuum

Vrbanus papa. impositionem (vt prædictum est) tradidisse. Vrbanus Papa & martir in Epistola de communi vita & oblatione fidelium, idem sentit, sic inquiens. Ipse res inditione singulorum parrochianorum Episcoporum, qui locum tenent Apostolorum, erant & sunt usque adhuc, & futuris semper debent

Anacletus papa. esse temporibus. Sed postremo accedit. Anacletus papa & martir. iiij. in successione Petri, qui & Apostolos vidit & à beato Petro fuit in presbiterum ordinatus. sic ait in Epistola de Patriarchis, & primatibus ac reliquis episcopis. Sacerdotum fratres ordo bipartitus est, & sicut illum dominus constituit, à nullo debet perturbari. Scitis autem à domino Apostolos esse electos & constitutos, & postea per diuersas prouincias ad prædicandum dispersos. Cum vero messis cepisset crescere, videns paucos esse operarios, ad eorum adiumentum lxxij. eligi præcepit discipulos; Episcopi vero, domini Apostolorum, presbiteri quoque. lxxij. discipulorum locum tenent. Iam igitur patere potest ex tantorum virorum sententia presertim, ex Anacleto viro sanctissimo, & Apostolorum tempore superstite, astruere dominum instituisse bipartitum sacerdotum ordinem, quo fit vt opiniones supradictas veluti falsas, respuere debeamus.

Atqui Ioannes Vuicleff. ex. D. Hieronymini auctoritatibus & dictis se communit, quibus expresse sentit Episcopalem dignitatem, non esse sacerdotali maiorem, ex Ecclesiæque statuto ortum esse,

esse, vt Episcopus, sacerdoti præficiatur. Sic namque super Epist. ad Tit. j. super illud. Huius gratia reliqui te Cretæ, &c. scribit. Idem ergo presbiter qui episcopus, & antequam diaboli instinctu, studia in religione fierent, & diceretur in populis. Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephę, communi presbiterorum consilio, Ecclesiæ gubernabantur; postquam vero vnusquisque eos quos baptizauerat, suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, vt vnus de presbiteris electus superponeretur cæteris, & schismatum semina tollerentur. Rursus in Dialogo Orthodoxi & Luciferiani, circa medium, sub persona Orthodoxi, de confirmationis sacramento differens, sic ait. Quod si hoc loco quæris, quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum sanctum, quam asserimus, in vero baptismate tribui, disce hanc obseruationem ex ea auctoritate descendere, quòd post ascensum domini, Spiritus sanctus ad Apostolos descendit. Et multis in locis idem factitatum reperimus, ad honorem potius sacerdotum quàm ad legis necessitatem; Alioquin si ad Episcopi tantum imprecationem Spiritus sanctus defluit, lugendi sunt qui in viculis, aut in castellis aut in remotioribus locis, per presbiteros, & diaconos baptizati, ante dormierunt, quàm ab Episcopis inuiserentur. Ex hac namque auctoritate elucet, Diuum Hieronymum sentire, non ex legis necessitate euenire, vt Episcopus solus per manus impositionem, Spiritum sanctum conferat, sed id ex Ecclesiæ statuto & institutione, ad honorem sacerdotij proficisci. Sed in hac parte non consentiunt, Diuo Hieronymo, quamplures & sanctitate, doctrina, ac dignitate pontificia, pollentes viri, vt Damasus, Innocentius, Fabianus, Leo primus, Melchiades, & Eusebius, omnes pontifices maximi, qui oppositum sensere, & a-

Hieronymus. Vide 93. dist. cap. Legimus in Isaia, & 95. dist. cap. Olim.

Hieronymus.

lij

lij complures, vt Clemens, & Vrbanus, &c. nec huic quicquam eius detrahitur honori, quoniam ipſe expreſſe ad Damaſum papam ſcribens fatetur, ſe illam ſolam velle fidem tenere, quam, illum, Romanus pontifex & verus Petri ſucceſſor, docuerit. Nec quempiam mouere debet beati Gregorij factum, qui ſcribens Ianuario Epiſcopo, permittit vt presbiteri ſacramentum confirmationis, baptizatis conferant, quoniam illud quidem ne facerent prius inhibuerat, vt ex illa eadem patet Epiſtola, ſed quia agnouit inde ſcandalum ſuboriturum, iccirco id vt minus malum, & ne ſcandalum ſequeretur, permiſit, non igitur id preſbiteris ſimplicibus conceſſit, ſed quod minus videbatur malum, id certe permiſit. Concilium præterea Iſpalenſe, cui interfuit beatus Iſidorus, recenſens quæ ſint ſacerdotibus interdicta ſimplicibus, & ſolis reſeruata Epiſcopis, inter cætera hoc vnum annumerat; Rurſus, vnus, ex. xlv. articulis Ioannis Vuicleff à Conſilio Conſtantienſi condemnatis, hic eſt, ſub his verbis. Confirmatio Iuuenum, & clericorum ordinatio, locorum conſecratio, reſeruantur pape, & Epiſcopis, propter cupiditatem lucri temporalis, & honoris. Nec ratio, à Diuo Hieronymo adducta, cogit, videlicet, ſchiſmatis remotio, quoniam & potuiſſet ab vna ciuitate per electionem vnius Epiſcopi, ſchiſma expelli, non à pluribus, ſed opportuniori remedio ei obiectum eſt, vt videlicet, Chriſtiani omnes à Chriſto capite appellarentur non Paulini à Paulo, nec Petrini, à Petro, quia Chriſtus qui interius baptizat vnus eſt. Verum quia alia etiam pro ſe adducit dicta, quibus melius ſuam intendit corroborare ſententiam, ob id etiam & illis ſingillatim reſpondendum eſt. Ait nanque Apoſtolus Paulus, (inquit ipſe Hieronymus) Philip. j. Paulus & Timothæus ſerui Ieſu Chriſti, omnibus ſanctis

sanctis in Christo Iesu qui sunt Philippis, cum Episcopis & diaconibus gratia vobis &c. Ex his modo manifestum est, quòd Philippis vna duntaxat ciuitas est Thraciæ, cui non plures præsidebant Episcopi, sed vnus, & tamen, inquit Apostolus cum episcopis, & diaconibus, per Episcopos igitur intellexit presbiteros; Item acto. xx. scriptum est, quòd cum venisset Apostolus Miletum, miserit Ephesum, & vocauerit presbiteros Ecclesiæ eiusdem, quibus postmodum inter cætera sic fit loquutus. Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo Spiritussanctus posuit Episcopos, regere ecclesiam quam acquisiuit sanguine suo. Claret nempe ex hoc dicto, quos prius presbiteros vocauerat, deinde Episcopos vocet, quo rectè colligi potest inquit Hieronymus, vt presbiter, ab Episcopo, minime seiungatur.

Presbiter & Episcopus in sua prima institutione latiorem habuerūt significationem.

Sed hoc in loco aduertere oportet, presbiterum & Episcopum in prima sua institutione, latiorem habuisse significationem, quàm modo habeant, & nunc vnumquodque nominum istorum ad proprium tractum est significatum atque reductum. Nam Episcopus græca dictio est, ἐπισκόπος enim græce superintendens dicitur, Deriuatur enim ab ἐπί, quod est supra, & σκόπος, quòd est intentio, Episcopus igitur, qui alijs præficitur, vt superintendat, & iuxta hanc interpretationem & deriuationem, claret omnes presbiteros curatos, etiam dici posse Episcopos, id est superintendentes, quoniam superintendunt curæ animarum. Presbiter quoque græca dictio est. Nam πρεσβύτερος latine interpretatur senior, est igitur presbiter nomen ætatis, non quidem, vt iuxta numerum annorum computanda veniat, sed iuxta sensus maturitatem, iuxta illud sapientis. Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata. Presbiter itaque rectè à sensus maturitate & sapien-

Sap. 4.

tia qua insignitus est, appellitari debet, & sic ex prima sua institutione, erat communius nomen tunc, quàm nunc, quia tunc iuxta illam significationem, omnes sapientes presbiteri dici poterant, cum tamen nunc multi sint, qui presbiteri non dicantur, tametsi nomen sibi vendicare præsumant; Manifestum tamen est ex antedictis nomen presbiteri commune esse, & Episcopis, & simplicibus sacerdotibus, sua ex prima institutione. At Ecclesia timens, ne propter indistinctam nominis significantiam, arbitraretur quis, res ipsas, esse suapte natura indiscretas, vocabulorum significata contraxit, vt vnumquodque nomen, proprio gaudeat significato, contraxi que Episcopi nomen ad eos solos sacerdotes, qui cæteris omnibus sacerdotibus præstant, & totius ciuitatis curæ, ac regimini in spiritualibus præficiuntur: Nomen vero presbiteri arctauit ad illos solos sacerdotes, qui corpus dominicum pariter & sanguinem conficere possunt. Sic itaque Ecclesia hoc statuit, hanc contractionem effecit, non ob id nouum ordinem, aut eiusdem ordinis, nouum gradum instituit, sed gradus sacerdotij antiquos à deoque institutos, censuit proprijs nominibus appellitandos, ne ex nominum idemptitate, ac communione, quis existimaret, res prorsus esse easdem. Et id quidem ecclesiam efficere potuisse, nemo est, qui dubitare valeat. Quod si fortasse quispiam velit omnino in prima horum nominum significatione esse standum, vt. D. placet Hieronymo, animaduertat secundum scripturas non solum presbiteros, verum etiam diaconos, Episcopos fore vocitandos; Quod sic facile commostratur. Nam. ij. Thimoth. iiij. vbi Apostolus, inquit: Ministerium tuum imple, text. græcus habet, διακονιαν. hoc est diaconatum, vbi clare patet pro officio episcopi, diaconatū ponere, nec iniuria id quidem efficitur, quia cum diaconatus ministerium significet, iuxta primam suam

Ecclesia, dum contraxit nomen episcopi, & presbiteri ad propria significata gradus sacerdotij, à deo institutos, censuit proprijs nominibus ipsos appellitandos

suam significationem, & episcopus sit & ipse minister, non ab re Episcopo scribens Paulus, dixit, ministerium tuum impple, & nihilominus Ecclesia, diacono vocem, ad solum ministrum, qui in certo gradu in altari ministrat, contraxit. Huius rei testis, est Theophylatus ad Philip. primo, vbi declarans illud: Cum episcopis, & diaconis, sit ait. Episcopos sacerdotes dicit. Neque enim plures præter vnum erant episcopi, qui singulis ciuitatibus præsiderent, quippe cum nondum essent nomina dispertita, sed episcopi tantum, diaconi & presbiteri dicebantur. Hic manifeste ex Theophilati testimonio patet, non rerum, sed tantum nominum factam esse partitionem, quoniam rerum sectio non ab Ecclesia, sed à Christo facta est. Idem confirmat Augustinus. Epistola. xix. quam ad Hieronymum scribit, inquiens. Quanquã enim secundum honorum vocabula, quæ iam ecclesiæ vsus obtinuit. Episcopatus, presbiteratu, maior sit, tñ in multis rebus, Augustinus, Hieronymo minor. Qua re ex his oprime colligitur priscis illis tẽporibus nondum fuisse vocabulorum, seu nominũ distinctionem effectam inter episcopum, & presbiterum, at nullatenus sequitur nominum non erat facta distinctio, ergo gradus abinuicem non distinguebantur? Episcopi quippe gradus, à gradu presbiteri erat secretus, siue seiunctus, at nomina indistincta remanserant, quæ postmodum distincta fuere. Vnde in sacro concilio Tridentino. Sess. xxiij. cap. iiij. expresse determinatur Episcopos ipsos, presbiteris, superiores esse. Sunt igitur Episcopi super presbiteros, super episcopos autem, Archiepiscopi, qui & Metropolitani vocantur, quique & pallium portant, & crucem ante se per totam prouinciam suam deferunt, supra Archiepiscopum, est Primas, qui plurib⁹ prouincijs præest, eandemque iurisdictionem habet in plurib⁹ prouincijs, quam habet Metropolitanus in sua, & sibi subest Archiepiscopus, quemad

Quattuor patriarcharum tria sunt priuilegia, & quæ.

modum, Archiepiscopo episcopus; Superprimates vero sunt quattuor Patriarchæ, videlicet Hierosolymitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Constantinopolitanus, quorum tria sunt priuilegia. Primum est, quòd ante se crucem vbique deferri faciunt, nisi vbi præsens est papa, vel in curia Romana, vel legatus, insignijs vtens papalibus; Secundum est, quòd sine medio ad ipsos, sicut ad papam appellari potest. Tertium est, quòd possunt dare pallium Archiepiscopis suis, postquã ipsum à papa susceperint, quod non potest Primas. Quartum, quod solus habere dicitur Constantinopolitanus, est quòd potest deponere episcopos sibi subditos. Super omnes denique est Papa, qui solus toti præest ecclesiæ & non econtra, vt illius verissimum caput, à Christo vero deo veroque homine, immediate constitutum, dum dixit Petro. Ioan. vltimo. Pasce oues meas, habens plenitudinem potestatis, quique vt papa non vt singularis persona in determinatione eorum quæ ad fidem spectant, errare non potest, ex assistentia Spiritus sancti qua gubernatur. Nam vt testatur. D. Th. secunda, secundæ. q. xj. art. ij. ad tertium. Auctoritas vniuersalis ecclesiæ de fide determinatiua, principaliter in summo residet pontifice, vt pontifex est, Et propterea dicitur. xxiij. q j. c. Quotiens. Quotiens fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres nostros, & coepiscopos, non nisi ad Petrum, id est ad sui nominis auctoritatem referri debere, Contra cuius auctoritatem, nec Hieronymus, nec Augustinus, nec aliquis sacrorum doctorum suam sententiam defendit. Eapropter D. Hieronymus ad Damasum Papam scribens, ait. Hæc est fides. Papa beatissime, quam in catholica didicimus ecclesia, in qua si minus perite, aut parum caute forte aliquid positum est, emendari cupimus à te, qui Petri fidem, & sedem tenes. Si autem hæc nostra cõfessio, Apostolatus tui iudicio comprobatur, quicunque me culpare voluerit,

rit, se imperitum, vel maliuolum, vel etiam non catholicum, non me hæreticum, comprobabit. Ex hac clarissima doctrina, perspicue colligitur, Panormitam errasse, dum asseruit. De elect. cap. Significasti. magis esse standum doctoris, quam pape, sententiæ, in his quæ ad fidem spectant. Error Panormitæ.

Et hic explicit tractatus.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Series Literarum.

A B C D E F G H I K L M N O P Q
R S T V X Y Z. Aa Bb Cc Dd Ee
Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo
Pp Qq Rr Ss Tt Vu Xx.

Omnes Quaterniones, præter Xx, Duernio.

Tabula per se patet.

VENETIIS,
APVD HÆREDES IOANNIS
MARIAE BONELLI.

M. D. LXXIIII.